

Wszystkie panie przysięgiu racy między mianem
pokaramy Pan Bog zaś łaskaw bywa

Wszystkie panie nas usłuchajcie
Amen



ARTES DVODECIM
 SACRAMENTA
 RIORVM SEV ZVIN
 GLIOCALVINISTARVM, QVI-
 bus oppugnant, & totidem ARMA CA-
 THOLICORVM quibus propu-
 gnant præsentiam Corporis
 D. N. IESV Christi in
 Eucharistia.

46294

*Contra Andream Volanum huius hereticæ pestis in
 Lituania Archiminiſtrum.*

Authore Petro Scarga Presbytero
 Societatis IESV.



Vilnæ

Typis & sumptibus Illustrissimi Domini,
 D. Nicolai Christophori Radiuili, Du-
 cis Olycæ & Nesuis. M. D. L.
 supremi Marschalci.



1582





374

*Numen in æternum sese erigit Ales, in hostes.
Eertur Eques, nullos triplice Dente petes.*

POTENTISSIMO
AC SERENISSIMO PRIN
CIP I ET DOMINO DOMINO
Stephano Dei Gratia Regi Poloniae, Magno
Duci Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae,
Samogitiae, Liuaniae q̄, Principi Tran-
sylvaniae, Domino Domino
meo Clementissimo.



Ingressus Maestatis Tuæ in Li-
uoniam Serenissime Rex, qui
primus faustusq̄ in Martium hu-
ius anni inciderat, illam mi-
hi vocem fortissimi & religiosissimi trium-
phatoris Machabæi, sonare videbatur:

*Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare
sancta & renouare:* Verè contrita & Domini Iu-
dicio, atq̄ armis per tot celebres Victori-
as Maestatis tuæ deiecta est, potentia illa
Moschorum, quæ iam multis regnis formida-
bilis, & plurimorum opinione inuicta creue-
rat. Ille qui in Europa latè se prolaturū im-
perium arbitrabatur, & vitam sibi prius quã
Liouoniam eripi posse dictitabat, Polocen.
& Vswiatensi latissimis ditionibus amissis,

EPISTOLA.

& plerisque alijs restitutis ac Regno Maiestatis
 Tuæ adiunctis, Liuoniam etiam, ad quam oc-
 cupandam & retinendam omnes vires suas
 comparauerat; tradere M. Tuæ summo do-
 lore suo atque dedecore coactus est. Quæ cū
 ante annos propè quinquaginta cultu diuino
 Catholicæque religionis summa obseruantia,
 maximis opibus, & gloria bellica florisset;
 & inuictam se Moscho semper opponeret:
 prius prophanis & impijs hæresibus Lutheri
 debilitata, Sacrilegijs & templorum direpti-
 one contaminata, & diuino propter sacerdo-
 tum eius crudelem eiectionem, præsidio de-
 nudata: postea armis Moschi protrita & con-
 culcata, & tota sanguine Sacrilegorum resper-
 sa, in tuam tandem Catholicissime victricisque
 dexteræ potestatem deuenit.

Venisti Rigam Victoriarum tuarum fructū
 relaturus: At quem nam? Comitatus Chri-
 sti Sacerdotibus & Episcopis, nihil te prius
 cogitare ostendisti, nihil in Consilio Senatuque
 tuo primum agitasti: quā vt in Liuonia mun-
 dantes Sancta & renouares: vt cultum diuini
 tremendique numinis, Catholicū illum & Deo
 debitum, patrum religionem Sacrosanctam
 tot an-

EPISTOLA.

tot annis in exiliū crudeliter eiectam, degeneribus filijs restitueres, altaria & Tempia emundares, sinceram verbi diuini salutarēq̄ doctrinā & leges innouares, vt illi qui vtraq̄ seruitute & Tyrānica & hæretica oppressi peribant: tandem de manu inimicorum suorum liberati, seruirent Domino, in sanctitate & iusticia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ, & vt finem Victoriarum tuarum gloriam redemptoris tui in multarum animarum salute consequerêris. Quod statim hic R. tua facere cœpit, cū per Romogitiæ Episcopū Melchiodro, virum religionis sanctæ Templā duo S. Iaaobi & Sancto repurgarentur, & catholicis ad erudiendum in pulum, mentiumq̄ hæreses repellendas tenebras, attractorum locorum per tota Illustrissimo & Reuerēdissimo Vilnensi Episcopo, quæces Maiestatis Tuæ obtinuiam sanctissime multibus munus hoc conde

EPISTOLA.

& R. D. Solicoiuo viro ardenti verę pietatis
 amore incenso studiose in discessu suo Maie-
 stas Tua commendauit, Reuerendissimum
 Varmieñ. Cromerum, doctrina & vitę inte-
 gritate clarissimum, ipsumq; Summum Pon-
 tificem, prudentissimum & sanctissimum to-
 tius Ecclesię Dei pastorem, ad mittendos in
 Liuoniã Sacerdotes Theutonicę linguę pe-
 ritos, compellans. In quo labore & sancta
 sollicitudine Tuę sollicitudine, nos etiam hic
 debilitata, & Rigę stationē nostram, in quę-
 rone contaminatibus obseruare voluit, vt Ri-
 tum eius crudeliter illud Catholicę veritatis, qd
 nudata postea arimi non potuit, sed victrice
 culcata, & rotata dextera coruscare illis denuo
 sa, in tuam tandem opus patrũq; sepulchris pro-
 dextere potestatem, ad illudq; aplectē
 Venisti Rigare. Sed dum cunctantur no-
 relaturus. Atque pressi diuinarum rerum i-
 de Sacerdotibus omniantium nos seducti do-
 ceantur ceteris in salutis suę curam, somno
 tuo minimum agitis, ab eorũ Ministris indu-
 dit. Sancta & quarundam Germanię Ci-
 tiam, dum alij contemnunt, alij
 debent, primi incipiant expectāt:
 tempus

DEDICATORIA.

tempus quod me salutari rerū diuinarū explanationi, calumnijsq; apud illos oppressæ doctrinæ Catholicæ illustrandæ & denique concertationibus pro veritate traducturum sperabam, ne amissum dolerem, scriptioni impendi. Ocium enim quod ante fuit cura nostri Collegij Vilnensis occupato ereptum, præbuit mihi opportunum locum vt cuidam responderem, in Lithuania veritatis aduersario, & præsentix Corporis Domini nostri Iesu Christi in S. S. Eucharistia contestato inimico Andreæ Volano. Qui librum quendam contra me & Catholicam veritatem conuicijs & calumnijs in omnes Ecclesiæ ordines, ipsamq; Christi innocentissimam sponsam refertum Maiestati Tuxæ dedicauit. Et quamuis eum nec per suæ sectæ fautores R. M. T. zelum acrem pro Ecclesia, pertimescens, offerre M. T. fuerit ausus: per totum tamen ipsius Regnum respersum publicauit. Huic respondeo non ad temere iactata conuicia, nec ad apertas quas discernit quilibet, calumnias: sed Magistrorū eius Helueticorum & Caluini ac Bezæ imposturas: quibus in deprauāda purissima de hoc myste-

EPISTOLA.

mysterio Ecclesiæ sententia, magno astu ad
 multarū perniciem vtuntur, detego, atq; Chri-
 sti ope & Ecclesiæ eius armis demolior.
 Quod meum ocium ipsis Rigenſibus in quo-
 rum nunc sum statione profuturum arbitror,
 si vel lectione librorum ad studium inquiren-
 dæ veritatis prouocari se patiantur. Licet e-
 nim, pallio illo sub quo multæ aliæ & sibi con-
 trariæ hæreses, latitant Augustanæ Confes-
 sionis operiantur, & veram præsentiam Cor-
 poris Dominici in altaris Sacramento agno-
 scere velle videantur: cum tamen nullam pa-
 nis & vini mutationem agnoscāt, & Transub-
 stantiationem contemnant, & impugnent &
 ad tropos figuræsq; patentē aditum in nudo pa-
 ne & vino relinquunt: cum insuper credere
 se præsens Christi Corpus affirmantes, nulla
 illud adoratione, nec quo par esset diuino cul-
 tu, æquè atq; si ibi nō esset, venerētur: dū nullā
 Sacerdotalem ad hoc conficiendum myste-
 rium potestatem, ab Apostolis successionē &
 legitima ordinatione receptam, sine qua nul-
 la est huius Sacramenti perfectio, requirant:
 sed ciuili sola quæ nihil habet in Sacramenta-
 resque diuinas iuris, contentos se iactitant:
 verbis

DEDICATORIA.

verbis nullum, re autem ipsa, parum aut nihil à Zuinglianis & Calvinistis differre mihi videntur: nisi quòd Zuingliani astutiùs Christo in Eucharistia quem ibi corpore presentē esse nō credunt, diuinos honores subtrahunt: isti verò inconsideratiùs eū quem verè ibi esse verbis predicant rebus ipsis, & præstandi debiti cultus & honoris negligentia atq; contēptu abesse pronunciant. Ideoq; cū pares esse vidētur, eisdē remedijs tanquā eodē morbo affectos, curari eos posse, si sani esse velint, sperarem. Sed vnde tantæ sunt inter Luteranos & Zuinglianos de hoc mysterio pugnæ? Inde, vnde semper inter superbos oriuntur iurgia. Inde nimirum, quòd velit quisq; Magistrorū suæ impietatis discipulos relinquere, & nomen suum in hac turri Babylonica celebrare. Inde est, quòd seipsā superbia, linguas habens confusas, & litibus atq; odijs mutuis ardens & distracta, opus quoq; susceptum opprimendę Ecclesię Christi perficere non possit. Nec immeritò: Nā illius oratio à Domino exauditur: Præcipita Domine, deuide linguas eorū, quoniam vidi iniquitatem & contradictionē in ciuitate. Iuste deniq; Dei iudicium sube-

B

unt,

EPISTOLA.

unt, cum vlticem & comitem, inobedientiaꝝ penam recipiunt. An non enim sicut illi iniquissime, S. Ecclesiam, magistram veritatis contempserunt, iustissime à suis contemni discipulis debent? Si illi à publico & legitimo Ecclesie Magistratu discedunt: nonne etiam ab illis priuatis, & nulla potestate predictis, illis in omnibus pares merito sunt secessuri? Reddenda est prius Ecclesie & eius prepositis debita subiectio, post eam ipsi à suis discipulis requirant. Sed & Dominus ita permittit, vt dum certant & intestinis odijs mutuiscꝫ se bellis conficiunt: Ecclesia Dei inanes illorum conatus rideat, & facilem veritatis victoriam ob eorum lites & contentiones reportari posse, rudissimis etiam ostendat, fatigatosqꝫ discordijs ad domum pacis, extra quam omnia diffidia pullulant, reuocare minore negotio possit. Qua de re alium mihi monendi Rigeneses & hæc illis inculcandi, si Domino placuerit, locum quæram. Nunc quid Zuinglianus ille scriptor in sua ad Maiestatem Tuam epistola afferat dignum est quod spectetur. Illud enim in vniuersum de ea dici potest, quod qui nunquam hereticorum

DEDICATORIA.

corum ingenium probasset, ex illa ad Maie-
 statem Tuã epistola, non tantum de scriptis
 illorum omnibus, sed de tota eorum natura &
 omnibus artibus & moribus ferre posset iu-
 dicium. Cæca quiduis opinandi & cuius cre-
dendi temeritas, profusa conuiciandi & calū-
niandi libertas, mobilis in mutandis sententijs
leuitas, & in tegendis dolis callida simulatio,
 omnes eorum chartas & linguas occupat. Nã
 quid magis potest temerè credi & dici, quàm
 Rom. Pontifices & Sedem illam Beatissimi
 Petri & arcem, petram religionis Catholicæ,
 expugnatricẽ ònium portarum inferni, pro-
 pagatricem Euangelij per orbem vniuersum,
 sedem esse Antichristi? licet in ea Petrus ille,
 cuius nunquam deficit fides, sederit: licet in
 eam vnà cum Paulo doctrinam suam cū san-
 guine profuderit: licet aliorum Pont. plusquã
 triginta triũ pro Christo fuso cruore per an-
 nos plusquam trecentos consecrata sit: licet
 Vniuersalium Conciliorum testimonijs &
 magna illorũ subiectionis veneratione cola-
 tur: licet sanctissimorum virorum Doctorũ
 Ecclesiæ encomijs vbiq; celebretur: licet in
 ea Petrus per Leonem & Agathonẽ & nunc

*calumniante
 non solum eorum
 sed et ipsorum*

ebno

per Gregorium iudicio S. S. Conciliorum lo-
 quatur: licet in ea plurimi & ante & hac no-
 stra ætate federint, quorū sanctitatē totus Or-
 bis veneratur: licet successione, duratione,
 potestate, & iuris possessione, quo hæcenus
 in omnes Ecclesias vtitur, promissiones Chri-
 sti B. Petro factas in se sola impleri testetur:
 licet nunc in Indijs Orientalibus & Occiden-
 talibus idola demoliens, latissime Christi no-
 men proferat, & plurima Regna & Reges ad
 ipsum adducat, & ibi sanguinem pro Christo
 infinitosq; sudores & labores profundat: licet
 nunc in Anglia inuictum animi robur patrum
 suorum Martyrum illorum, exerens, ad mil-
 le supplicia pro Christo perferenda alacriter
 accurrat: licet istorum omnium oculos per-
 stringat, & semper ac ubiq; eruditissimos legis
 diuinę interpretes ac Doctores, sanctissimosq;
 Sacerdotes quorum doctrine obsistere & vi-
 tę innocetiam reprehendere non possunt, &
 qui pro eadē mille mortes oppetere velint, il-
 lis opponat: licet contra omnes hereses diui-
 nitatē Christi & eius Sacramenta institutaq;
 ipsumq; expressum Dei Verbum oppugnan-
 tes, dimicet, & infinitas persecutiones in tu-
 enda

DEDICATORIA.

enda veritate perferat, & inexpugnabilem se
demonstret: tamen isti credunt, & Volanus
coram Maiestate Tua prædicat Antichristi
sedem esse, nullã aliã ob causam quã quòd
Calvinus & Beza & socij illorum huius nostri
seculi hæretici hoc, vt ipsorũ verbis vtar, con
fidenter clamitant, & ex Apocalypsis figuratis
& symbolicis sermonibus, ex quibus propter
multiplices & varios sensus obscuritatẽq; pro
phetiarum, rarò aliqua euidens argumentatio
pro fide desumitur: tam grauem fidei nostræ
de Petra & Ecclesia articulum puerili quodã
iudicio demoliri conatur. Nã Apostoli Pauli
ad Thessal. locus eorum statim impudentiam
reprimat: cùm nullus Pontificum coli se
vnquam pro Deo voluerit, nec falsa signa &
prædigia fecerit: sed omnes Dei honorem &
Christi gloriam ad hæc vsq; nostra tempora
promouerint per orbẽq; totũ propagauerint.
Ex antiquis autẽ & probatis Doctõribus, qui
illa loca scripturę sit ita interpretatus & hoc
nomine Pontificũ Sacros. munus minima e
tiam suspicione violauerit, nullum profert,
nec potest ista temeritas. Quam vel eorum
discipuli Anabaptistæ quos illi iam propter
altio-

EPISTOLA.

altiozem in progressu sui Euangelij gradum, Ebionitas vocant, nobis tacentibus retundūt, & eorum os obstruunt. Si Papatu, inquit, pro eo atq; apud vos Zuinglianos didicimus, Antichristi sedes est, à quo nil syncerum & integrum in Doctrinē veritate ad salutem humanam promanare possit, & quem omnia iura diuina subuertisse confidenter clamitatis: nec dogma quoque de diuinitate Christi, qd̄ altas in Papatu egit radices, & quod à nullis alijs acrius defenditur, verum esse potest, pro quo Antichristus tantopere depugnat. Quid ad hæc Volanus? hoc telo suis ineuitabili, prostratus in sua ad eos Parēnesi recantat turpissimè quod dixit: & eos qui Christi gloriam & Diuinitatē tuentur Antichristos esse non posse, sed illos potius qui eam oppugnant mereri hoc nomen, cogitur dicere. Probrum ergo illud Antichristi in suos filios & partum Zuinglianicū, imò in seipsum qui antecedentes propositiones ponit, quarum vi inferatur cōclusio, transfudit. Sed acrius ad eos istis Anabaptisticis telis vrgendos, aliud tēpus, Domino duce, capiemus. Cū igitur tanta sit istorum, quiduis credendi & opinandi facilitas:

*In Parēnesi
si ad Ebionitas.*

DEDICATORIA.

tas: quid iam non credent & in quas foueas non cadent, qui rem tam absurdam & impossibilem, atq; ex solis nefandis calumnijs contextam persuaderi sibi à suis Magistris patiuntur? Nam in calumniando & conuicijs, quis eorum effrenem licentiã verbis comprehendet? Cogitet Maiestas Tua quantum in alios etiam ordines, non solùm in Sacros Pontif. debacchantur eorum linguę: cùm iste Zuinlianę impietatis defēsor, Reges & Principes, quotquot in amplectendo Christi Euangelio & suis subiectis populis promulgando, ductũ S. Rom. Ecclesię sunt sequuti (omnes autem secuti sunt ad quoscunq; Christi nomen & gloria promanauit) quique Pontifices, tanquam Christi supremos in terris Vicarios venerati sunt: (quod omnes Reges & Principes post Constantinum Magnum ad hæc nostra vsq; secula fecerũt) turpissimo fornicationis crimine cum meretrice nescio quali obstrictos fuisse insinuat. Nec tanto conuicio contentus, Carnifices etiam plerosq; & præcipuos Reges & principes esse aperte dicitat, & omnibus magnam imprudentiam & in rebus salutis æternę oscitantiam tribuit. Adeò verum est, quod

EPISTOLA.

quod de talibus B: dixit Thadeus: Dominati-
 onem spernunt, maiestatem autem blasphemant.
 Si Reges & Principes quibus summus post
 Deum honor debetur, adeo libera & effreni
 lingua diuexant, & tam turpi crimine com-
 culant: quid nos ab eis perferamus æstimand-
 um Maiestati T:relinquo. Ad commendand-
 am autem istorum in mutandis sententijs le-
 uitatem, prædicat coram Maiestate T:Regū
 Poloniæ prudentiam, quod libertatem cuiusque
 quiduis credendi tribuerint. Quod tamen
 esse falsum leges contra hæreticos ab eis latæ
 probant. Nihil enim antecessoribus Maiestatis
 T:Regibus, ex quibus post receptam in Chri-
 stum fidem nullus fuit Luteranus nec Calui-
 nista antiquius, nihil magis curæ fuit, quã ut vnã
 & verã, tanta luce veritatis diuinę, antiquita-
 te & Regni gloria commendatam religionẽ,
 conseruarent, & leges ad eam conseruandam
 promulgatas custodirent. Libertatem autem
 eorum istam, licentia & legum violatio pepe-
 rit, non Reges eam concesserunt: sed iniqui-
 eti Ciues sibi iniquissime vendicãrunt. Quæ
 quantum sit illis profutura: idem qui eam sibi
 suisque gratulatur, leuitate in mutandis sen-
 tentijs

DEDICATORIA.

tētis insigni, eam rursus detestatur, cū inquit:
Libertate ista omnibus permisa, ut quam quisq; velit religio-
nem sequatur: futurum esse auguror ut nouis subinde doctri-
nis & erroribus pullulantibus tot sint in Regnis hisce futuræ
sectæ, totq; religiones quot numerantur vrbes. Diabolicam
autem hanc libertatem vir quidam magni nominis verè prædi-
cat in qua perire licet cuiq; si vult: Hæc sunt istius ver-
 ba. Arbitror nomine totius Lithuanix Euā-
 gelicorum, quibus se ille Ducem præbet, Ma-
 iestatem Tuam interpellat. En libertatis non
 datæ sed arreptæ pertesi Zuingliani, cum se
 ab Anabaptistis, Ebionitis, Trideitis, discipu-
 lis suis premi, & suis ipsorum armis & doctri-
 næ suæ fundamentis expugnari, & multos ex
 suis in Ebionitas mutari conspiciunt: liberta-
 tem illam in qua perire illis licet, quam à Ma-
 iestate tua tanto tumultu extorquebant, dia-
 bolicam vocant, quo solo adimi sibi illam &
 cogi se à Maiestate T. supplices petunt. Cru-
 delem illam misericordiam deprecantur: ut
 propter spem retinendæ salutis, ad extremã
 illam medicinam vrendi & secandi, modò ut
 salui sint & perire illis nõ sit liberum, accu-
 ratur. Non moueatur Maiestas T. eorum in
 mutandis sententijs varietate, nacti bonũ in-
 teruallum, aliud nunc quàm ante sentiunt, ne
 C
 furere

EPISTOLA.

furere illis liceat: sed vt arrepti à spiritu illo, custodiantur, ligentur, in obscuros angulos conijciantur, ne se dent præcipites & seipfos aliquo arrepto ferro confodiant, vehementer à Maieftate T. petunt. Quid ergo faciet Maieftas T? si eos amat, si curam eorum gerit, pareat obsecro precibus eorum, misereatur pereuntium, quos ipsa mentis destitutio dignos tali beneficio iudicat. Non putet Maieftas T. paucos esse, qui hanc coactionem expectant, tanquam leuitatis suæ, in qua notari nolint, excusationem habituri. Proditur & eorum in illa Epistola similtas, & doli plena hypocrisis. Queritur iste causam suorum in rebus fidei non audiri, nec haberi Iudices & arbitros, nec locum inquisitioni & cognitioni relinqui sibi vllum, vt ab hæresis crimine iusto liberari iudicio, possint. Quod si requirat aliquis ab illis: quos nam habere iudices, & suæ causæ cognitores velint? an illos legitimos & vsitatos, Episcopos scilicet & summos Pontifices vel Episcoporum œcumenica Concilia: an Sacerdotes & Doctores diuinæ scientiæ peritissimos? Nequaquam, inquit, isti enim sunt qui accusantur & suspecti de-

DEDICATORIA.

cti deprehenduntur. Quis ergo? Nisi sint eorum Helueticum magistri, vel Caluini discipuli, vel illi ipsi qui iudices quærunt, iudicium occupent tribunalia: in toto orbe terrarum nullus est, cuius se subdere cognitioni velint. Imo audet iste idem qui ita coram Maiestate T. queritur & iudices postulat, asserere, non modò multorum hominum, sed ne Myriadibus quidem Angelorum authoritati se acquieturum, si non id quod illi videtur rectū, sentiant & decernant: qua conditione quis vnquam sine insignis stulticiæ nota, iudicē onerat, de quo illud primum qui se eius concredidit iudicio, illum vera & recta decreturum apud se statuit. Iam ergo nec terra nec cælum habet vllum cui se credant, & cuius sententiæ pareant. Ita ad hunc dolum & tantam hypocrisim nihil accedere potest amplius, cum iudices quærunt, & nullum in terra, sub toto cælo etiam admittunt. Cæterum vbi potentia armantur & sub iugum seruitutis suæ Catholicos miserunt: non amplius de iudicibus dubitant, nec qui eorum causam examinet requirunt: sed ipsi mox tribunalia ascendentes, ipsi suspecti & rei, ipsi pars aduersa, ipsi

EPISTOLA.

in causa propria Calvinistæ: sine vlla legitima iudicandi potestate, innocentissimos Catholicos, Christum & eius Ecclesiam Ecclesiæq; vnum in terris pastorem confitentes, in Anglia maxime, ad crudelissima & barbaris omnibus inusitata & inaudita supplicia condemnant. Quos nã obsecro in Anglia vel Geneuæ vel in alijs Ciuitatibus arbitros, Catholicis afflictissimis & infinitis Carcerũ molestijs, & exquisitis tormētis excruciatissimis tribuunt: qui causam eorũ in qua de bonis omnibus, honore, liberis, familia, vita, & tantis in moriendo cruciatibus res est, cognoscant? ibi iam iudices non quærunt, sed ipsi puri Calvinistæ, innocentissimos & doctissimos Martyres, quorũ in disputando spiritui & sapientiæ resistere non possunt, crudelissime condemnatos enecant. Illi Pontificissam (ô rē execrandam & inauditam, cuius & nomen scœminum non habemus) caput Ecclesiæ suæ scœminam, cruenta illa & plusquam Dioclecianica proferre iubent, contra fortissimos fidei athletas decreta. Sed Regum iudicio subijcere se videntur cum dicit iste: *Præcipui Principes Christiani qui arbitros & disceptatores se præbere deberent, pro iudicibus carnifices se in accusatores exhibent: Agnoscunt.*

DEDICATORIA.

Agnoscut iudices huius suæ causæ Principes, sed verbis & lingua tantum, nam corde insignem contegunt hypocrisim. Sicut enim Lutherus, eandem primùm vocem simulate proferens, & ab Episcoporum iudicio ad Principum secularium tribunal prouocans: cum tandem ad Cæsarem Carolum vocaretur, & cognitionem suæ causæ tradere illi, quem aliquid contra Dei verbum tanquã Christianum Principem decreturum, opinari non posset, postularetur: nullo modo, respondit: ne fiducia in Principibus & hominibus (nã ipse insigni arrogantia suas opiniones defendens, hominẽ se esse, & quidem sacrilegum, incæstusum, & monasticæ vitæ desertorẽ, apostatã, agnoscere vel nõ debebat vel nolebat) collocare videretur: ita & isti ab ingenio Patriarchæ sui nõ sunt degeneraturi, si eos Maiestas T. ad suum iudiciũ quod ipsi tribuere videntur, pertrahat. Nam cum nec hominum multitudinem nec Myriades Angelorum ad hoc tribunal admittant: quid de Maiestate T. dicturi sint, facile est conijcere. Si enim isti iudicium Maiestatis T. reciperent, quid sibi ad condemnationem deesse putarent? Vident in Ma

*Refert Chit
reus Lute-
ranus in cõ
fess. Au-
gust.*

EPISTOLA.

iestate T. constantissimā in colenda S. S. re-
 ligione voluntatem, ac rem in ea tuenda zelū,
 religiosum in propugnanda doctrina verita-
 tis animum: num verba Maiestatis T. deside-
 rabunt, qui se iam à vita ipsius damnari senti-
 unt? An potest Maiestas T. aliter dicere, & ali-
 ter viuere? Laudat iste Maiestatis T. pruden-
 tiam, & maturum limatumq̄ iudicium prædi-
 cat: sed si hoc verè & ex animo facit, cur il-
 lud quod laudat sequi, & suum suorumq̄ pue-
 rile, hereticum, & inconditū iudicium postpo-
 nere dubitat? Eam quam in omnibus alijs Ma-
 iestatis T. sapientiam admirantur, sicut omni
 reiecto etiam in diuinis rebus ducem sibi illā
 & exemplar statuere deberent. Quid enim
 habent doctrinæ & mysteriorū hæreses istę,
 omni veneno imbutæ, quod cognitionem,
 discussionem, & examen Maiestatis T. subter-
 fugiat? Quid non in eis eorumq̄ dissensionibus
 & pugnis inter se, ac execrandis blasphemis
 Maiestas T. probauit, quod non ad ani-
 marū tantūm perniciem & contemptum sū-
 mi numinis sacrosanctæq̄ Trinitatis abnegati-
 onem, sed etiam ad Rerump. & Regnorum
 subuersionem deriuaretur? Aut quid iam as-
 ferre

DEDICATORIA.

ferre possunt, quod non ipsamet Maiestas T. refutare & in eos retorquere, sine suorū Theologorum præsidio, didicerit? Si quando Proceres nostri Poloni artibus hisce, & argumentis suorum magistrorum Maiestatem T. aggrediuntur: confusi, nec habentes quod dicant, & admirabundi, vnde in tot curis Regni tanta diuinarum rerum cognitio, discedere coguntur. Beata Catholica religio Romana, quæ te Catholicis editū parentibus progenuit, cuius lacte nutritus tantas hausisti virtutes, quibus non modò Poloniæ Regnum defenditur, conseruatur, augetur, sed Ecclesia tota illustratur. Habent & alia multa isti in Maiestate T. quæ illos ad imitationem, amplectendæ eius quam ipsa colit religionis, meritò prouocent, si scaperent. Vident & pietati benedictionem Dei respondentem, quantò studiosius Maiestas T. veram religionem excolit & promouet: tantò vberiori felicitate, & rerum successibus à Domino decoratur, & ad maiorem gloriam prouehitur. Det illis aliquando Dominus intellectum vt Maiestatem T. sequantur, & sicut vno & tanto Rege, ita vna & vera & S. religione felices se agnoscant,
modò

EPISTOLA.

modò curam ipsorum salutis Maiestas T. nō deponat, & id, quod in vehementi febris & morbi ardore, corruptum habentes gustatū, noxium appetunt, non obtineant, sed habere se medicum, qui salutis eorum curam gerit persentiant. Matrem suam & quondam illorum, Catholicam Ecclesiam, Maiestas T. ita honoret, vt afflicta iam tot eorum incurSIONIBUS & rapinis quiete aliqua donetur, & saluti filiorum, quos amissos luget, liberè vacet. Præcipuam autem Maiestas T. Liuoniæ suæ benè cæptam, impendat sollicitudinem. Noua hæc vinea plantationis Maiestatis T. charior esse Maiestati T. debet, quæ tanquã in tenerū Benjamin, vberior in se amoris affectum Maiestatis T. effundi postulat, vt optimum & Apostolicis plenum virtutibus habeat Episcopum, vt non sit cuiq̃ liberum, quod velit credere, vel potius õnes contra Deū blasphemias omniaq̃ venena animarum profundere & in ea, sicut ferunt hæretici ipsi, libertate Diabolica perire, vt Confessio illa omnium hæresium lerna & velamen, & ipsa mater aliarum pestilentium sectarum, non seminetur. Ager iste iuxta legem, duobus seriminibus


DEDICATORIA.

minibus non potest. Satis sit illis, eos non cogi: publicè autem sacra sua, non sacra facere, aut Catholica templa & Magistratus illis attribui, & potestatem nutriendi ministros concedi, nihil esset aliud quàm malum inimici semen irrigare. Tota hæc prouincia Liouoniæ clamat: Deo se & Rom. Catholicæ Religioni & eius seruandæ legi dedicatam, alium cultum admittere non posse. Si diuersa iterum & falsa in ea pullulabit religio, à leonibus cultores terræ interficientur non secus quàm illi Babylonij in terram sanctam translati: eò quòd nescierint legitima terræ, & legem Dei, cuius erat terra, non coluerint. Semper & iterum bellis cruentis rapinisquè exponetur, afflictæ hæc & confusa tot linguis Liouonia, nisi plene in ea Catholicus Dei cultus cui erat ab initio consecrata, restituatur. Si Maiestas T. in eadem constantia plantandæ & promouendæ gloriæ Dei perstiterit: gloriam ipsius promouebit Dominus, & modis illis notis, nobis ignotis, ædificabit etiam Maiestati T. domū, & relinquet nobis lucernam, & faciet Maiestatem T. non Moschi tantum, sed & Scytharum Turcarumquè domitorē, & victorias ipsi

D

consti-

46294



EPISTOLA.

constituet, & nomen vsq; ad extremum terræ propagabit. Reliquum est vt Maiestatem T. supplex orē, quò exiguos hos meos in scribendo labores, quos ego longè æquius, quam Aduersarius Maieitati Tuæ humillime comsecro, protectione sua Regia foueat, vt etiam Liuania, quam tanto studio ad cognitionem veritatis Maiestat T. perducere optat, eò libentiùs ista legat: quantò certius ea esse Maiestat T. patrocinio commendata cognoscat. Conseruet Maiestatem T. Dominus vt longo tempore viuat & regnet in terris, & laborum in tot gubernandi molestijs pro salute populorum susceptorum mercedem recipiat in cœlis. Rigæ vltima Octobris. 1582.

Tuæ S. & Serenissimæ Maiestatis

*Seruus indignus
Petrus Scarga
Societatis IESV.*

Optimo Lectori salutem.

ITerum, optime lector, iuxta Apostolum Thadæum, nubes sine aqua à ventis circumferuntur, & fluctus feri maris despumant suas confusiones, Velanus Caluini discipulus odio S. Rom. Ecclesiæ & heresum ventis agitatus, contra expressum & potentissimum Dei verbum, pro Zuingliano figmento pugnaturus, & conuiciorum procellas, & calumniarum fluctus iactans, despumauit suas confusiones. Nubes illæ eius Tituli: Vera & Orthodoxa veteris Ecclesiæ sententia, pluuiam aliquam agris animarum vtilem portendebant: sed ecce maledictorum tonitrua, & in pugnanti sententiarum fragore, solis & veritatis Orthodoxæ non obscuratum modò, sed etiam sublatum lumen & densissimæ errorum tenebræ apparent. Quæ cum sint luce veritatis depellendæ: sequar quod monet Apostolus: Seruum Domini non oportere litigare sed mansuetum esse ad omnes, docibilem & patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. Maledicta & contumelias eius mansuetudine, calumnias patientia, loquacitatem docilitate ac methodo, iactantiam hereticam, modestia Catholica superabo. Cogitanti igitur mihi qua ratione lites & pugnas verborum, cum homine verbo declinarem, & dignum occupationum mearum fructum in proferenda veritatis luce, & comodis tuis, amice Lector, promouendis, inuenirem: illud quæ etiam mecum perpendenti, priore meo libro, ita præsentiam Corporis D. nostri Iesu Christi in Eucharistia Catholicis argumentis esse probatam, ita tela aduersarij omnia repressa, vt nullus sit obex veritati in figmentis eius relictus: postquæ stant inconuulsæ pro Christi præsentia & nostro vnico in terris solatio retinendo columnæ: (quas etiam lingua materna anno eodẽ illustrauimus) cum constet etiã veritatis sermo: Hoc est corpus meum, in quo subruendo & ad Metaphoricos atque alienos sensus traducendo tantum profecit inimicus, quantum ille qui

AD LECTOREM.

clauum, vt dicit sapiens, forti impressum manu ipsis etiã den-
 tibz conatur euellere: hoc vnum videbatur restare, in quo in
 hac iterata pugna vtilem Deo & Lectori operam posse me na-
 uare putauit: si compendiose imposturas & artes Sacramen-
 tariorum quibus veritatis simplicitatem in his verbis, Hoc est
 Corpus meum, figurarum technis inuoluunt, & in quibus con-
 tegendis Volanus cautiorem obtendit fucum, proderem, & om-
 nes denudarem dolos, simulq; & arma Catholica ad illa ex-
 pugnanda Lectori offerrem, nec ab hac materia vnica abstrahi
 me aduersarij calumij, Conuicijs & diuerticulis permitte-
 rem. In hac sanctissimi huius Sacramenti propugnatione con-
 cionando & scribendo quod restat vitæ meæ curriculi hasq; e-
 xiguas vires consumere, esset mihi optabile, cum pugna ista
 Philistinorum ardentius huius Arcæ desiderium excitent, &
 ad noua aliqua inuenienda in mysterio tanto solatia & pabula
 animæ dulcissima nos componant: nec in huius vitæ arumnis
 & dolorum tædijq; pleno diuersorio quicq; mihi supereffe vi-
 detur leuaminis, quam summi huius beneficij contemplatio &
 illius suauissima & omnem leniens & auferens vitæ laborem
 degustatio. In hoc enim nobiscum, Christus Deus noster etiam
 corpore inaspectabili modo versatur: in quo quotidie tanq; in-
 dulgentissima matris sugimus vbera, & sanguinem diligentis
 nos de fontibus saluatoris haurimus, & resicimur Anglorum
 pane in loco peregrinationis nostræ, in quo supremum illum ac
 tremendum soliq; Deo proprium sacrificij cultum reddentes
 creatori nostro, vna eademq; adoratione sedentem à dextris Pa-
 tris & in altari propositum agnum colentes, Angelicis turmis
 circumsepti, ineffabili letitia & consensu animorum sursum
 Corda erigimus, & in terra caelestium vitæ & consuetudinem
 meditatur, omniumq; terrenorū oblitū dulcissimo illo presentie
 Saluatoris Dei nostri sensu recreamur. O quam agrè diuelli-
 tur ab istis vberibus consolationis anima si de feruens, & cha-
 ritate.

AD LECTOREM.

ritate ebria, & retribuere aliquid volens redemptori in Calicis huius sumptione, et grata recordatione omnium quæ contulit nobis salutis nostræ author: In hoc cantico versatur libenter: & amaritudine vitæ huius sauciata, dolores omnes deponit.

Quod si parum vilis tibi labor noster prodibit, Lector optime, hoc saltem consequar, vt pro lacerata & tam crudeliter, impieq; tractata arca Domini mei Sabaoth, pro vnico nostro in terris solatio blasphemijs profciso, pro sacrificio & cultu vero soli q; Deo debito, ac fonte redemptionis nostræ his vltimis Antichristi temporibus, quantum in ista perfidia situm est, sublato: pro coelesti epulo omnium dulcissimo conculcato ac fædato, & in paleas figurarum immutato, pro omni spe thesauri nostri, & incredibili bonorum copia, quæ in hoc Sacramento recondita est, adempta: deniq; pro adorando mysterio à blasphemis linguis, sacrilegisq; manibus vindicando, saltem acer zelus, pia indignatio, iustus dolor, animusq; meus ad moriendum in hac pugna paratissimus, pijs omnibus ac etiam Catholice religionis hostibus appareat.



Artes & imposturæ Sacramentarium
contra præsentiam.

Corporis D. N. I.

- 1 Detortum & interpretatum ab illis
ipsis Euangelium.
- 2 Sensus & ratio.
- 3 Fucata omnipotentia Christi
professio.
- 4 Figurati & tropici sensus.
- 5 Loca scripturæ multa similitudinis
speciem habentia.
- 6 Regulæ Caluini de figuris & sermone
Sacramentali.
- 7 Excogitata de Sacramentis ingenere
opinio.
- 8 Præstigiiosa corporis Christi in Eucha-
ristia præsentia.
- 9 Patrum quorundã adulteratæ sententiæ.
- 10 Manducatio spiritualis per fidem.
- 11 Absurdorum inconuenientia.
- 12 Adoratio panis idololatrica.

Arma & veritates Catholicorum
pro præsentia.

C. in Eucharistia.

- 1 Expressum & nudum Dei verbum.
- 2 Fides & reuelatio.
- 3 Vera & in ipsis factis Christi omnipotentix fides.
- 4 Simplex in fidei articulis S. scripturæ sermo.
- 5 Vnus institutionis Sacramenti huius locus contra mille.
- 6 Regula Prophetarū & Apostolorū, credendū est Deo dicenti nō homini incutienti.
- 7 Vera & Catholica de Sacramentis doctrina.
- 8 Transsubstantiatio.
- 9 Omnium sanctorū Doctōrū testimonia.
- 10 Manducatio & spiritualis & corporalis per rem ipsam.
- 11 In veritate, voluntate, & charitate diuina, nullius absurdi metus.
- 12 Adoratio Christi corporis necessaria & debita.

HIERONYMVS ADVERSVS Luciferianos prope finem.

Si audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, vt pote Marcionistas, Valentinianos, (adde Zuinglianos, Lutheranos) etcet. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus prænuñciãuit. Nec sibi blandiantur, si ex scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quòd dicunt: cùm & Diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.

CHRISOSTOMVS HOMIL. XXXIII. in Acta Apostolorum.

Quod si & nos (hoc est) Catholici agnominationem cuiusdam fortimur, sed non vt ab hæresum Principibus sed vt ab his qui præsumt nobis & gubernant Ecclesiam.



I.

ARTES DVODECIM
SACRAMENTA
RIORVM SEV ZVINGLOCALVINISTA-
*rum quibus oppugnant, & totidem arma Catholicorum
quibus propugnant presentiam corporis Domi-
ni nostri IESV Christi in
Eucharistia.*

Contra Andream Volanum huius Hæreticæ pestis in Lithua-
nia Archiministrum: Autore Petro Scarga Presby-
tero SOCIETATIS IESV.



PRIMA ARS SEV IMPO-
stura Zuinglocaluinarum.

Euangelici dici volunt, quod nusquam à litera Euan-
gelij recedant: Re ipsa autem Euangelio non credunt,
& totam Sacræ Scripturæ autoritatem prosternunt.



LIBET ab ipsa voce aduersa-
rij sumere initium. ¶ Non à
Cōcilijs, inquit Volanus, non
ab inuentis aut traditionibus
humanis certitudinem fidei nostrę, in dogma-
tibus religionis requirimus; sed supremam v-
biq; autoritatem Scripturæ, & libris Cano-
nicis deferimus. Hinc profert illa ex D.

A

August

Augustino: *Non audiamus hæc ego dico, hæc tu dicis: sed hæc dicit Dominus: auferantur de medio chartæ nostræ procedat in medium codex Dei, audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem.* Hæc in clamat, sed quali mentis simplicitate, imò quali impostura, videamus. Fundamentum totius suæ in hoc Theologiæ positum esse vult: Conciliorum Generalium legitimè congregatorum, sacro sancta Decreta, & Patrum orthodoxorum venerandas de rebus diuinis sententias, quas traditionum humanarum appellatione contaminat, contemnendas esse, & longè post tergum relinquendas; vt soli scripturæ & libris Canonicis inhæreatur. Præclarum fundamentum, in quo illud construitur: vt dum Concilia œcumenica, in quibus præcipuè Ecclesia Dei, testis & conseruatricis sacrarum Scripturarum repræsentatur cõtempserint, ipsas etiam Scripturas sacras contemnant. Experiamur in hoc argumento, in quo Zuin-
 glianici ingenij tota indoles versatur: an scripturas & Euangelium tanti faciant, an non potius Euangelium cum ipsis Concilijs in eodem contemptus gradu reponant. Non audiamus hæc ego dico, hæc tu dicis: sed hæc dicit Dominus, inquit Volanus, Bene est. Dicit ergo Do-

Fundamen-
 tum Theolo-
 giæ Zuingli-
 anæ.

ergo Dominus accepto pane in sanctas ac venerabiles manus suas: Hoc est corpus meum. Hæc non ego dico, nec ille dicit, sed dicit Dominus. Aut Dominicam vocem agnoscat, & credat: aut esse eius vocem neget, vt merito non credat. Si non est ista vox Domini: nec illud est, ex quo eruitur Euangelium. Vnde ergo dicuntur Euangelici? Si verò vox est ista Domini, vox ipsius Euangelij: cur non credit? Credo respondet, dixisse Christum accepto pane: Hoc est corpus meum: sed tali sensu, vt panis ille, non sit corpus, sed figura & signum corporis Christi. Ergo non Christo, nec Euangelio, sed suæ interpretationi credit. ¶ At intulerat homo incogitans: Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei. ¶ Auferamus ergo omnes hominum interpretationes, sonet sola vox Dei in auribus nostris: Hoc est corpus meum, quis ergo sanus mente, pro corpore figuram corporis accipiet? Procedat, inquit, codex Dei, procedat & dicat: Accepit Iesus panem, & gratias agens, benedixit & dixit: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum. Ex ore ergo suo iudicetur seruus nequam. Ad nu-

Ore suo condemnatur ad uersarius.

dam Dei vocem sine Concilijs: ad scripturam
 sine humanis vt vocat traditionibus: ad codi-
 cem Dei, sine vllis alijs chartis, prouocauit.
 En nuda vox Dei, en codex ipse Dei, sacrile-
 gum eius de figuris commentum condemna-
 uit. Qui non hoc cogitat, vt Deo & codici ei-
 ius, sed vt potius suo cerebro & Caluini Zuing-
 glijque inuentis credat. Nos codicem Dei & Eu-
 uangelij proferimus: ille Magistri sui Cal-
 uini codicem compellat, & illa spectat, quæ
 dixit Zuinglius, non quæ professus est Chris-
 stus, Condemnatus ergo ore suo, non Euang-
 gelicus esse, sed Zuinglianicus deprehēditur.
 Aperto & simplici Dei verbo & Euangelij cō-
 tempto: traditiones Berengarij, Zuinglij &
 Caluini adorat: & quod Catholicis & Chris-
 tianis iniquè tribuit, ipse iustissimo Dei iu-
 dicio excoecatus amplectitur: non verbum
 Dei, sed traditiones Apostatarum fidei, salu-
 tis suę ponit fundamenta. Nihil ergo ampli-
 us ad hanc detegendam imposturam, qua Eu-
 uangelicos se iactitant, & in ipso suę sectę ve-
 stibulo repugnare Euangelio deprehendunt-
 tur, desiderari potest. Hoc restat inferendū,
 huc collimare istos Euangelicos, vt totum vi-
 lescent

Codex Cal-
 uini, pro co-
 dice Dei hæ-
 reticis,

Iescat Eūangelium, & nihil ponderis ac ma-
iestatis, ad constituenda fidei salutisq; nostre
dogmata sacrae scripturae relinquatur. Ad
quam rem dolus Satanæ complures aditus
per eos adinuenit, quorum ille primus est: cū
Ecclesiam Dei vel ignorant, vel blasphemant.

Quatuor ad-
itus hærtico-
rum, ad con-
tinnendam
sacram scri-
pturam.

Fatetur aduersarius: Ecclesiam Dei hanc
esse, per cuius manus, ad nostram ætatem, sa-
cre sunt tradita scripturae: & quæ veras eas
esse & genuinas testatur: hocq; depositum
fideliter custodit, cū inquit: ¶ Verè Augu-
stinus Euangelica esse scripta, quæ per ma-
nus Ecclesiae ad eius ætatem peruenerunt o-
stendit. Ecclesiam tanquam testem appellat,
vt quæ hunc tesaurum apud se depositum fi-
deliter custodierit, et ab ipso Christo & A-
postolis profectum testimonio suo com-
probauerit. At cū Ecclesiam vel ignorat,
& latere eam in obscuro quodam paucorum
hominum angulo arbitratur: vel eam quæ
omnibus est in luce clarissima conspicua, mē-
daciū arguit & blasphemat: in summum disci-
men ipsas scripturas cōiicit: vt vel sine teste
nulla sint authoritate venerandæ, vel testem
habeant suspectum & mendacijs assuetum.

I. Ignorare
vel blasphe-
mare Ecclesi-
am Dei.

Ecclesia vbi
fuerit tempo
ribus Beren-
garij, quæsti
hæretici quid
dicant.

Vtrunq; ad auferendam sacre scripturę fident
maximum pondus habet. Quæsitus à me ad-
uerfarius: vbinam fuerit ante tempora Ber-
rengarij: & illa qua vixit, & sequente ætate,
vera Dei Ecclesia, cum magnum illud Lateran-
neñ Concilium sub Innocentio Pont: Max:
celebraretur, & pro Transubstãtiatione mil-
le ducenti Ecclesię Pastores, partim Græci,
partim Latini decernerent, Berengarij; re-
liquias extirparent. Si illa quę eius hæresim
condemnavit, vera Ecclesia non fuit? vbi nã
permanerit columna illa veritatis? quę non
in chartis, sed in cordibus fidelium viget, &
in oris confessione est conspicua: illa quę est
in monte posita: illa cuius est in sole taberna-
culum: illa quę per successionem Episcopo-
rum, & cum populis eorum curę subiectis, in
vniuersali omnium gentium consensu & per
duratione, ab ipsis Apostolis, ad nostra vsq;
tempora non interrupta serie traducitur?
Cum se in omnes partes versasset, tandem
quæstionis difficultate contortus, ad illa ver-
ba reducitur: ¶ In communi, inquit, Pasto-
rum errore & excecatione, aliquas reliqui-
as Ecclesię, in reliquo populo Dominus con-
seruauit

seruauit. Et paulò post: Veri, inquit, Dei cultores, in exiguo aliquo hærent angulo, & ad summas quasdam angustias reducuntur.

Et alibi inquit: Pars melior, hoc est Berengarij, superata est à maiore. Hoc est, à Concilio œcumenico, magno illo Lateranens. In quo responso tria complexus est, quæ veræ Christi repugnant Ecclesiæ: carere scilicet

Triâ repugnant veræ Ecclesiæ,

veris Pastoribus, angularem esse, ac superari. De vera enim Ecclesia Apostolus dixit: ei

datos esse Pastores & Doctores, non ad tempora tantum Berengarij, sed ad consummationem

1. Corint: 12.

Ephes: 4.

omnium sanctorum. Qui si errant & excecantur omnes, idem est atque non sint, lupi potius quam Pastores dicerentur. De eadē Ecclesia testatur scriptura: illam esse montem & domum

Matth: 5.

Dei Iacob, montem gentibus omnibus conspicuum: ad quem ut ascendant mutuo se apud Prophetam exhortantur, dicentes: Veni

Esaiæ 2.

te ascendamus ad montem Domini, & ad montem Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion

exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Illa est Hierusalem, quæ ædificatur ut ciuitas,

Psal. 147.

& illa ciuitas, quæ supra montem posita, abscondi

Matth: 5.

ulix m. 5

fcondi non potest: obscura ergo esse & in an-
 gulo aliquo hærere nequit vera Ecclesia.
 Præclare ergo Augustinus in Psal: xvij. con-
 tra Volanum, & contra alios Volano similes,
 qui per mille fere annos quærunt Ecclesiam,
 in speluncis & in cauernis latentem, hæc ver-
 ba scripsit: *In manifestatione posuit Ecclesiam suam,*
non quæ lateat, non velut operta, ne forte fiat sicut operta
super greges hæreticorum. in sole posuit tabernaculum su-
um: Quid tu hæretice fugis in tenebras? quid per angulos
fugis? quid latitare conaris? In sole posuit tabernaculum
suum (hoc est sanctam Ecclesiam suam, in manifestatione
posuit sponsus, vt paulò antea explicauerat ipsemet Aug.)
 Ad extremum, magnifica illa promissio Chri-
 sti testatur, veram Ecclesiam à portis inferi
 nunquam superari posse, vt eo ipso quod su-
 peretur, degenerem se, nec veram ostendat.
 Certum ergo iam erit, & in descriptione Eccle-
 siæ eiusq; cognitione, errare aduersarios,
 & per talem qualem fingunt Ecclesiam, scri-
 pturam sacram summum contemptus pericu-
 lum subire. Nam si Pastoribus & Ducibus ve-
 ris caruit; non habuit per quos, pro scriptura
 sacra, verū & minimè suspectū ederet testi-
 monium. Si obscurus in angulo hæsit: obscurus
 & angularem testem se, ideoq; fugiendus
 dum exhi-

Matth: 16.

dum exhibuit. Si verò à maiori parte superata est: depositum scripturarum non conseruauit, sed eundem est passa cum scripturis interitum. Iam nihil aliud restabit, quàm vt ad Ecclesiam Romanam oculos conuertant: illa enim est sola, quæ per continuam Episcoporum, & eis subiectorum populorum, ab ipsis Apostolis successionem, & vniuersalem in omnes gentes & regna diffusionem, scripturarum thesaurum, per manus ab Apostolis traditum conseruauit: Quod & ipse Luterus (cuius Volanus laudes celebrat, & sententiam de Eucharistia contemnit) confitetur, Romanam Ecclesiam veritatem scripturarum, ab Apostolis acceptam, integerrimè conseruasse: & omnes quotquot sunt heretici fateri, à Romana Ecclesia accepisse se scripturas, coguntur. Iam spectemus, qua constantia maiestatem et fidem scripturarum tueri possunt, cum eam ipsam Ecclesiam Romanam, meretricem Babyloniam, & sedem Antichristi esse criminantur. Nonnè hoc ipso scripturarum totam auctoritatem euertunt & prosternunt? Quid enim ab Antichristo, & mendacijs assueto, integri & veripro scriptura testimonij expe-

Romana Ecclesia fideliter scripturas conseruauit.

ctari potest? Constat ergo per istos, astuto nec segni, et quod vix quandoque ipsi ministri eius deprehendunt consilio, Satanam hanc rationem iniisse, vt columna veritatis obscurata vel commaculata, & in suspicionem mendacij adducta, scripturas ipsas sacras, quæ ab ipso testimonio Ecclesie dependent, & quarum Canonem illa in Concilijs præcipuè, quæ Volanus contemptui obijcit, promulgat, omni autoritate spoliare possit.

II. Amputatio sacrorum librorum.

Secunda via, spoliandæ autoritate sua scripturæ sacræ, illa est hæreticis vsitata: licere sibi putant quosdam libros sacros, vel eorum sententias reijcere, & pro suo arbitratu suspectam eorum facere fidem: illorum præsertim, qui apertius eorum obsistunt erroribus. Aliqui à sacro Canone Machabeorum libros amputant: vt orationem pro defunctis, Purgatorium, & sanctorum preces pro nobis tollant. Alij epistolam ad Hebræos, alij D. Iacobi abnegant: alij quædam D. Ioannis Evangelij capita mutilant. Volani Magister Petrus Martyr, D. Ioannis caput 6. cardinem omnium errorum appellauit: Calvinus vero contra Vestualum scribens, Diuina illa verba: Hoc

Vestfal: de verbis Cœne & Apost: in Caluin.

ba: Hoc est corpus meum, Aiakis clypeum & vnicum Papistarum asylum vocitans, irrisit. Habeat ille suum asylū, & proferat suū suo Volano Euangeliū, ex quo illa verba, quæ tā topere odit, expungat, vt suas figuras verum omnium mendaciorum asylum constituat.

De nobis nihil potuit honoratius prædicare, quàm quòd vnicum Dei verbum sit nobis asylum, illis ludibrium: nobis contra ignita tela hæreticæ impietatis inuictus clypeus, illis damnatio & confusio æterna. Hæc omnia mirum in modum diuinarum literarum auctoritatem deprimunt, cum eas quisq; abijciendi, amputandi, irridendi sibi sumit, & aliis præbet facultatem. Idem de sui temporis hæreticis quæritur Tertulianus his verbis:

Lib: de præf: Hæretic.

Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi plane aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri.

Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus: variæ presumptionis necessario volunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur.

Sed & illud ad subuertendas sacras scri

III. Transla
tionum vari
etas cōtraria.

pturas illis est familiare. Verba Spiritus sancti, diuersis ac contrarijs, pro suo quisq; arbitratu translationibus, contemptui & summe confutioni obijciunt: in quibus multa falsa & adulterina inserunt: vel nihil propè certi in utroq; testamento relinquunt. Quælibet secta habet sua Biblia, permultum in translatione diuersa imò contraria. Alia sunt Gallica Bezanorum: alia Theutonica Luteranorum: alia Anglica Calvinistarum: alia Anabaptistarum, alia Trideitarum, alia Zuinglianorum: in quibus tot leguntur diuersitates quot sectæ: tot errores quot ipse chartæ: tot fraudes, quot priuatorum opiniones, quas trãslator quisq; addictus suo idolo ingerit, flectens diuina verba & corrumpens. In tanta multitudine traductionũ, ignorant ipsimet quæ sit sincera & natiua, & quod nam sit illud verbum Dei, adeò miserè ab ipsis tractatum: vt non iam Dei verbum, sed trãslatorum rhetoricationes, & linguarum exercitationes videantur: & tota eius authoritas atq; testimonium, à fide transferentium, dependeat. Hoc & ipse agnoscit aduersarius: ¶ Enthusiaste, inquit, Libertini, Trideitæ (addere debebat, Zuingli

Non habent
hæretici in suis
Biblijs purum
verbum
Dei.

Zuiugliani, Lutherani, Caluinistæ) in scriptu
 ris truncandis, violandis, & in alienū sensum
 torquēdis, purā & natiuam verbi Dei faciem
 adulterant, placitisq; suis subseruire cogunt.
 Hæc de seipso etiam vere dixit: Quem ergo
 honorem diuinis libris relinquunt? imò quid
 ad abolendam eorum fidem prætermittunt?

Vltimus ille est ad lacerandam sacram scri
 pturam hæreticorum modus, omnibus alijs
 nocentior. Licere omnibus, cuiuscunq; sint
 ordinis, etiam ex mediâ plebe & officinis, sa
 cras literas pro arbitrio interpretari, & à
 quocunq; etiam ab ipsa vniuersali Ecclesia &
 Concilijs, ac omnium seculorum Doctoribus
 enodatas, ad placitum examinare, recipere
 vel damnare. nec esse vllum Magistratum in
 terris, secundum cuius præscriptum, intra
 metas se quisq; certæ intelligētiae contineat,
 & suo neglecto sensu, relictum & approbatū
 à maioribus sequatur. Hoc Volanus docet,
 ad hunc non ferendum sacrarum legum con
 temptum omnes conuocat, inquiring: ¶ Au
 gust: testatur toties, nullā se Ecclesiā agnosce
 re, nulla authoritate Cōciliarū & Episcopos
 rū permoueri, nisi veritatē in sacris literis cō

III. Inter
 pretatio o
 m̄nium pro
 miscua, omni
 bus commu
 nis.

prehensam se tenere demonstrent. Non Augustinus hæc, sed Volanus testatur, & qui dem falso. Non ea arrogantia præditus fuit vir sanctus, vt Episcopos & Concilia legitima contēneret, aut ea in rebus fidei aberrare, aut à scriptura alienum aliquid afferre posse crederet, suumq; illis iudicium præferret. Dicentem illū pro se contra calumniatorē au-

De Bapt: cō-
tra Donat: li-
bro 4. cap: 6.

diamus. *Ne quisquam, inquit, dicat, quod accepimus ab Apostolis, hoc tenemus: quanto robustius nunc dicimus, quod Ecclesiæ consuetudo semper tenuit, quod hæc disputatio dissuadere non potuit, & quod plenarium Concili-*

D. Augustin:
Concilijs su-
um subiecit
iudicium.

um confirmauit, hoc sequimur. Et ibidem: Quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio præferendum est.

(Et D. Cyprianum illo excusat modo:) Satis ostendit facillimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret, Baptismū Christi sic dari posse ab his, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent. Vnde multa iam diximus. Nec nos ipsi tale quid auderemus, nisi vniuersæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati: cui & ipse sine dubio crederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata & declarata, per plenarium Concilium solidaretur. Ipse de se prædicat vir sanctus, nihil se certius in rebus diuinis habere, quàm quod plenario Cōcilio, ac vniuersæ Ecclesiæ statutis solidatum est & firmatum: Vos

tum: Volanus vero, illum sui suorumque simi-
 lem facit, contemptorem omnium, atque adeo
 superbum: ut qui ne iudicio quidem Concilio-
 rum cedere sciat, sed ea potius suae censuræ,
 an secundum scripturam doceant, subijcere
 nitatur. Volani est ista, non D. Augustini,
 nec Catholicorum elatio. Nos cum D. Augu-
 stino, Ecclesiæ & œcumenicis legitimisque Cõ-
 cilijs, ac Petri Cathedræ præpositis, sente-
 ntias nostras (regi nos per illos à Spiritu san-
 cto certissime credentes) subdimus. Hæreticus
 contra illa eructat: Nunquam tu, in-
 quit, clamore tuo efficies: vel si rumparis
 medius: ut tota cura in Romanos Sacerdo-
 tes reiecta, oves Christi hac libertate spoli-
 entur: ne & ipsæ summo studio ac diligentia
 veritatem verbi Dei inquirent, & cum omnia
 iuxta præceptum Apostoli probauerint, id
 quod bonum fuerint teneant. Egregias oves,
 quibus licet ferre de Pastoribus iudicium, &
 quas maiore ingenio & peritia scripturarum
 quam in ipsis sit Pastoribus, prædicas esse oportet.
 an hoc est ouium munus? an non hoc est
 despiciere parentes? tumultuari puerum con-
 tra senes? ignobilem contra nobilem? plebem
 contra

Calumniæ in
 D. August.

Quomodo
 accipiunt hæ-
 retici illa ver-
 ba: Omnia
 probate. 1.
 Thessalon: 5.
 Esaiæ 3.

contra Magistratum? An non hoc est vocatus ad ouile gubernandum, & donis Dei ad tantum ministerium instructos, ad calculos imperitissime plebis, quæ nullum est munus docendi in Ecclesia sortita, reuocare: & ad prophanos, de rebus diuinis & occultissimis mysterijs iudicium deferre? Qua confusione, quid totus orbis vidit turbulentius? Quid vnquã simile Apostolica tradidit disciplina? An non oues obedire Præpositis, & eis subiacere, tanquam ihs, qui pro earum animabus reddituri sunt rationem, præcepit? Omnia inquit, oues probate: hoc est, sacrarum literarum penetrabilia perquirite: nihil credite, etiam si Concilia, & totius orbis Doctores, & legitimi vestri Pastores tradant: nisi quod ipsi ex lectione Bibliorum ita esse didiceritis, prius propositam doctrinam a Pastoribus, vestro examini subiicite, postea vel reprobate vel tenete. An hoc est verba Apostolica interpretari? an non hoc est sacra dicta Spiritus sancti adulterare, & omnem totius ordinis & discipline dissolutionem, non modo contra scripturam: sed & contra legem ipsam naturæ & rationis prædicare, & omnia præposita,

stera, transuersa & portentuosâ inducere ?
 Quid stultius vnquam fingi potest ? quàm ru-
 des de Doctoribus, discipulos de Magistris,
 Catechumenos de Catechistis ferre sententi-
 am ? Probari omnia Apostolus iubet, sed nō
 ab omnibus : nec enim omnes sano, solido, &
 diuino sunt præditi iudicio : nec omnes sunt
 Doctores, nec Prophetæ, inquit Apostolus :
 sed à peritis dispensatoribus verbi Dei, ab his
 qui artem tenent, & ad res spirituales iudi-
 candas atq; discernendas, talentum à Domino
 perceperunt. Si enim precium margaritæ
 probaturus eam, ad sutorem vel fabrum fe-
 rat, & ab eo iudicium de re, ab eius cognitio-
 ne atq; professione aliena expectet : qua irri-
 sione dignus iudicabitur ? Sed ille est dolus
 Zuinglianicus, ad contemptum sacrarum lite-
 rarum inductus, quem nos hîc denudatum
 esse cupimus. Quem tandē aperte prodidit &
 euomuit Volanus inquiens : ¶ Nemini licet
 quicquam in Ecclesia Christi statuere, quòd
 nulla scripturarum authoritate fulciatur, li-
 berumq; esse omnibus (audi obsecro pie Le-
 ctor, & ad hanc vocem contremisce) ouibus
 Christi, quocunq; tandem id titulo traditum
 fuerit

Probatio do-
 gmatum qua-
 lis adhibenda.

1. Cor : 12.

Libertas E-
 uangelicorū
 qualis ?

”

”

”

”

”

fuerit repudiare. Hoc est, siue dicat Christus, siue vniuersalis per orbem in Episcopis & Concilio tota Ecclesia: siue omnium temporum & gentium traditio: siue totius antiquitatis & Doctorum autoritas: siue omnium populorum Christum colentium consensus & fides. Hoc est corpus meum: verba hæc sensu simplici sine vlla figura accipienda & credenda esse: Si aliter Zuinglius, Caluinus, & eorum discipulus Volanus iudicat, vel alicui ex media plebe diuersum videtur, repudiare hoc cuique etiam priuato licitum esse: hocque idem in alijs fidei partibus concessum cuius esse. O turbulentum & detestandum totius seditionis caput, sententiam ad perpetuas contentiones fouendas, ad omnes hæreses disseminandas, ad pacem & quietem subuertendam, ad omnem ordinem & disciplinam couellendam, & solè, vt ita dicam, ex hoc mundo auferendum inductam: Eo sanè demerita homines excecati deuenere, vt contra se ipsos nihil statuere possint crudelius. Quomodo enim suos discipulos gehennæ socios in officio retinebunt? Ideo tam seditiosæ sententiæ, in tot sectis & rebellibus discipulis, meritam.

Ipsi contra se
promulgant
decreta.

meritam reciprocae inobedientiae recipiunt poenam. Ad Anarchiam introducendam, ad omnem ordinem ex hoc mundo tollendum, hominum istorum ingenia feruntur. Iam ergo qui se honorem deferre maximum sacris scripturis fingeat, cum eas omnibus pro suo arbitrio, contra quoscunque diuinos Magistratus, interpretandas & contorquendas liberum esse praedicat: imo omnibus etiam porcis proficit: nihil illis honoris, nihil maiestatis iudicat esse relinquendum.

¶ At nos Catholici qui non Sacramentarii Christiani non Zuingliani, vocamur & sumus: tale consuetudinem non habemus: sed solidam, veram, summamque auctoritatem sacrae scripturae, non hanc hypocriticam tribuimus. Ad quam tuendam & conseruandam, & in summo semper honoris gradu collocandam, illas fortissimas munitiones adhibemus.

Ecclesiam scilicet Apostolicam, continua in Romana Petri Cathedra successione Episcoporum decurrentem, magnam illam & vniuersalem, qualem sacra eloquia depingunt, in omnium nationum fide diffusam, & in omnibus seculis neququam interrupta serie per-

C ij

durans

¶ Arma Catholicorum in tuenda scripturae S. auctoritate.

I. Ecclesia pro scripturis testificans.

durantem, omnium oculis cōspicua, anti-
quam, & fortissimam, atq; nullis casibus labe-
factatam, nunquam mendacię conuictam, ab
omnium seculorum Doctōribus & cecumeni-
cis Concilijs commendatam & agnitam, nun-
quam sterilem, sed semper in conuersione
Gentium, Regnorum, et Insularum: etiam in
vltimis terrarum finibus fecundam. Hęc
quippe sola pro scripturis sacris, per Conci-
lia præcipuè: non angulare & obscurum,
sed toti mundo notissimum & clarissimum
profert testimonium: illa esse Spiritus sancti
oracula: ista à D. Matthæo, Marco, Luca, Ioh-
anne, Paulo, & reliquis conscripta, & relicta.

Contra epist:
fundam: Ma-
nich cap: 5.

De hac dicit D. Augustinus: *Euangelio non crede-
rem, nisi me Catholica Ecclesie commoneret autoritas.*

Ammissa Ec-
clesia, veritas
amittitur.

Hęc est columna & firmamentum veritatis:
qua stante, stat scripturarum autoritas: qua
fluctuante, librorum etiam sacrorum peri-
clitatur maiestas. Quod contigisse hæreticis
videmus: amiserunt veritatis columnam Ec-
clesiam: veritatem quoq; scripturarum, quã
tueri sine Ecclesie autoritate non possunt,
amittant est necesse. Spoliati enim Ecclesie
testimonio, scripturarũ autoritatẽ et digni-
tatem

tatem fulcientis, vnde sint & a quo profectæ, probare & certò affirmare nihil valentes, ignorabunt. Vocem cuiusdam Anabaptistę ad Ecclesiam redeuntis audiui: Nisi, inquit, pro autoritate scripturæ sacre, Romana Ecclesia tanta in eius veneratione cōstantia staret: iam pridem illam hæretici cum Æsopi fabulis coguissent.

Vox cuiusdam
Anabaptistę.

Habemus & traditionem sine scripto, pro eisdem S. voluminibus stantem, omnium nationum & ætatum, quæ Christi fidem in Ecclesia receperunt, non interruptam possessionem, quæ hos libros tali honore qualem illis exhibemus dignissimos esse pronunciat.

II. Traditio
pro scripturis

Quam quia in omnibus repellunt hæretici, et solo scripto omnia probari volunt, fidem scripturarum profligant & pœnitens amittunt.

Hæretici vnde sit scriptura, probare non possunt.

Quomodo enim scripto Dei verbo, has esse diuinas scripturas probabunt? Quod si traditionis fide, ad sacras literas fulciendas vti velint: idem de alijs fidei nostrę partibus sine scripto traditis, quas vrgemus, faciendum sibi esse existiment: quod vt declinent, sicut stultorū mos est, dum minora ne amittant metuunt, perdunt ampliora. Malunt totam

causam, hoc est ipsas scripturas, quibus putant
sua dogmata stabiliri, in extremum discrimen
conijcere: quam aliquod dogma sine scripto, so-
la traditione commendatum, recipere.

III. Depositi
fidele pro
scripturis.

Habemus & depositi in sacra Romana Ec-
clesiæ integritate commendatissimam fidem,
quæ hunc thesaurum sacrorum voluminum
integerrimè custodiuit, & ad hæc secula per-
duxit: quod & ipsi aduersarij etiam inuiti a-
gnoscent. Quam nihil timuit hæc S. Ecclesia
tella illa, quæ hæretici contra ipsam ex eius
pharetra depromunt. Qui thesaurus si fuisset
creditus Luthero, vel Caluino, vel Anabapti-
stis, vel Tigurinis, vel Martyri: quantas frau-
des, furta, sacrilegia, in eius direptione passi
fuisset. Nec Machabæorum libros, nec Epi-
stolam ad Hebræos, D. Iacobi, D. Petri: nec
aliquot capita Ioannis: nec verba illa: Hoc
est corpus meum. nec alia permulta nobis re-
liquissent integra, plurima fuissent demoli-
ti, præsertim si eorum potestas per totum orbem
cum Romæ Pontis: fuisset exæquata. Satis sunt
perque temporis & virium ad ista exterminan-
da habebant Romæ Pontis: si vel ea sibi obesse pu-
tassent, vel depositi fidem violare voluissent:

Thesaurum
scripturæ quo
modo con-
seruassent hæ-
retici.

Pont: Rom:
nihil, ne api-
cem quidem
scripturæ sa-
cræ violarunt

quam

quam isti in pauco annorum spacio ita violarunt, vt cum ne apicem quidem S. Rom. Ecclesia, ab antiqua & per manus tradita, translationis veritate mutare, per mille quingentos annos sit ausa: illi non verba, non sententias tantum mutarunt: sed libros etiam integros auferre & abolere conati sunt: totaque scripturam sacram per impias ac sacrilegas traductiones, deprauarunt & adulterarunt.

Habemus & vnus antiquissimæ & nunquam mutabilis translationis, in sacris libris inconcussam & immotam maiestatem, quam retinemus firmissimè, traditum & exploratum habentes: eam solam certissimam & purgatissimam habere diuini verbi fluentam, ad quæ, & Græci & Hæbraicæ linguæ assueti, suam iam adulteratam ab hæreticis & Iudæis habentes, & totus oriens & occidentes, omnium linguarum doctissimi, accurrunt, in ea sola veram & certam depositi fidem agnoscentes.

Quæ nisi vna & certa & mordicus retenta fuisset nihil certi vnquam in sacris literis, ad probanda fidei dogmata haberetur: sicut accidit, & accidet semper hæreticis. Nihil potuit sanctius, etiam nunc in SS. Tridentino Concilio de-

IIII. Antiqua, & vna authentica translatione scripturæ S.

cilio de-

Concili: Tri-
dent: sess: 4.

Magistratus
spiritualis, E-
uangelium a-
nimatum.

Ecclesia non
potest errare,
nec cōtra scri-
pturam ali-
quid statuere

cilio decerni, quàm vt vetus & vulgata edi-
tio, quæ tot seculorum vsu ab ipsa Ecclesia
probata est, pro autentica haberetur, & su-
premam authoritatem obtineret.

Habemus & Magistratum Christi, ad in-
uestigandum & degustandum genuinum sen-
sum sacrarum literarum: Pastores & Docto-
res, in Conciliis præcipuè legitimis congrega-
tos: sine quo animato & viuo Euangelio,
nulla esset definita & certa sacrarum legum
sententia. Quisq; pro sua opinione, quod fa-
ciunt hæretici, diuina verba venaretur, nul-
la pax Ecclesiæ, nulla schismatum repressio
sequeretur. Certissima fide ducimur, à Chris-
ti Dei nostri promissionibus, & infusis eius
donis Spiritusq; sancti, qui Ecclesiæ est Re-
ctor & curator gubernatione perfecta, Eccle-
siæ capita, coniuncta summo Christi vicario
Petro Romano, cui dictum est: Non deficiet
fides tua: Confirma fratres tuos: Pasce oues
meas, aberrare in scriptura interpretanda
nunquam posse: nec quicquam contra sacrã
scripturam & eius genuinum sensum, ab eis
promanare credibile esse: Error enim ipsor-
um, in ipsum Christum, quod dictum est ne-
farium

nefarium delaberetur. Qui & eis & eorum
 semini usque in æternum, Spiritum veritatis
 ad regendam Ecclesiam suam, se collaturum
 certissimo est pollicitus. *Hoc fœdus, inquit, meum*
cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & ver-
ba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de
ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Domi-
nus, amodo usque in sempiternum. Parere, denique cum nos
 Pastoribus præcepit: Si stultos ipse ponit Pa-
 stores, non noster esset, sed eos constituentis
 error. Nec sumus tam vecordes, ut quod à le-
 gitimis Episcopis & Pastoribus definitur, il-
 lud nostro iudicio examinique subijcere veli-
 mus: sed postquam eos verè à Deo missos, &
 Cathedræ Christi præpositos legitime scia-
 mus, illud solum prudentes & simplices solis-
 citè seruamus: Qui vos audit, Christus in-
 quit, me audit: Credite Domino, credite Pro-
 phetis eius: Crediderunt Domino & Moyse ser-
 uo eius. Prudentiæ officium sequimur: cum
 eos missos, & Christi legationem habentes,
 probamus: simplicitatem autem cum eis, vel
 potius Christo ipsi in eis: sine vlllo eorum que
 docent, examine paremus. Atque ita sacras le-
 ges summo honore afficimus, cum has Pasto-
 ribus nos

Esaiæ 59.

Hebr: vltim.
 Actuum 20.

Lucæ 10.

Exod: 14.
 2. Paral: 20.

D

ribus nos

nibus nostris declarandas, & iuxta certissimā
& indubitātā veritatis regulā enodandas re-
linquimus. Quibus solis penitiora tabernacu-
li ingredi, & tractare sancta sanctorum con-
cessum est: quæ alijs etiam curiosè intueri,
non solùm attingere, mortis est comminatio-
ne à Deo prohibitum. Præmansum cibum à
nostris nutricibus, capimus: claves vni ad
hoc penum datas, non eripimus: nec nisi per
ostium ingredimur, mensuram tritici ex ma-
nibus Præpositi familiæ Dominicæ, tem-
pore opportuno sumentes: prout communis
omnium Dominus constituit: qui ordinata
omnia (& honestè, & secundum ordinem
dicēte Apostolo sicut) in domo sua reliquit.

Leuitic: 16.

Numer: 4.

Matth: 16.

Ioann: 10.

Lucæ 12.

1. Corin: 14.

Quod verò affert aduersarius: Pont: Rom:
& hūc diuinum Conciliorū ac Doctorū, Ma-
gistratū, nō plenam in sacris scripturis inter-
pretandis præstare fidem, sed multa detorto
sensu tradere: non probat vana loquacitas,
nec potest. Affert in exemplū: Oraui pro te
Petre, vt nō deficiat fides tua. Et illud: Ecce
duo gladij: quasi ad firmandū primatū Rom:
Pont: iniquè ista detorquerētur: & illud de E-
lisæo mittēte sal in aquas, ad aquā benedictā.
Et illud: Hoc facite, pro offerre. Tametsi ne

celle non sit ad singula respondere, & ex re vna in aliam deflectere, propositoq; relicto, garrulitatem aduersarij imitari: tamen conuiciatur nos impiè cum dicit, à nobis doceri, vt Pontificibus liceat, omnibus sceleribus & brutis, animas in gehennam trahere. Nec minor est calumniæ vanitas, cum iactat: tradere nos, licitum esse Pontif: novos fidei articulos condere, & traditos in scriptura abolere. Confinxit hoc veterator, nec probat: ad æternam suæ indolis memoriam relinquendam: & vt testatum fiat, qualis eius in reliquis fides existat. De duobus porro gladijs, mysticos sensus quosdam Doctores esse secutos: si repræhendit, tota causa ipse cadat oportet, qui pro figurato & mystico sensu, in his verbis: Hoc est corpus meum: totis viribus depugnat. Ad aquæ autem benedictæ vsu firmandum: alia de quibus vanitati huic reddenda ratio non est, habemus fundamenta. Facere autem pro offerre, in sacris literis toties vsurpari, imperitia ista ignorat, loca margini ascripta circumspectat si vult. Cæterum cum quærit, & nobis hanc interpretati onem exprobrat: Hoc facite, id est offerre:

Horendæ calumniæ.

Facere pro offerre.
Leuit: 15.
Numer: 6.
Iudic: 13.
Lucæ 20.

D ij

Hoc ne

Hoc ne est, inquit, Petre scripturas interpretari? Cur sui est oblitus, & nō potius addidit: Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei & signum? cur, inquam, suo Caluino nō exprobrat dicens: Hoc ne est scripturā Caluine interpretari? Vnde illi hæc interpretatio? vnde ad eam inducendam authoritas? Summi Pontifices Romani, quos orbis vniuersus, successores esse Petri, & Pastores ouium Christi agnoscit: libri orthodoxorum Patrum, & Conciliorum œcumenicorum sententiæ prædicant: vsus ipse huius potestatis, & per tot secula non interrupta eiusdē possessio proclamant: (à qua illos amouere inferni portæ vllæ hactenus non poterant, nec amouebunt in æter nū) ius habent legitimū scripturas interpretandi, & hunc panem frangendi. Volano verò & eius Magistro Caluino, vnde huius iuris ad talem tam nouam, impiam, inertem, & priuatam additionem, & Christi verborum pollutionem origo? Laicus, de media plebe, in aulis vti gloriatur educatus nec titulo Doctoris insignitus, domus et vxoris liberorūq; cura oppressus, plura sibi vsurpat quàm Summi Pontif: non æquale solum ius, verum multo etiam

Corpus pro
figno, quæ
scriptura acci
pit.

Authoritas
Volani ad in
terpretandas
scripturas.

tò etiam amplius sibi, ad interpretandas sacras literas iniquissime vendicat. Neq; enim Pontifex vllus, sine Conciliorum autoritate, vel saltem absq; aliquorum Ecclesiæ primatum consultatione, quicquam de rebus fidei, & diuinorum verborum interpretatione decernit. Volanus priuatus, hoc sibi & cuiq; impertissimo & prophano, licere putat. Vnde illi tanta sine vocatione temeritas? sine publica autoritate & missione impudentia? & Ministrum quidem vocari se non patitur, minusq; hoc Zuinglianicū erubescit, sibi tamen non constans, impiam doctrinā libellis spargit, & ignorantes seducit. O Dei cum homine isto patientiā. At obijcit Panormitanū & Gersonem dicere: plus esse vni laico credendum, si secundum scripturā loqueretur, quā toti Concilio contra S. scripturā. Vtinam haberet iste Gersonis & Panormitani fidem, qui tanta pro firmanda Conciliorum & Pontificum autoritate scripserunt. Certè detestandum illud dogma, quod censet: magis esse credendum vni laico, quā toti Concilio legitime celebrato: nusquam Volanus, vel apud Gersonem, vel apud Panormitanum re-

periet: cum potius in extollenda Conciliorū
 authoritate, modum excefferint. Quòd si Pa-
 normitanus de Pontifice Romano, minus di-
 gna aliquando locutus est, non illum in
 hac parte curamus: vt qui Concilio
 schismatico Basiliensi
 adhæserit.

C A P V T S E- C V N D V M.

Zuingliani & alij hæretici, fidem vbiq; verbis ia-
 ctitant: re ipsa autem sine vlla diuina fide, sensu
 & humana ratione ad oppugnandam Christi fi-
 dem ducuntur.

Iactatio fidei
 in Calumnistis



MIRA est istorum in predican-
 da fide ostentatio. In ea excelle-
 re se nimium iactitant, illi & so-
 li omnia tribuunt. Sola se fide
 baptizari, sola iustitiam conse-
 qui, sola corpus Christi manducare, sola in
 cœlum volare, vt ibi manducent, gloriantur.
 Per illam corpus Christi in Sacramento con-
 stituunt, per illam se tanquam iustos viuere,
 per illam

per illam omnia, quæ operum sunt consequi,
per illam sine vlllo externo cultu adorare De-
um, & precari continuo, per illam abstrahi
se suo spiritu suos animos à corporis sensibus,
nec amplius in terra consistere iactitant. Pu-
tares illos magnam, & illam Dominico præ-
conio commendatam consecutos fidem. Cœ-
terum vbi excutere hanc eorum fidem cœ-
peris, vacuam domum inuenies. Non modo
Diuino illo fidei Catholicæ dono, & habitu
ad credendū omnia, quæ Deus per Ecclesiam
proponit inclinante, carere eos animaduer-
tes: sed etiam illa, quæ Iudæis in dando mu-
tuo est peculiaris, præditos esse fide, videbis.
Cum enim ex electione & opinione credunt,
non quod dixerit, qui fallere non potest per
suos legitimos interpretes Deus: sed quod il-
lis rectum & in scriptura apparens, & palato
eorū cerebroq; fumāti cōueniens videtur: cū
deniq; missos à Deo & Prophetas veros repu-
dient, nec speciosos euangelizantium, quorū
iam in omnem terram exiuit sonus, habeant
pedes: sine quorum auditu non datur fides:
(quomodo enim credent & audient sine præ-
dicante, quomodo vero prædicabunt nisi
mittant

Fidei proprie-
tas & essen-
tia.

Roman: 10.

¶ Tria propugnacula
Zuingliano-
rum.

mittantur?) dubitari nequit omni eos Diuina illa destitui fide, ideoq; inter infideles recenseri. Ad sensuum autem iudicium, ea que Deus per suum verbum, & veros suos nuncios proponit, reducere eos multa, in hac Sacramenti materia ostendamus. Obiter vero hoc commemoramus. Impetus Sacramentarium contra realem corporis Domini nostri in Eucharistia presentiam, ex tribus eorum propugnaculis proficiscitur: nec est amplius quod requiras. totum probationum suarum pondus & victoria, semper in hisce tribus collocant. Non credere se reale ibi corpus in Sacramento Dominicum haberi, eò quòd non videatur nec palpetur: & quòd leges naturæ vnum corpus pluribus in locis esse non permittant, & quòd nimis sit absurdum à malis & quandoq; à vermibus illud deuorari. Quicquid reliquum est quòd dicunt, ad hæc amputato verborum phaleratorum strepitu reuoluitur, in isto circuitu ambulat, & vt hæc que illis absurda videntur euent, figuras in verbum Domini comminisci coguntur. De primo nunc agimus, de secundo capite sequenti acturi, tertium ad decimam imposturam referemus.

Afferamus

Afferamus Volani verba, de ista eorum ^{seruimus adhi} ^{benz ad Chri} ^{sti verba di-} ^{iudicanda.}
 de, quæ tota terræ & sensibus est immerfa.
 Quod Christus, inquit, in vltima cœna, pa-
 nem in manus acceptum, & in frustra con-
 fractum, discipulis dederit manducandum,
 dicens eum suum esse corpus, & quidem o-
 mnes eorum sensus (obserua) iudicabant:
 aliud esse quod ex manibus Christi acciperēt,
 & aliud esse Christum qui istud traderet: vt
 subito mysterium (id est figuram) in actione
 ipsa Christi & in verbis subintelligerēt. Neq;
 enim erant tam excordes Apostoli, vt Chri-
 stum, quem integrè mensæ assidentem, & de
 morte differentem conspicerent, ipsum à pa-
 ne, quem manducauerunt, non discernerēt.
 O illum potius excordem, qui putat Apосто-
 los verborum Domini & Dei sui, eiusq; præ-
 cedentium promissionum veritate neglecta,
 ad sensum & oculos recurrisse. Nunquid Pe-
 trus oculorum iudicio vsus est, cùm admiran-
 dam illam & reuelatam à Patre nō à carne &
 sanguine edidisset confessionem? aut si pa-
 rabolam dici putasset, quomodo in re tanti
 momenti, & vltimo illo testamento, explica-
 tionem illius more suo non postulasset, dicēs:

Apostolo
calumniatur
Volanus.

Matth: 16.

E

Edissere

Ediffere nobis parabolam hanc? Non vide-
 batur in manibus Christi corpus, nisi species
 panis: sed tamē clarē à Domino prolata vox,
 aures eorum ingrediebatur: Hoc est corpus
 meum, nunquid Diuinæ eius cum infidelibus
 virtuti, qua posse illum omnia quę dicit, &
 facere credebant, detrudere: & sensibus suis
 magis niti in his quæ locutus est Deus, debu-
 erunt? Hæretica sit ista non Apostolica, in-
 fidelium non credentium temeritas. Sed &
 alibi clarius se declarat sensibus addicta ad-
 uersarij fides. ¶ Ego verò, inquit, quia panis ac-
 cidētia video, & quia reliqui omnes sensus,
 proprietates panis esse renunciant: panis er-
 go substantiam, non lapidis, sub illa forma
 delitescere contendo. (Et infra:) Si persuadere
 mihi vis (cū verba Christi vrgemus)
 v̄ panem esse credam, quem omnia acciden-
 tia illi propria reuera panem esse, non aliam
 substantiam renunciant: eadē ratione omni-
 bus hominibus persuadeas oportet, te sub
 hac hominis, quam contemplamur forma &
 specie, non hominis, sed asini circumferre
 substantiam. ¶ Digna Volano collectio. Ego
 verò si Christum dicentem audirem: Volano
 num esse

Quia videt &
 gustat, ideo
 credere se pu-
 tat. Volanus.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

num esse asinum, licet formam hominis viderem, omnes sensus meos mendacij conuincerem, & illum esse asinum firmissime & simpliciter crederem. videmus istius fidem: sed Iudaicam, cum pecuniam mutuò Iudæi credūtū attrectare aliquod pignus longè preciosius, ad supplendas vsuras postulant. ita magnam accipienti adhibent fidem. Hæc magnitudo fidei prædicetur in Volano, quam ille in se adhuc vberius exaggerat. *¶* Maior est, inquit, naturæ cursus, ipsaq; rerum experimenta, in sensus omnium hominum incurrentia, quam vt Sophistarum nescio quæ deliria: (dicere volebat, quàm Christi verbum & eius potentia. hæc enim nos sola vrgemus) & mera capitū parū sobrij somnia, id quod in confesso apud omnes est, abolere aut infringere possint. *Δ* Prodit ergo eorum fidem, à rerum experimentis & probatione sensuum, contra Dei verbum deprompta argumentatio. Prodit eorum Theologiam, qua omnia ad credendum ab Ecclesia proposita (illa enim non videtur, nec in rerum experimenta, & sensus hominum incurrunt) prosternuntur. Proditur atheismus, vt nec Deum esse dicant, quem

Asininum iu
dicium.

non vident nec atrectant. A fide, quam tan-
topere verbis & lingua ostentant ad sensus :
à verbis Christi ad rerum experimenta : à ra-
tione & religione, ad asininum prouocant iu-
dicium. Si enim asino sermonem tribuamus,
eisdem verbis cum Volano, de tantis myste-
rijs decerneret : eodem honore Christum di-
centem prosequeretur, imò forsitan maiore :
non videtur nec degustatur quod dicit, ergo
non est quod dicit. Cogita optime Lector,
qui sint isti, & quid velint, & qualis sit eorū,
cum fidem iactant impostura : & hæc arma
contra eos, si non abūdas fortioribus, arripe.

Eccles: 3.
Hebræor: 11.

¶ Nobis plurima, dicente Sapiente, su-
pra sensum hominum ostenduntur, quæ fide
cum Patriarchis, (eo nomine ab Apostolo ce-
lebratis) & ipsis Apostolis : dicente ea Deo
apprehendimus : nec iudiciū rationis, an hoc
sit difficile vel impossibile, nec sensus ipsos
consultimus, sed eleuati fide, ita se id habere,
quemadmodum Deus dixit, non dubitamus,
etiā cum audimus : Hoc est corpus meū, cer-
tissimò statuimus : cum idē sit eius velle et pos-
se, aliter secundū rē ipsā nō inueniri. Ad quā
rem constantissimè credendam adducimur,
voluntate

Idem est Dei
velle & posse

voluntate & potentia dicentis: fidei nostræ,
per quam saluamur, proprietate: probationis
nostræ merito: temporis huius quo peregrinamur à Domino, & fragilitatis naturæ nostræ ac Sacramentorum conditione. Cæterum si nostro sensui & intelligentiæ initiamur, deficiemus. Hoc est namque quod Sapiens

nos admonet: *Altera te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ tibi præcepit Deus, ea semper cogita: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non enim est tibi necessarium: ea quæ sunt abscondita videre oculis tuis. Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Præclare dictum est ab Eusebio Emiseno:*

Non cogites, nec intra te dicas: quomodo, aut quo ordine hoc fieri potuit? Diuina opera non discutienda sunt, sed credenda. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum nouitas: sed sufficiat tibi omnipotens auctoritas: sed sit pro luce rationis omnipotentia conditoris. Non causeris si non subiaceat sensui tuo, ordinationum cœlestium magnitudo: excedit diuini opificis dignitas humane mentis angustias. In eandam prorsus scribens sententiam Cyrillus Hierosolymit: his utitur verbis:

Quamobrem non sic hæc attendas velim, tanquam sint nudus & simplex panis, nudum & simplex vinum: corpus enim sunt & sanguis Christi. Nam etiam si sensus illud tibi renunciat, fides tamen te confirmet. (Et paulo post:) Hæc cum didiceris, & cum certo persuasum tibi fuerit, quod qui videtur panis, non panis est, quamuis talis gustui videatur: sed cor-

E ij

pus Chri-

Eccles: 30

De symbolo
homil: 1. o-
pera Diuina
credenda, nō
discutiendā.Cyril: Hiero
solyin: Cate-
che: 4

pus Christi: & quod videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus censeat, sed sanguis Christi. Promittit

¶ Arma.

¶ I. Voluntas Christi, in dando nobis vero & reali suo corpore,

quodam loco aduersarius contra omnes sensus crediturum se nobiscum, si ex scriptura illi ostendatur, voluisse Christum, panem in corpus suum substantialiter permutare, aut id requirere fidem nostram. Quomodo de voluntate eius dubitat, quem dicentem apertissime: Hoc est corpus meum, audit. Per verba voluntatis motus explicatur. Quod si dubia & ambigua verba, vel enigmatica aut parabolica, & figurata proferuntur: in rebus magni momenti, & presertim in testamento, & in vltima voluntate, mox ab authoribus adhibetur explicatio: ne hæredes seduci, & discernen aliquod adire contingat. Si res egiit in interpretatione, satis opportuna & clara adiuncta est: Quod pro vobis tradetur. Si vero nullam aliam adiunxit explanationem, & aliter sensit quam dixit, & pro corpore signum nobis obtrusit, nec hoc clariore verbo detexit: alterum ex his duobus concludendum est. aut nos seduxit, nostramque salutem, & suam diuinam auctoritatem neglexit: aut ita esse sicut dixit voluit. Primum est impossibile, er

Aut Christus nos seduxit, aut verum dixit: Hoc est corpus meum,

bile. ergo stat secundum, & stabit in æternū.
Itaq; quæ dixit, sicut aperta sunt & explicata,
ita & vera esse oportet, nec vlla egent alia ex
plicatione: quàm ipse author, si figuratè fu
isset locutus, adiunxisset, & sua verba diuina
ab omni furo, laqueo & fraudis suspicione
contemptuq; & nostro periculo nos libera
set. Qua ergo audacia adiunget quis eius ver
bis de suo, quod ille non adiunxit de proprio?
An non tutius est Deo dicenti credere, quàm
eius verba temeraria signi & figuræ additio
ne adulterare? Si me seduxit Christus dicens:
Hoc est corpus meum, bene sum seductus a
tali duce, qui Deus est, & vita, & veritas. Ab
hoc errore liberari me ab hominibus nolo.
Non Angelorum lingua, sed hominum Deus
locutus est: hominum more, corpus pro cor
pore accipio, præsertim quod ad omnem sus
picionem figuræ excludendam adiunxerit
Quod pro vobis tradetur, verum autem &
non figuratum, traditum esse confitemur.
Hoc ergo ipsum sub specie panis ad manduca
dum datum esse credamus. De voluntate ergo
Dei nostri, quam per clarissima sua Diuina
verba perspectam esse voluit, non est re
lictus du

lictus dubitandi locus. Plura syncere, illius
 qui in suam dilexit nos, voluntatis accumu-
 larem argumenta: nisi ipsum aduersarium,
 (quem vno in loco de Christi Domini ani-
 mo, an voluerit verum & substantiale cor-
 pus suum, nobis sub panis specie largiri dubi-
 tantem video) in alio, summa quadam leuitate,
 voluisse hoc ipsum nobis prestare, affirmantem
 audire. Sunt enim eius verba: Quod Chri-
 stus, inquit, verbis effert, re ipsa prestat, nec
 vanis eos iudicatur promissis: Accipiunt er-
 go Apostoli re vera corpus & sanguinem e-
 ius. Tanta est hominis inconsiderantia, &
 tanta vis veritatis, vt per os etiam eorum, qui
 eam oderunt, victrix erumpat. Si ergo Domi-
 nus quod verbis effert, re ipsa prestat, quid
 est de voluntate eius dubitandum? De poten-
 tia autem, an idem verè, nec fucate sentiat
 aduersarius, sequenti capite videbimus. Nunc
 requirere hoc etiam fidem nostram & fidei
 meritum: vt tectum & abstrusum a sensibus
 preberetur, nobis hoc ipsum Diuinum cor-
 pus demonstremus. Apostolus fidem esse spe-
 randarum substantiam rerum, & argumen-
 tum non apparentium pronuncians, ad natu-
 ram ipsam

Secundus cly-
 peus Fidei na-
 tura & meri-
 tum:
 Hebræ: 11.

ram ipsam fidei pertinere docet, vt credan-
tur res, quæ vel nec dum habentur, vel nullis
sensibus percipiuntur: Quod toto illo capite
per sanctorum exempla, & fidei eorum enco-
mia probat, & Moysen illis celebrat verbis:
Inuisibilem tanquã videns sustinuit. Tantã
illum habuisse fidem prædicans, vt id tam cer-
tò crederet, quod non apparebat, atq; si ocu-
lis illud & omnibus sensibus probasset. Ipsam
ergo demolitur fidem, & infidelem se pro-
sus esse demonstrat, qui sensuum in nostris
mysterijs iudicium introducit. Vbi erit bea-
tudo illa credentibus, nec videntibus pro-
missa? Beati qui non viderunt & crediderunt.
Patres sanctos hoc vno, summam apud Deũ
inisse gratiam, numerosis probat exemplis
Apostolus, quod his quæ Deus dicebat & pro-
mittebat, etiamsi à longè spectarentur, & à
sensibus essent abstrusa, rationēq; et ipsũ cur-
sum naturæ superarent, firmissima fide adhe-
sissent. Hinc illa laus Parentis fidei nostræ,
cum centenario, & nonagenariæ eius vxori
filius, à Domino promitteretur. *Credidit ei, qui
diuificat mortuos, & vocat ea que non sunt, tanquam ea
que sunt, & in spem contra spem credidit, & non infir-*

Fidem ma-
stat, qui sen-
sum requirit.

Ioann: 20.

F

matus

Abrahę fides
& meritum.
Rom: 4.

Imitatio pa-
rentis nostri
Abrahę.

Eucharistia
maxima fidei
ad meritum
excitatio.

matus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę, in promissione etiam Dei non hesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, datus gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quacumq; promissit, potens est facere. Ideo reputatum est ei ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus. Essemusne tãti Patriarchę nostri filij, imò quomodo ab eius magnitudine fidei nõ degeneraremus: si dicenti Christo: Hoc est corpus meum, contra omnes nostros sensus non crederemus: nec ei Diuinam gloriam tribueremus: quasi ignoraremus ea, quę dicit, facere etiam posse? Quid iusticię & meriti consequeretur nostra fides, si detecta & rationi, sensibusq; exposita omnia haberemus? Vnde fideles esse deprehenderemur? Si vlla est in Ecclesia ad probationem nostram, & meritum consequendum, fidei exercendę ratio: hæc in Eucharistia profecto est maxima: hic verus cultor Christi, qui eum tanquam Deum verum colit & adorat, proditur: hic probantur filij lucis, filij aquilarum, qui ad hoc corpus congregantur, si solem hunc Diuini verbi: Hoc est corpus meum, recta fidei acie intuentur: hic excutitur adulterina hæretica proles, quę ad spectandum hunc veritatis radium non

dium noctuæ oculos, sensus scilicet, & humanarum rationum tenebris aspersum intellectum, adhibet. Hic coronantur fideles, & illud encomium Saluatoris sui audiunt: Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Sed & temporis huius quo peregrinamur à Domino, ratio requirit, ut abstrusum tantum thesaurum habeamus. Nondum venit expectatum illud tempus patriæ & gloriæ, ut oculo ad oculum res cœlestes Christumque nostrum spectemus: Me non semper habebitis, inquit, vobiscum. reuelatum illum suæ præsentiam modum, & familiarem nobiscum conuersationem in patriam differens, & amotam pro tempore præsentem ostendens: alium autem eiusdem suæ certissimæ præsentiam modum nobis ingerens, dixit: Hoc est corpus meum: atque hac tandem ratione in mysterio abstrusum seipsum nobis reliquit. ut desiderium discipulorum, quorum cor erga illum ardet impleretur: quod dicere illos coegit: Mane nobiscum Domine, quoniam aduersperascit.

Manet in fractione panis, in qua verè fidei nostræ oculi aperiuntur, ut verè illum præsentem nobiscum usque ad consummationem

Tertius clypeus, tempus peregrinationis.

Ioann: 12.

Lucae vltim.

Quomodo manet nobiscum in fractione panis Christus.

seculi, non diuinitate tantum, quod & Patri-
archis fuit commune: sed sicut Emanue-
lem secundum carnem etiã pro nobis assum-
ptam, nouo & testamento nostro proprio
modo credamus: licet nihil sensibus videa-
mus. Præsentiã habemus, sed reuelationẽ
expectamus: status enim huius peregrinatio-
nis hoc requirit, vt velata omnia habentes,
& contra spem in spem cum fideli Abraham
credentes, fidem exerceamus.

Roman: 4.

III. Con-
ditio nostræ
naturæ.

Nec conditio fert naturæ nostræ, vt dete-
cta carne humana sine horrore vescamur: sed
sub inuolucris, & integumentis rerum cor-
porearum nobis vsu faciliũ & notariũ, frui
nos illa ad vitam consequendam voluit, to-
tam à sensibus remouens & fontem vitæ

V. Conditio
Sacramenti.

occultè ingerens. Sacramenti ad extremum
natura fert, vt aliud videatur, aliud in esse
credatur. Si enim oculorum obtutibus expo-
sita essent omnia, tota ratio Sacramenti peri-
ret. Quod cum aduersarius fateatur: cur sui
oblitus, ad sensus corporeos veritatis refert
explorationem? Cur eius Magistri inclamãt:
Probationem inquirunt veri sui corporis post
resurrectionem ad sensus Dominus retulit,
cũ di-

cum diceret: *Palpate & videte*, quia spiritus
 carnem & ossa non habet, sicut me videtis
 habere. Eundem, inquit isti, probationis
 ordinem in Eucharistia esse seruandum, vt
 inde certum sit ibi esse eius corpus, vbi vide-
 atur & palpetur. Sed impie & imperite eos id
 colligere constat. Non enim illo in loco Chri-
 stus Sacramentum, quod rerum externarum
 operimentis indiget, instituebat: sed aperte
 sine mysterio corpus suum resuscitatum pro-
 babat. Bona est collectio: *Palpatur & videtur*,
 ergo est corpus: sed in partem alteram
 pessima & fallacissima. Non videtur, nec tan-
 gitur: ergo non est hic vel ibi corpus. Habet
 enim hoc corpus Christi, vt cum velit viden-
 dum se praebeat, & cum nolit, licet sit praesens
 oculorum aspectum effugiat. Praecipitem ex
 monte dare Dominum volunt Iudaei, mox se ab
 illorum aspectibus subtrahit: & transiens, in-
 quit, per medium illorum ibat. Idem fecit
 cum lapidibus appeteretur: Abscondit se, in-
 quit, & exiit de templo. Vbi exemplaria Gre-
 ca addunt haec verba: transiens per medium
 eorum, & sic praeteriit. c Atq; ita legunt Ori-
 genes, Cyrillus, Hieronymus, & Theophila-

Lucæ vltimè,

Probatio cor-
 porum à sen-
 sibus qualis.

Christi cor-
 pus etiā præ-
 sens non vi-
 debatur cum
 voluit.

Lucæ 4:

Ioann: 8 .

c O rigen: ho-

mil: 19. in

Cyri: lib: 12

in Ioann.

caput: 22.

Hieron: epi-

stol: ad Pam-

mach: de er-

roribus.

Lucee 24.

Gygis anul⁹.Sathanæ fa-
scinatio.Sensuum fal-
lax iudicium

ctus: Quæ verba Ionnis aperte significãt Christi
 stum se præsentem, sed non apparentem ex-
 hibuisse. Idem fecit cum ex oculis duorum in
 Emaus euanesceret, licet tum maxime præ-
 sens fuerit. Gygis annulo à Platone hæc vis tri-
 buitur, vt si palam annuli ad palmam conuer-
 tisset, is qui eum gestabat, à nullo cerneretur,
 cum ipse omnes cerneret.: si vero eandem ad
 lucem reduxisset, rursus ab omnibus specta-
 retur. Quod ethnici animus anul⁹ tribuit, &
 fieri posse vi diuina credidit, hoc Christo no-
 stro auferet ista Calvinistica perfidia: fascina-
 re Satanas oculos hominũ, vt alia quam sint
 in se videant, potest: Christus corpus suum,
 cum velit ab aspectu hominum subtrahere,
 & nihilominus habere illud præsens, non po-
 test? Demiranda est dementia istorum, qui
 ad discernendas substantias corporum, sensu
 suum vti volũt iudicio. Vident quandoq; aur-
 richalcum, & aurum esse putant: tangunt la-
 nam, & sericum opinantur: gustant vulpem,
 & leporem esse arbitrantur: vident baculum
 à medio aquis immersum, & fractum iudicãt:
 vident Iridem, & veros colores esse credunt.
 Quam ergo firmitatem ad res diuinas discer-
 nendas

nendas sensibus tribuemus, quibus nec in his
 quæ videntur, veris semper vtimur iudiciis
 bus. Cogitemus aliquid in figura, ad cautio-
 nem nostram spectasse illud, in Isaaco Patri
 archa, qui testamentum conditurus carnes
 & vinum postulauit a filio, vt saturatus qua-
 si in figura nostri mysterij, eructaret in pri-
 mogenitum benedictionis verbum. Omnes
 sensus senis decepti sunt præter auditum:
 oculi cernere se Esau putabant, cum esset
 Iacob: tangens manus pelliculis hædorum in-
 uoluntas aberrauit: gustatus in cibis, quos esse
 ex venatione Esau putabat, in eodem fuit er-
 rore: & in odore vestimentorum primogeni-
 ti, Iacobum esse non est suspicatus: Solus au-
 ditus ab errore liber. Vox, inquit, vox est Ia-
 cob. Vocem hanc Iacobi nostri agnoscamus
 dicentis: Hoc est corpus meum. Vox tua est
 Domine Deus noster: vox dulcis sonuit in
 in auribus nostris: oues tuæ audimus vocem
 tuam, & cognoscimus te pastorem nostrum,
 & verum Deum, qui loqueris nobis, & dicen-
 do facis omnia quæcunq; vis in cælo & in ter-
 ra: non oculos, non manus consulimus: sed fi-
 de ex auditu haurimus, auditum autem voce et
 verbo

Isaacum sen-
 sus deceptum
 solus auditus
 nequaquam
 Genes: 27.

verbo tuo replētes, conquiescimus: nec quicquam aliud perscrutamur, sed in obsequium tuæ fidei intellectum captiuamus. O quàm bene erramus te audientes, & cœteros omnes sensus ablegantēs: ad quod & quidam præcō tuæ veritatis, nos est exhortatus: *Credamus, inquit, ubiq; Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur, quod dic it. In omnibus & præcipue in mysterijs ita faciamus: non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoq; eius teneamus. nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster, deceptu facilis est. Illa falsa esse non possunt: hic sæpè fallitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum. nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus respiciamus. Relinquant ergo aduersarij sensum, si volunt consequi fidem. Auditum solum patentem exponant, reliquis libere exprobrent mendacium. Quibus cum miserè obediunt, illam quam tantopere iactant fidem, prorsus amittunt.*



Caput tertium

Chrysostomus:
 homil: 89. in
 Matth: & 60
 ad populum
 Antioch.

CAPVT TER TIVM.

Tertia est eorum insignis impostura: Christum Dominum verbis Deum Omnipotentem confitentur, in factis autem eius omnipotentiam abnegant.



NON vereor liberè prædicare Zuinglianorum Magistros, nec integrè, nec solidè Christi Domini nostri diuinitatem & omnipotentiam confiteri, quamuis erga Anabaptistas, hanc ex professo oppugnantes, insensos videantur gerere animos. Plura per eorum voces tenebris obscurati intellectus, Princeps tenebrarum molitur, quam illi intelligant & conijcere valeant. Non enim instrumentum sui artificis designatum scopum agnoscit. Si quando nolunt Christi diuinitati quicquam ademptum iri: ex connexionione tamen opinionum, quas eorum tuetur temeritas, ei ponunt insidias, ne à proposito regressi videantur, & sua fundamenta minus stabilia relinquunt. Inimicus salutis eorum defixam in prauis opinionibus mentem ita obdurat, & in prima hæresi obfirmat, vt propter pri-

Princeps tenebrarum multa agit per instrumenta, que ipsa instrumenta non intelligunt.

G

oris de

oris defensionem ad multas alias facile defle-
 ctant & pertrahi se patiantur. Imò quandoq̃
 non solum absurda : sed etiam à suo animo
 aliena malunt in progressu concedere, quàm
 à priore sententia resilire. Ita Volanus post-
 quam constituit, hostem se præsentia Domi-
 nici corporis in Eucharistia contestatum per-
 manere velle : ne sui propositi minus tenax
 esse videatur : elegit potius, sat stultè, diuini-
 tati Christi & eius potentia detrudere, & ius-
 ta vindicta Dei, proficere in peius. Inde a-
 perta illa eius verba proruperunt : ¶ Non po-
 terat, inquit, sanguinem suum Christus pro
 priè ac naturaliter in manus accipere, vt qui
 totus & integer, nec dum pro salute humani
 generis profusus, in venis corporis Christi cõ-
 tineretur. Apparet ergo symbolo nomē rei si-
 gnificatę attributū esse, & corpus in manibus
 Christi portatum perhibere, cum reuera nõ
 corpus ipsum, sed corporis sacramentum (id
 est signum) in manibus esset gestatum. ¶ Ex-
 pressit vtrunq̃, quod de Zuinglianis prædi-
 camus, & quod Christum hoc non potuisse
 dicunt : vt hoc ipsum corpus, quod à discipu-
 lis cernebatur, illis ad manducandum, & hũc
 ipsum

Præfere libro.

Duo de Zuing-
 lianis veris-
 sima dicuntur

ipsū sanguinē ad bibendū præberet : & quod
ideo ad figuratos sensus in eius diuinis verbis
cōfugiant, quia id illum potuisse hoc facere,
quod dixit & voluit, non credūt. Hinc depre
hēdimus dolosē & fucatē protulisse, verba illa
quæ superius annotauimus : Quod Christi
stus, inquit, verbis effert, re ipsa præstat. **¶**
cum iterum nihil minus quàm hoc potuisse il
lum præstare affirmet. Non poterat, inquit,
sanguinem suum Christus propriè in manus
suas accipere, cū hoc illū fecisse, ex D. Augu:
explicante illa verba, quæ apud septuagintā
ta interpretes habentur, libr. 1. cap. xxj: Fere
batur manibus suis, audiat. Tanti facit non
modo D. Augustinum, sed quod nefariū est,
potentiam & diuinitatem Domini nostri Iesu
Christi, cui nihil est difficile & impossibile.
Quod & alio loco ex ipsdem naturæ legibus
& philosophia deducens argumenta, confir
mare conatur : ¶ Sicut in vno saltem loco, se
cundum veri corporis humani modum, tunc
Christus fuit, cum sacrum illud conuiuium
Apostolis instruxit; ita & nunc vnicum in cœ
lo obtinet locum, neq; tamen vera, sed spiri
tuali cōmunicatione corporis sui omnia sua

Contra dicti
ones vel im
posturæ ad
uersarij.

Augustin: in
Psal: 33. cou
tione 1.

Reg:

66 membra defraudat. Carnalis enim, quam vos
 66 homines carnales & prophani somnatis, mā
 66 ducatio, vt nihil prodest, sic neq; (obserua)
 66 repugnante natura corporis Christi perfici
 potest. Non potest, inquit, Christus supra
 naturæ leges quicquam operari. Et alibi cla
 rius: ¶ Etsi Physicorum substantiæ sint inuisi
 66 biles, tamen nullæ vnquam extiterunt, neq;
 66 (obserua) sic ordinante Deo existere pos
 66 sunt, nisi quæ perpetuo & indissolubili nexu,
 66 illis qualitarum & quantitarum accidentibus
 66 vestiantur, quæ illarum naturæ conueniunt,
 66 & ab alijs rerum speciebus illas distinguunt.
 66 Quare quòd sola imaginatione concipitur à
 66 Philosophis: re ipsa autem fieri nequit, (e
 66 tiam à Christo vult inferre Deo nostro) ni
 66 mis ineptus es Petre, qui id suadere sanis & so
 66 brijs hominibus cupis, quod neq; natura re
 66 rum patitur, neq; fides nostra requirit. At
 de fide quidem ostensum est, quantum hoc
 requirat, vt Deo dicenti credamus: naturæ
 autem leges, authorem naturæ immutare nō
 posse dicere: idem est atq; illum harum rerū
 conditorem non esse affirmare: & ex necessi
 tate, non ex voluntate hunc mundum & nat
 turam pro

A natura le
 gibus contra
 fidem argu
 mentantur.

Deus qui est
 naturæ au
 thor, leges
 naturæ mu
 tat.

turam produxisse. Quod re vera Lutherus
 nō est veritus affirmare ijs verbis: ¶ Nulli est in

Lutherus arti:
 36. ex damna:
 tis à Leone.

manu sua quippiam cogitare mali aut boni
 sed omnia (vt Viclefi articulus Constantiæ
 damnatus rectè docet) de necessitate absolu
 ta eueniunt. ¶ Ex Philosophia & legibus na
 turæ Sophistæ isti, qui nobis sæpius Philoso
 phiam, quod ea in studijs rerum diuinarum
 vtamur exprobrant, contra mysteria fidei no
 stræ, cum Phorphyrio, Iuliano, & alijs ethni
 cis, & impijs Philosophis argumentantur.

Philosophiæ:
 vsus.

Nos Philosophiam acillam sacræ scientiæ fa
 cimus, & cedere Dei verbo, & mysterijs sa
 cratissimis iubemus: ipsi Reginam eam con
 stituunt, & secundum eius præscripta de di
 uino verbo & fidei dogmatibus iudicant. Sua
 dere, inquit, sanis et sobrijs hominibus cupis,
 quod rerū natura non patitur, vt vnum Chri
 sti corpus sit in pluribus locis, & naturalibus
 proprietatibus respectu loci exterioris, ita
 vt ab eo nullatenus circumscribatur, careat.
 Sanus & sobrius Volanus non patietur sibi
 persuaderi, & partum virginis, & naturam
 humanam in Christo sine propria hypostasi,
 & miracula quæ Christus & discipuli eius pa

Sobrietas Vo-
lani,

Zuingliano-
rum cum A-
nabaptistis so-
cietas.

trarunt: & resurrectionē carnis, & plurima
alia, quæ prorsus natura ipsa & eius ordo nō
admittit, fides autem nostra certissima esse
atq; verissima prædicat. O sanum & sobri-
um hominem, quin potius ipsa perfidia, non
tam infirmum quàm mortuum, & mera hu-
mana ratione quæ fidem prosternit, ebrī-
um. Non posse Christum supra leges naturæ
operari, & earum iura immutare: nemo di-
cit, nisi qui eum Deum verum esse abnegat.
Hæ vestræ, non sani cerebri, nec sobrii capi-
tis sententiæ, ad illas apertas, contra Domini
nostri diuinitatem blasphemias, miseros Ana-
baptistas & novos Ebionitas inducunt, cum
quibus quanta societate, & opinionum vici-
nitate iunguntur Zuingliani, ipse Volanus de-
claravit: quilibet suum ab Anabaptistis
examinari, & ab eis scholia in eundē conscri-
bi voluit: in quibus & alia venena Anabapti-
stica de infantium & fidelium Baptismo, de
Sacramentis abolēdis, & alijs sectæ illius prop-
rijs blasphemijs spargere eos permisit, vel ip-
se forsitan sub nomine illorum aspersit. Es-
mersit præterea & prodidit se Zuingliani-
cum illorum ingeniū in perturbatione ipso-
rum, co

rum: eo tempore, quo Illustriss: & Reuerentiss: Georgius Radiuilus Dux Olycæ &c. Episcopus Vilnensis, pro feruenti suo erga Christum Dominum amore & pietate, publicè Anabaptisticos libros exuri Vilnæ iussisset: ita hoc tulerunt iniquè: vt testarentur, Anabaptistarum Christi diuinitatem blasphemantium, se esse patronos. Summa ergo illorum detegitur impostura, verbis Christum verum esse Deum prædicant, factis autem diuinæ eius potentiaë opera abnegant: nec quicquam illum supra nature leges in Eucharistia operari posse prædicant. Contra quos hæc arma capiamus.

¶ Agnoscamus in primis Calvinistas in illis verbis Domini: Hoc est corpus meum, nõ fuisse figuras collocaturos: si Dominũ IESUM immutare leges naturæ, & quantitatem ac extensionem sui corporis in Sacramento, per modum substantiæ constituere, & proprietates seu accidentia panis & vini remotis, earum substantiis cõseruare posse credidissent. Priusquã hoc illum posse probemus, nostrã Catholicam confessionem, quam inuertit toties calumniator aduersarius proferamus.

Ex verbis

Confessio
tholica de p-
sentia Domi-
nici corporis
in eucharistia

Ex uerbis Domini Sacramentum hoc instituentis : Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus. vniuersa per totum orbem Apostolica Ecclesia, ab Apostolis continua successione descendens agnoscit, & nos in eius positi gremio, firmissimè credimus, & constantissime prædicamus : Verum & naturale & substantiale, ac reale Christi corpus esse in Eucharistia : & post consecrationis verba, sub speciebus panis totum & integrum esse Christi corpus, omnibus præditum qualitatibus, & quantitate: sed per modum substantialem, inuisibilem, non localem, non circumscriptionum, sed ineffabilem, & huic Sacramento proprium. In quo est idem & non aliud corpus, quod ex Virgine natum est & passum ac pro nobis traditum, & quod sedet à dextris Dei, vt eodem momento & sit in cælo modo naturali, & sit in Eucharistia supra naturam, non per descensum de cælo & loci mutationem, sed per conuersionem substantie panis in ipsum Christi corpus, & eius substantiam: vt vbicunq; rite conficiatur hoc Sacramentum per totum orbem (non vbicunq; tamen extra Sacramentum) ibidem sit idem & non aliud Domini corpus integrè & realiter: & integrè à singulis participantibus, sub qualibet hostie particula, sine ulla sui consumptione & diuisione sumatur. Hæc cum omnibus orthodoxis & S. Concilijs ac Doctoribus omnium ætatum, fideliumq; vniuersorū confessione concordi, intrepidè prædicamus. Ad hanc Confessionem probandam, nulla alia certiora documenta habere nos profiteamur, quam Christi Domini nostri dicentis & affirmantis

I. Omnipotentie & diuinitatis Christi fides,

mantis: Hoc est corpus meum, omnipotentiam & voluntatem, & veram illam, qua vnus est cum Patre Deus, Diuinam eius naturam.

Etiamsi totius naturæ & vniuersæ huius fabricæ leges concidant, & ea quæ profite mur sint supra naturam, rationem & captum humanum: nihilominus tamen esse oportet, id quod dixit & fieri voluit omnipotens: vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cū à Zuinglianis iudicatur. Iudicatur enim ab eis, qui apertissimis eius verbis, ob solam de eius omnipotentia dubitationem obsistunt.

Psalm: 50:

Asseuerat siquidem Volanus: Sanguinem suum in manibus tenere Christum, et leges naturæ frangere non potuisse. Sed vincat Deus & veritas: vincat diuinitas & eius omnipotentia confessio, quam nos ad prosternendā istam perfidiam, Duce nostro Apostolo Petro, vniuersi gregis Domini Pastore & Doctore, adhibemus. Cū enim affirmanti Domino, eandem impotentiam Capharnaïtæ exprobrarent, & quidam discipuli durum sermonem hunc, quo se carnem suam ad manducandum daturum promittebat, dicerent: Quo modo, inquentes, potest carnem suam nobis

Petri fides.

Ioann 6.

H

dare

dare ad manducandum: cumq; abirent aliqui
iam retro, verbis hisce offensi: Coapostolos
suos Petrus in fide & confessione hac nostra
retinuit, eosq; hisce verbis ad credendum
animauit: Ad quem alium ibimus: verba vi
tæ æternæ Magister noster habet, nos credi
mus & agnoscimus, quia ille est Christus filio
us Dei. Nunquid Deo aliquid impossibile: fili
us est Dei natura ipsa Deus, quicquid dicit,
præstare nulla mora valet: verba habet non
humana, quæ nihil operantur, & tantum si
gnificant, sed vitæ æternæ, diuina: quæ viuifi
cant, creant ex nihilo, & quicquid volunt
producunt & immutât. Non ergo à Christo
transire nos vult Petrus ad Zuinglium, non
à Dei verbis ad verba Caluini deflectere: dif
ficultatis autem in præstando omnipotentiam
eius, & diuinitatem allegans, affert solutio
nem: Credimus te, inquit, qui hæc dicis, ve
rè esse filium Dei: hoc est natura Deum, ideo
& verba tua vera esse, & efficere quodcunq;
velis posse, firmissimè confitemur. Hæc dif
ficultatum in Diuinis verbis solutio, à San
ctissima Trinitate in ipsis mysteriorum noui
testamenti exordijs, de cælo per Angelum no
bis est

II. Solutio
pro omnibus
difficultatib;
parata in scri
pturis, & de
cælo missa.

bis est delata: vt ad fidei nostræ altissima
 & plurima secreta cognoscenda & confirmā
 da eo fundamento omnium probationum v
 teremur, Virginī sacratissimæ de sua pudici
tia perpetua, partu sibi denunciato solicitę,
 respondet Angelus: atq; ipsam & nos omnes,
 qui Christum per gloriosissimam Virginem
 suscepturi fueramus erudit: Non est impossi
 bile apud Deum omne verbum. Supra natu
 ram, & virginitatem in partu, & fœcundi
 tatem in sterilitate conseruari: imò omnia,
 quæ sunt nobis & naturæ impossibilia, face
 re potest. Hac voce et Sara illa ridens, pro
 mitti sibi effœte et senicule filiū cōfutata est:
 Nunquid Deo, ait Angelus, vcl Angelorum
 Dominus quicquam est difficile? Dubitantib
 us Apostolis, quomodo camelus per foramē
 acus transire posset? quo nam modo proprie
 tates tam crassi & gibbosi corporis hoc pate
 rentur: audiunt eandem difficultatum soluti
 onem: Apud homines hoc impossibile est, a
 pud Deum autem omnia possibilia sunt. Ex
 quo loco Origenes, Augustinus, & Gregori
 us Nazianzenus colligunt, ad Dei omnipotē
 tiam pertinere: vt camelus tantus quātus est,

Maria p̄p̄o

Lucæ 1.

Sara

Gennel: 18.

Sept de camē
to

Matth: 19.

Origen: trac:
 8. in Matth.
 August: libr:
 de Spiritu. &
 11: cap: 1.
 Gregori: Na
 zian: orat: 4.
 de Theolog.

Matth: 22.

Duo habet o
mnis hæresis,
ignorantiam
scripturarum
& potentia
Dei.

foramen acus pertranseat. Saducæorum impiam illam et prorsus Zuinglianis similem, ex naturæ legibus argumētationem, eodem gladio amputat, et nos amputare docet Dominus et Magister noster: Erratis, inquit, nescientes scripturas neq; virtutem Dei. Duo hæc habet omnis hæresis, Scripturarū, quas adeo temerè ipsi iactant, imperitiam (vt qui non ab Ecclesia et Spiritu Domini, qui in sanctis & legitimis pastoribus loquitur, sed à suo cerebro eius intelligentiam mutuuntur) & omnipotentia Diuinæ virtutisq; eius incogitantiam, quam illi tantum sui ingenij & captus modulo metiuntur: vt tantum posse Deum putent, quantum illi cogitatione consequi & ratione sua, naturæq; legibus metiri possunt: quod maximè faciunt Zuingliani. Nesciunt prorsus Christi virtutem: ea de corpore illius, quod diuinitati in vna persona coniunctum, & gloria resurrectionis insignitum est, dicunt & sentiunt: quæ regula naturæ & ordo rationis humanæ, cursusq; iste rerum quem spectant & attrectāt, iubet. Sub iugum naturæ, Deum & omnia eius opera mittunt. Verè illos expriment, qui in deserto dixerūt:
Nunquid!

Nunquid potest Deus parare nobis mensam
 in deserto. Quibus illud ipsum ingerendū est
 si sapiunt : Nunquid manus Dñi inualida est?
 Nunc videbitis vtrum sermo meus opere im-
 pleatur. Verè Capharnaitas imitantur dicen-
 tes: Quomodo potest nobis carnem suam da-
 re ad manducandum : dum rationem confus-
 lunt : dum absumi corpus Christi, nec posse
 omnibus sufficere somniant. Nos cum Petro
 eodem omnipotentiaē Christi gladio, istud
 Quomodo : & hæc omnia ingeniolī humani
 Deo rebellia argumenta, rescindamus. Modū
 non inquirimus, vt eum discutiamus, & ad re-
 gulam & captum nostri ingenij metiamur :
 sed eum nō esse impossibilē ostendimus : hoc
 vnum præcipuè de eo loquimur, quod sit ad-
 mirandus, incomprehensibilis, credendus tã-
 tum non perferutandus. Contra curiosos
 Zuinglianos aurea illa Sanctorum verba in-
 sonamus: *In sublimibus et diuinis rebus istud Quomodo,
 nec cogito nec profero, Iudaicum hoc est verbum, & extre-
 mi supplicij causa : cum Deus operatur, non quero quomo-
 do, sed sui operis viam & scientiam illi soli concedo. (Et al-
 tius) Si non licet mihi scire quomodo natus sit : at non li-
 cet nescire quod natus sit. (Et alius) Credo Deū posse, quod
 ego facerem, me inuestigare non posse. In talibus rebus ratio*

Psalms. 77.

Numer: 11.

Gladius ad
 amputanda
 impossibilita.

Verba San-
 ctorum con-
 tra curiosos.
 Cyril: in Io-
 ann: libr: 4.
 cap: 13.
 D. Ambrosi-
 us, D. Augur-
 tinus ad Vo-
 lusia :

Cur primus
est articulus
Credo in De-
um Patrē o-
mnipotentē.

facti est potentia facientis. Ego ab infantia primū
fidei articulum didici: Credo in Deū Patrem
omnipotentem, vt per eum quicquid in reli-
quis à ratione humana & naturæ legibus pos-
natur obicis, impedimentiue abscindam. Ni-
hil proponi mihi potest ab Ecclesia, in quo
Deo dicenti non fidem adhibeam, qui semel
in eius fidem & domum fidelium, per hanc o-
mnipotentia eius portam sum ingressus, &
ita armatus hoc gladio, contra Zuinglianos
& omnem impietatem hæreticam, progredior,
vt nihil sit difficultatū in credendo, quod
huius gladij diuine omnipotentie acumen est
fugiat. Iam videamus qualem isti potentia
am Christo tribuunt, & quos illi limites pos-
nunt. An excipere volunt à potentia Dei, vt
non possit vnum corpus in pluribus locis col-
locare? vel vt nequeat efficere vt quātitates:
non se inuicem ab eodem loco extrudant: aut
per modū substantie manentes conseruentur:
vel vt proprietates & accidentia sint sine sub-
iectis: an hoc dicent Deum facere non
posse? Falluntur, cum hoc Deum non posse di-
cunt, & sophisticis ex natura & philosophia
depromptis rationibus probare nituntur, cō-

III. Potest
Deus in pluri-
bus locis v-
num corpus
statuere.

tra to/

fra totam scripturam & diuinum verbum.

Nos in sacris literis legimus & didicimus illa tantum non posse Deum, (si hoc non posse dicendum est,) quæ debilitatis, imperfectio- nis aut defectus sunt alicuius. Mentiri non potest, negare seipsum non potest, peccare, errare, & si quid est simile non potest. Cæterum tantum repugnat Dei potentia, vnum corpus esse in multis locis, & quantitates relin- qui per modum substantia, & accidentia si- ne proprijs substantijs statuere: quantum re- pugnat alium mundum condere, alias illi le- ges dare, alium cursum naturæ instituere. Nō posse hoc Deum, blasphemant isti, qui ei mo- dum creandi & producendi, hunc quem vi- dent mundum posuerunt, qui ei ita faciendi consilium dederunt: sed quis consiliarius e- ius fuit? Mille alios mundos diuersos, & ta- les leges, vt vnum corpus sit in mille locis, ha- bentes: vel alias quas Zuinglianicum cerebrū cogitare non potest, fabricare, & re ipsa ef- ficere mox potest. Hoc enim ipso Deus non esset, si non omnia, illa etiam quæ cogitatio- ne non consequimur, facere posset. Bene & sanctè quidam dixit contra parentē Caluini-

Quæ potest
Deus.

Deus potest
mille alios
mundos cum
alia natura fa-
cere.

Roman: II.

starum

Hugo de S. Vi
cto : Epi : 2.
de Sacramē.
par: 8. ca: 2.

Epist. 146.

Tertul : de re
surrectione
carnis.

starum Berengarium : Qui locum inquit fecit ; cor-
pus fecit : & locum in corpore , & corpus in loco : & qui
fecit ut unum corpus esset in uno loco , fecit sicut voluit : &
si voluisset aliter facere , potuisset . Nam & quando vult a-
liter facit , & est sicut ille vult semper . Quia autem sicut
ipse fecit ut corpus in uno loco esset , tu quod factum est vi-
disti : idcirco miraris quando aliud vides , vel audis , quam
videre vel audire consueuisti . Ideo cum quid mirari coepe-
ris , & dixerit tibi forte cogitatio tua , quomodo hoc esse pos-
sit , cogita facientem , & desinet esse mirabile quicquid illud
fuerit , & si forte mirabile non esse desierit , tamen incredibi-
le non erit . Testatur & D. Augustinus à quo
hec iste mutuatus esse videtur : *Sicut non fuit Deo
impossibile , quas voluit instituire naturas : sic ei non est im-
possibile quas instituit mutare : & valet diuina potentia de
ista visibili ac tractabili natura corporū , auferre quas vo-
luerit qualitates .* Et Tertulianus cōtra similes in-
genij parentes Zuinglianorū hæreticos , qui
resurrectionem carnis ex naturæ legibus op-
pugnabant , & Patriarchas suos Philosophos
sequebantur : *Quid naturā , inquit , aduersus Dominū
suum temere defendis , legem eius aduersus gratiam impiè
asseris : quasi Domino non liceat & mutare , & sine lege ser-
uare ? quomodo ergo legimus quæ impossibilia sunt apud
homines , possibilia sunt apud Deum .* An nesciunt ho-
mines isti iuxta Apostolum , nostra etiam cor-
pora vbi fuerint resurrectionis gloriam con-
secuta , subtilitatem spirituum , natura cor-
porea per

porea integra permanente habitura. Semina-
tur, inquit, animale, surget spirituale. D. Au-
gustinus negare non audet sanctorum Marty-
rum animas, ad quorū sepulcra eorū fiunt in-
uocationes, simul in multis locis adesse posse,
nec hoc Deo esse factu impossibile tuetur. An
quod spiritus habet, corpus Christi non ha-
bet? Nicetas Choniates suis annalibus cele-
bratissimi cuiusdam Doctoris Eutichij Magni
dicti, verba huiuscemodi inseruit: *Totum, in-
quit, sacrosanctum corpus & preciosum sanguinem accipit
homo, si horum aliquam partem acceperit. Distribuitur e-
nim impartibiliter inter omnes præter mixtionem: ut unū
sigillum omnes imagines suas omni materia imprimat, & u-
num manet etiam post communicationē; non imminutum, nõ
mutatum in ea in quibus impressum est: etsi numero plu-
ra fuerint. Eodem modo una vox ab aliquo prolata, & in
aere diffusa, in eo qui eam protulit tota manet, & per aere
tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minusve
percipiente, sed tota est indiuisibilis & integra apud omnes,
& si decem millium numerum superent, quamuis ipsa cor-
pus sit. Veniat Volanus, & quod in natura fit
eri videt & probat, quod in sigillo, in voce,
vel etiam speculo in minutas confrecto par-
tes, integram vnaquaq; parte corporis vnus
referente imaginē: hoc in corpore suo Chri-
stum efficere posse neget. Anima humana,*

1. Corint: 15
Augusti: de cu-
ra pro mor-
tuis agen:
cap: 15.

Eutichij Ma-
gni verba.

Sigillum.

Vox in pluri-
bus locis.

Speculum

Anima est in
pluribus locis

etiam iuxta prophanos Philosophos est vna,
 & tota in vno corpore, & in quolibet etiam
 minimo membro tota, quod lege naturæ De-
 us per verbum suum dedit animæ: hoc supra
 naturam verbum ipsum tribuere corpori suo
 non potest, vt sub speciebus panis, & in di-
 uersis locis, modo non locali, vnum & idem
 esse, & sub qualibet hostiæ parte integrum
 & totum permanere possit: Si pertinacia &
 quæ illius comes est cæcitas mentis, ab istis au-
 moueretur, & maiestatis diuinitatisq; Chri-
 sti Dei nostri potentia altius eorum animo de-
 figeretur: fac illinum id Christo Domino ei-
 usq; dexteræ facienti virtutem, esse conceder-
 rent. Si enim diuina potentia efficere hoc po-
 test, vt quodlibet nostrum etiam corpus sit
 in locis diuersis vnum & idem. Si meum in-
 quã corpus, & hic et in India (quod de quibus-
 dam Sanctis Ecclesiasticæ probant histo-
 riæ) & in alijs locis, sine loci occupatione &
 extensione collocare Deus potest: quid in il-
 lo diuinæ hypostasi vnito Christi corpore
 posse facere existimãdus est: Nonne poterit
 hoc ab ipsa diuinitate, cui nexu indissolubili
 coniunctum est, mutuari Christi corpus: vt
 per mo-

Corpus hu-
 manum pos-
 set esse in plu-
 ribus locis.

De Ambrosi.
 De S. Nicolao

in S. Ambrosio
 de S. Nicolao

per modum spiritus locum non occupans, in diuersis hostijs existat? Si verò vnum corpus esse in diuersis locis est impossibile: nec duo corpora esse in vno loco erit possibile. At hoc est falsum, corpus enim Christi per clausas ianuas & solidos murorū parietes ingressum ad discipulos, ostendit Deo esse possibile, plura corpora esse in eodem loco. Et egressus de obliuato sepulchro eiusdem diuinitissimi corporis, per solidam petram, idē manifestissimè probat, duo corpora in eodē diuina potentia reponi posse loco. Hoc argumentum ita torfit Magistros aduersarij, vt fu- erit eos necesse ad illa insulsissima verba descendere: Dominum vel per apertas ianuas contra ipsa verba diuini Euangelij: vel per fenestram, aut caminum ingressum esse. senserunt, ad eorum perfidiam destruendam quāta hæc esset machina. Abnegationem autem verborum Euangelij & eorum impudentiā, cum quisq; fidelis execratur: tum omnes orthodoxi Patres, quos etiam priore libro produximus irrident. Quorū loca margini sunt annotata. Et quid obsecro respondebunt homines, vt sibi vidētur acuti, ad egressum Christi

In vno loco
possunt esse
duo & plura
corpora.

*Corpus Christi per
se h.*

*De obliuato de
sepulchro Christi.*

Christo: in
Ioann 20.
Hilar: lib: 3.
de Trinitate.
Iustin: quest:
17. in geneti:
Athanas: ora-
ti: 4. in anna.

Ambro : lib.
10. in Luc :
cap : 24.

Hierony : ad
Pammach.

August : de ci
uit. libr : 22.
cap : 8.

Epiphani. hæ
ref : 64.

Algeri libr :
1. cap : 1. 4.

vixit tempo
ribus : Beren
garij.

sti ex clauso virginis vtero? Libet ad extre
mum hac de re quendam antiquum, qui ante
600. propè annos floruit, Doctorem, Beren
garij agonotetã, qui eum conflictu felicissimo
confodit loquentem, inducere : *Si corpora, in
quit, nostra spiritualia futura sunt, quia spiritui corporali
ter iuncta : quid corpus Dei nisi diuinum, quia Deo unitu?
Carnem igitur diuinam substantialiter quidem eandem cū
Deo non dicimus : sed cū Apostolus dicat, omnia ei sub
iecta, prater eum qui subiecit ei omnia. testetur & ipse fi
lius Dei omnem potestatem sibi datam : profecto sic in uni
tate Deo coniunctam credimus, ut quod habet Deus per na
turam, hoc habeat ipsa per gratiam. Cū ergo nos habitu
ri simus, Angeli etiam modo habeant, ut quantacunq; lo
corum interualla nullo serè temporis interuallo, nimia sua
celeritate pertranseant, non hoc tamen habent, ut vnde re
cedant ibi remaneant. Quo priuilegio sola Christi caro, su
per omnem creaturam à Deo exaltata, super ac prater om
nium naturam insignita, ut per omnipotentiam in cælo &
in terra datã, vbicunq; quomodocunq; sibi placuerit, nõ de lo
co ad locum transeundo, sed ibi ubi est remanendo, & alibi
vbicunq; voluerit existendo, tota & integra, & substantia
liter sit in cælo & in terra. Hæc est Sanctorum fi
des. Nec vbicq; corpus Christi esse sicut est di
uinitas asserunt, vt Brenianos condemnent.
Nec in vno loco ita esse affixum prædicant,
vt ibi tantummodo sit, ac non etiã in diuersis
& in mille locis, vbi esse velit : sub specie
bus præ*

bus præsertim panis & vini in Eucharistia. Antiquiores autem Christi præcones orthodoxos Doctores, superuacaneum est forsitan recensere: cum illi idem, qui veritatem Christi corporis in Eucharistia agnoscunt, illud ipsum esse in diuersis & pluribus locis confitentur. Diui Ambrosii sunt illa aurea verba: *Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed in recordationem mortis eius: & una hæc est hostia non multe. Quomodo una & non multa? quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium est exemplar illius est: id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, cras alium, (audiant blasphematores Missæ & Sacrificij) sed semper id ipsum. Proinde unum est hoc sacrificium, alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur (notet Volanus) multi Christi sunt? Nequaquam, sed unus ubiq; est Christus: & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubiq; offerunt unum corpus, & non multa corpora: ita etiam & unum sacrificium. Eadem ferè sunt verba D. Chrysostomi, Theophilacti, Theodoretii, Oecumenij, Remigij, Primasii, Haimonis, Sedulij, in eundem locum Apostoli ad Hebræos: ut taceam Concilia Nicænum & Ephesinum, illud affirmat: *Agnum iacentem in altari, immolari in cruento modo. (Hoc verò) ex eodem sacrificio carnem summi non puri hominis, sed filij Dei. Et D. Augustinus**

In cap: 10. ad Hebr.

Missæ Evangelica.

Multis in locis offertur caro Christi & Christus. Chryso: homil: 17. ad Hebr: Omnes in cap: 8. & 10. ad Hebr.

Concil: Nicæ. Cōcil: Ephes. Augustin: in Psalm: 33.

in diuersis locis idem corpus fuisse in cena agnoscit: nēpe in manibus Christi cū seipsum ferebat, & in naturali loco in quo conspicuo modo cernebatur. D. Chrisostomus, inter Christum & Heliam discrimen statuens, Heliam tātum pallium discipulo reliquisse, cū ascenderet: Christum vero & in carne ascendisse, & eandem edendam discipulis in mysterio affirmat reliquisse. Et alio loco: *o magnum miraculum, o magnā Dei erga humanū genus beneuolentiā: en qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit uolentibus excipere ac complecti.* Quis posset tantam seriem Sanctorum aduersarios condemnantiū, & hæc admiranda in Eucharistia prædicantiū, percensere? Illud ad extremum subiiciam: summam incogitantiam huius Volani maxima esse irrisione dignam, quod substantias corporum sine suis proprietatibus diuina potentia subsistere non posse somniet. Plurima exempla diuinorum & admirandorum operum, eius conuincunt imperitiam, & tam abiectam de diuina potestate opinionem. Quid magis proprium est igni quam vrere? At Babilonicus ignis tres non adussit pueros, sed recreauit:

Chris: hom:
60 ad Popul.

Chrisost. lib:
3. de Sacerd.

Deus potest
seruare substā
tias rerum si-
ne earū pro-
prietatibus,
quibus prædi-
cæ sunt à na-
tura.

Daniel: 3.
Ignis non vr-
rens.

recreavit: vel ergo dicat illum non fuisse ignē, vel illā ignis substantiā suis caruisse proprietatibus. Quod cum referente Spiritu S. credimus: pugnamus iuxta Volanum cum natura, gigantum more: ille cum Deo, dum sacrae scripturae diuinæq; veritati repugnat.

Quid magis à ferro alienum, quàm aquis innatare? quæ hoc proprietates & natura ferri patitur. Eat ergo, & securim illam apud Helisæum ferrum fuisse, quam filij Prophetarum mutuò acceptam restituerunt, abneget? Fertur ne proprietates humani corporis, vt supra a quas ambulet? eat & corpus Christi, & beati Petri non fuisse verum, quòd hisce proprietatibus demersionis caruit, mentiatur. Quid magis à proprietate humani corporis alienū, quàm in ventre cæti triduo sine respiratione in abyfso maris persistere? factum hoc in Ionæ neget, vt verum illud corpus Ionæ non fuisse, bonus Theologus & argumentator concludat, & similiter addat: Corpus Christi in deo in Sacramento non esse, quòd suis proprietatibus in extensione quantitatum exterius destituatur. Imprudentes voces Caluinistarum.

Ferrū natans.

4. Regum 6.

Matthæ: 14.

Ionæ 2.

Corpus Christi

Ionæ in ventre cæti

starum, nihil solidi & integri de Christi Dei
nostri omnipotentia sentiunt, nil de ea ma-
gnificum prædicant: ignorant scripturas &
virtutem Dei. Iam ergo & tertia eorum
impostura declarata et explosa,
ad aliam descendamus.

☉ * ☉

CAPVT QVARTVM.

Expressum Dei verbum sequi se iactant: re ipsa
autem clarissimum Dei verbum: Hoc est corpus
meum, negligentes, ad figuras, quibus permultas
suas interpretationes contegant, confugiunt.

De figuris.

DIXI figuratos sensus Hæretico-
rum in S. scriptura, asylum esse
se mendaciorum. Quod repre-
hendere volens Aduersarius, vs-
tatatum esse in sacris literis figu-
rarū et improprii sermonis vsū ostēdit. Ego
verò nihil minus nego. at nō de sacra scriptu-
ra, sed de se, suisq; magistris hereticis hoc me
dicere aduertere debuit. Obseruatū est enim
istos ve

istos veritatis inimicos, cum apertum diuini
 verbi lumen, eorum perstringens oculos non
 ferunt: sicut noctuæ solent, ad tenebras ob-
 scuritatēque incertam mysticorum sensuum
 confugere. Hoc fecit Hymenæus, & Philetus,
 qui factam esse iam resurrectionem in spiritu
 prædicabant, corporum hanc visibilem, fu-
 turam abnegantes, & Apostolicæ prædica-
 tioni resistentes. De Valentino & eius discipu-
 lis refert D. Augustinus loca illa, quæ in sacro
 Euangelio, Christi carnem assumptam ex vir-
 gine, clarissimè testantur, per sensus figura-
 tos deprauare conatos esse. Arrianos verba
 illa: Hic est filius meus dilectus, ad metapho-
 ras cōtorrisse, D. Athanasius accusat: & quod
 eosdem ad confirmanda sua in tropis deliria,
 scripturæ locos adhibuerint, quibus nunc vt-
 tuntur Zuingliani, indicat. Illi etenim con-
 tra Domini nostri diuinitatem: isti contra
 Eucharistiam locis illis abusi sunt: Ego sum
 vitis: ego sum ostium, lux, via. Arriani qui-
 dē vt illud: Hic est filius meus dilectus: Zuing-
 gliani verò vt istud: Hoc est corpus meum.
 eodem dicendi tropo dictum esse persuade-
 rent. Illi non verum, sed figuratum filium

K

Dei esse

2. Timoti: 2.
 Hæreticorū
 mos in figu-
 ris latibula
 querere.

Augustinus
 libr: de Ago-
 ne Christiano
 cap: 22.

Orati: cont.
 Arrianos.

Dei esse Christum Dominum: isti non verū
 sed figuratū eius in Eucharistia corpus falso
 probare nitentes. Idem fecit Nestorius: idem
 Origeniste & alij peruersę doctrine ministri.
 Cū enim sensus proprius, et ad literā sua natu-
 ra simplex sit & apertus, mysticus verò secre-
 tus & varius: & qui quādoq; ad obscurāda &
 contegenda mysteria adhiberi solet: nullum
 est figmentis hæreticorum perfugium tuti-
 us, quàm ista obscura & nulla certa lege cir-
 cumscrip̄ta interpretatio. Fatemur multas es-
 se in scripturis sacris improprias locutiones:
 sed in Zuinglianis tria ista reprehendimus:
 quòd capita fidei & salutis nostrę, obscurita-
 te mysticorum sensuum in periculum addu-
 cant: quòd sola rei difficultate adducti, im-
 possibile esse: vt verum corpus, dari tot ho-
 minibus possit arbitantes, ad figuras confu-
 giant: quòd deniq; in simplici verborum il-
 lorum retinendo sensu, nulla authoritate su-
 perari se patiantur.

I. S. Eucha-
 ristia cū sit
 p̄cipua pars
 fidei nostrę,
 non debuit
 per figuras
 institui.

Age figurator quisquis es, summū ac inter
 præcipuos vnū, esse religionis nostrę arti-
 culum, hoc Sacramētum Sacramentorum, di-
 uinam sc̄zt Eucharistiā, negato si potes. Nō

potes.

potes. Nam est salutis nostræ ancora, & vi-
 tæ æternæ hauriendæ instrumentum, dicen-
 te Domino: Nisi manducaueritis carnem filij
 hominis, non habebitis vitam in vobis. Erit
 ergo quisquã tam excors, vt dicat: salutis no-
 stræ tanti momenti Sacramenta, figurato
 sensu esse nobis fundata & instituta? Egregia
 scilicet fundamenta haberemus: benè firma-
 ta esset nostra confessio: nec probare quic-
 quam certi, nec tueri ab errore vnquam pos-
 semus. Merito enim D. Dionisius Apostoli
 Pauli discipulus, symbolicam Theologiam ad
 conuincendum non esse idoneam, tradidit. Si
 quis ex illis verbis de Lazaro: Soluite eum, &
 sinite abire: vel ex illis de Asino: Soluite &
 adducite mihi: Apostolis datam potestatem
 soluendi peccata probaret, & non alibi clari-
 oribus verbis datam ostenderet, qua irrisionè
 ab aduersarijs exagitaretur? sicut facit
 Volanus in verbis illis: Ecce duo gladij, pro-
 bare nos inde Sum: Pont: potestatem stultè
 existimans, quasi nobis alia ad hæc firmanda
 deessent. Si verum esset quod dicit, in aqua
 exorcizanda totam nos probationis vim ab
 Elisæi facto desumere: merito ab illo & alijs

Ioann: 6.

Dionisius e-
pistola ad Ti-
tum.

Ioann: 11.

4. Regum 2.

inimicis veritatis irrideremur. Coeterum cū ad illa stabilienda, longè alia ex sensu simplici, de quibus hīc dicendi non est locus, argumenta retineamus: ille potius summo stultitiæ titulo fruatur, qui ex Apocalypsi D. Ioannis, ex illis symbolicis & figuratis Prophetis, suas de Rom: Pont: blasphemias probare molitur, vt odium suum in sanctissimam Sedem, quæ eius cōdemnat perfidiam, exsatiat. *Quid dari potest impudentius, inquit D. Augustinus, quàm si quis nitatur aliquid in allegoria positum, pro se interpretari: nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.* Itaq; si fidei nostræ articuli, iuxta istos figuratis sermonibus inuituntur, quisq; sicut voluerit illas figuras abundans in suo sensu, interpretabitur. Quod in his Christi verbis: Hoc est corpus meū, vbi ab hereticis ad figuras traduci cœperūt contigit: innumeras enim & à se inuicē dissidētes interpretationes introductas videmus. sicuti in calce huius capituli admonebimus. Eucharistiā SS. ex qua vita nostra in Christi corpore & sanguine posita deriuatur, in qua est redemptionis nostræ fructus, & omnium cœlestium gratiarum thesauri, symbolicis sermonibus institutam esse opinari: nihil est aliud, quàm de illa nihil.

Hæretici ex symbolicis locutionib. sua probant.

August: Epi: 48. ad Vincē.

Figurati sensus vno relicto simplici, multi apud Hæreticos.

illa nihil certi statuere. Si Christum de cœlo descendisse, & natum ac passum pro nobis, ex solis figuris doceremus: & per illum Danie-
 lis lapidem de cœlo demissum, incarnationem: per hostias animalium, mortem: per e-
 uasionem hædi, resurrectionem traderemus: nec alia ad hoc statuendum, ex sensu aperto & simplici, diuina oracula proferre posse-
 mus: merito nobis aliquis credere recusaret, vel infirmitati probationum insultaret. Ex istis mysticis illa quæ sunt alibi apertis verbis tradita, illustrantur quidem optimè, sed probantur debilissimè, nec vnquam stabiliuntur solidè. Benè admonet Tertullianus: contra hos figuratores: illa omnia quæ fidè & mores continent, esse in sacris literis simplici sensu posita. Probare deniq; non possent aduersarij aliquid Sacramentum salutis nostræ esse vnquam figurata dictione institutum, ne in veteri quidem lege. Nam Circumcisio, & Agni immolatio clarissimis verbis statuitur, omnesq; illos ritus ad literam traditos & seruatos fuisse, nemo est qui inficias ire possit, per Præpucium Præpucium, per Agnum Agnus est Dei, instituto à Patribus intellectus. Ba-

De resurrectione carnis.

II. Nullum Sacramentum figurato sermone est institutum.

ptissimus noster, si verba illa ad figuram tradu-
catur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-
ritu S. nullum certum ablutionis habebit li-
quorem, si per aquam non aqua, sed aliquid
aliud capiatur. Iam delebitur ipse Baptismus,
vt iam à Caluino & ipso eius affecta Volano:
aquã in hisce verbis ad figuratum, id est incer-
tum & varium sensum trãferentibus omni-
nò deletur. Quod si in baptismo per aquam,
ipsam aquam simplici sensu accipimus: cur
non in Eucharistia corpus sumimus pro cor-
pore? Testamenti præterea nomen cum
huic Sacramento ipse author tribuat dicens:
Hic est calix noui Testamenti in meo sangui-
ne: & cum illud idem vtrunq; designet, & fœ-
dus & verba nouissima morituri: vtrunq; sua
natura apertas, nec vllis ambagibus inuolu-
lutas requirit sententias. Quis enim pacẽ per-
petuam cum inimico firmaturus, obscuris vt-
titur sermonibus: qui lites potius & inimicitia-
rum fomites alunt quàm firmant pacem: cla-
ris certè pactis vti amicos portet. Quod fœ-
dus cū iam non Moyfes, sed Mediator noster,
Deus & homo Christus, tanquam sacratissi-
mum & preciosissimum perpetuæ inter nos
& Deum

Caluinus in
Institut: cap:
17. & 18. iux-
ta finem.

III. Fœderis
natura clara
pacta requi-
rit.

& Deum amicitiae pignus componat: quis non videat, ex differentia veteris & noui Testamenti, hoc sequi necessario: ut filius Dei non iam figuris, non sanguine brutorum, nec umbris: sed diuino suo sanguine, ad maius stabilimentum tantae pacis, foedus hoc & pactum obsignasse, & pro corpore animalium suum sacratissimum corpus: pro sanguine brutorum, proprium suum tradidisse credatur. Quocirca omnis dicendi figura ex his verbis aufertur: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Si foedus nunquam sine hostia & sanguine ictum est: Si in primo dicit Moyses aspergens populum Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus: conuenientissime dicit in secundo veritas ipsa, & figurata in lege hostia, preciosiore & certiore ad hoc foedus afferens obsignationem: Hic est sanguis meus noui testamenti. nisi Christum nihil nouasse, nihil preciosius ad hanc firmam pacem attulisse, nullumque excellentius Testamentum instituisse, nec ad illud firmandum prestantiora nobis pignora reliquisse, nec Mosaycas impleuisse figuras, mentiri aduersarij velint. Moriturus denique Testator noster, & Testamentum ditissimum

Foedus sanguine confirmatum sed diuerso in lege & Euangelio.

Hebr: 9.
Exod: 24.

IIII. Testamenti natura clara verba desiderat.

to ditissimos nobis relicturus thesauros: quo
modo spem filiorum & hæredum, quos vsq;
in finem dilexit, in perplexis sermonibus cõ-
stitueret? Tum maxima adhiberi solet ver-
borum claritas, cum pro interpretatione ver-
borum testatoris habenda, patere nõ potest
amplius accessus ad ipsum: vt qui per mortẽ
decesserit, penes quem ius esset declarãdi. An
vilis & plebei hominis prudentia permittet,
vt cum decem talentorum millia filijs & hæ-
redibus, quos vnice diligit, testamẽto donet,
verbis vtatur huiusmodi vt dicat: decem se
illis panes relinquere & legare? aut contra,
cum quinque tantum agri iugera relinquat,
quinque se millia nummum filijs donare te-
stamento affirmet? Fallere hoc esset non dis-
tare: discordiarũ inter hæredes semina, non
amoris spargere. Quod fecisse ipsam sapien-
tia quis sanus affirmabit? si humana prudentia
tale execratur testamentũ, figuris, dolis, cõ-
fusioneq; plenum: hoc ne tribuere filio Dei
audebit Calvinistica calumnia? Non Chri-
stus nos seduxit dicens: Hoc est corpus meũ:
sed Zuingliani hostes nostri, nobis verba da-
re, & hunc nobis suffurari thesaurum, & pro
auri infu-

auri infinitis ponderibus testamento relictis,
 lapides: pro Christi corpore, figurarum pale
 as obtrudere, nobisq; illudere conatur. Homi
 nis morituri, dicit Augustinus, cum nouissima uerba
 audiuntur, nemo dicit eum esse mentitum, & impius iudi
 catur heres, qui forte illa contempserit. Isti uero qua
 reuerentia Christi testamentum recipiunt,
 cum uerba eius clarissima, figuras in eis exco
 gitantes contemnunt atq; deprauant, ac aliud
 illum ore in extrema testamenti & mortis ho
 ra locutum, aliud corde pressum habuisse con
 fingunt. Ab apertissimis ergo Testatoris no
 stri uocibus, a preciosissimis legatorum no
 bis thesauris, abduci nos & seduci ab istis par
 tiemur? Tantam eorum deprædationem, &
 & testamenti uerborumq; nouissimorum con
 temptum perferemus. Morituri præterea pre
 ciosissima quæq; his quos amant relinquunt:
 Deum uero & Saluatorem nostrum potentissi
 mum, ditissimum, ac in nos propensissimi a
 moris, egea tantum nobis elementa & signa
 moriturum reliquisse: & eius infinitam atq; cum
 summa potentia coniunctam charitatem ad panem,
 & uinum reductam esse: quis potest sine con
 tumelia ipsius cogitare? Memoriam etiam sui

L

& omni

De unitate
Eccle: cap: 10V. Morituri,
preciosas res,
non signa re
linquunt.

Psal. 110.
V I. Memo-
riam sui qua-
lẽ relinquit,
qui multa &
magna pos-
sunt.

& omnium mirabilium suorum, iuxta Psal-
mum, in esca illa timentibus se Dominus reli-
cturus, non nudis imaginibus eam inclusisse
credendus est: hoc enim illi faciunt, quorum
non est tanta potentia. à Christo Domino &
Deo nostro, sublimiora erant expectanda.

VII. Res no-
tæ figuris or-
nantur, nouę
clare exponũ-
tur.

Deniq; in notis & vsu tritis rebus ad ornatũ
saltem adhibendum, & res satis perspectas il-
lustrandas: atq; verborum in eis fastidium
fugiendum: vel ea quæ non omnibus aperta
esse volumus contegenda: legitimus est figu-
rarum vsus (quod etiam Aduersarius ipse fa-
tetur) at cum res nouæ, inauditæ ad salutẽ,
cognitionemq; omnium institute traduntur:
nullus nisi inuidus, & humanæ salutis hostis
troporum eas inuolucris contegit. Euchari-
stia Sacramentum an non nouum? an non
testamentum nouum? an non inauditum? an
alibi aliquando traditum & institutũ? an non
ad omnium salutem & cognitionem pertinẽs?
Quomodo igitur non aperta & simplicia in
sui præsertim origine, & prima institutione

VIII. Con-
stans verbo-
rũ institutio-
nis nec à quo-

verba requirebat? Et quod maxime moue-
re quemlibet, et ab istis figurarum fictionibus
auersum cuiuscunq; animum reddere de-

bet, illud est: vna eademq; perpetua & con-
 stans verborum forma, apud omnes tres E-
 uangelistas & Apostolum Paulum, qui insti-
 tutionis ipsius verba recensent. Omnes ne ap-
 picem quidē immutant, sed eadem prorsus re-
 tinēt verba: Hoc est corpus meū. Quę si figu-
 ratē dicta fuissent, vnus saltem aliquid immu-
 tasset, & voculam vel minimam addidisset,
 per quam nodus iste solueretur: si vel saltim
 nomen signi vel figurę intulisset, ne in re tā-
 ti momenti errorum & dissensionum semina
 iacerentur. In consecratione calicis, solus ex
 Euangelistis D. Lucas illa vsurpauit verba:
 Hic est calix nouum testamentum in meo san-
 guine, qui pro vobis effundetur: ne ex eius
 verbis figuris aliquid tribueretur, & simplex
 sensus obscuraretur: duo alij Matthæus, et Mar-
 cus, simplicissimis verbis hoc ipsum illustra-
 runt, dicentes: Hic est sanguis meus. Et in a-
 lijs hoc fecere diligentissime. Alter dixit de
 Domino Iesu, filius Ioseph: alter, ne verus Ioseph
 filius esse crederetur, & error ex verbo-
 rum amphibologia in re tāti momenti sequeretur,
 adiunxit: vt putabatur. Nonne fides
 eadem sanctorum Euangelistarum exigebat:

quam in ver-
 bis mutata
 forma.

Lucę 22.

Ioann: 1.
 Lucę 3.

L ij

si cum

(si cū dixit dominus : Hoc est corpus meū,
non corpus sed signum corporis intellexit.)
vel vnum ex illis addidisse, id quod Zuingliani
addunt : Hoc est figura & signum. At hoc
nullus fecit, sed ne Apostolus quidem, qui vlti-
mus hunc institutionis fōtem Corinthijs re-
petebat. Nec erat operosum vno verbo à tan-
to errore, & tot discordijs fideles omnes libe-
rare. Cœna etiam illa & nox & concio Chri-
sti, omnem aufert parabolicum sermonem.

IX. Cœnæ
& sermonis
alius claritas.

Tunc secreta illis omnia, sicut nouissima ver-
ba facturi solent, apertissimè communicat :
& illis plenis charitatis feruentissimæ verbis
eisdem blanditur: iam non dicam vos seruos,
quia seruus nescit quid faciat Dominus eius :
vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq;
audiui à Patre, nota feci vobis. Et illi, Magi-
stri et Dñi sui illa simplicitate et nuditate ver-
borū delectati, sibiipsis gratulātur dicentes :
Ecce nunc palā loqueris et prouerbiū nullum
dicis. Quod etiam Magistri Volani confiten-
tur. Quod si verba illa: Hoc est corpus meum,
figurata & parabolica fuissent, non hoc in-
tulissent, sed tum maxime, cū testamentū
condebatur, & transiturus ab illis erat ex hoc
mundo

Ioann. 15.

Beza contra:
Vest: de Cœ-
na ad cap: 31.

mundo ad patrem, explicationem postulas-
 sent: quin mox ipsemet Dominus, (vt etiam
 illa quæ dixerat de vite & palmitibus) expli-
 casset. Porro quæ minoris erant momenti,
 ipsi inquirebant, & Magistrum compellabāt.
 Qualia sunt illa: Modicum & non videbi-
 tis me: Nescimus quo vadis, & quomodo
 possumus viam scire? Quare non possum
 te sequi modo? At, cum religioso illo & sin-
 gulari quem sacrificaturi Deo adhibēt modo:
 Eleuatis in cælum oculis, accipiens panem in
 sanctas & venerabiles manus suas dixit: Hoc
 est corpus meum: nemo interrogat, omnes
 credunt & adorant. Os ipsum Apostolorum
 Petrus, silet, nec pro more solito quærit: E-
 disse nobis parabolam hanc. quomodo hoc
 quod gestas manibus & nobis præbes, corpus
 sit tuum? sed simplici sensu verba accipit &
 credit. Erat certè interrogandi tempus, cum
 longè minora eo tempore in perquirēdo præ-
 termissa non sint: præsertim de re ad totius
 Ecclesiæ salutem intimè pertinente. Quam
 etiam non interrogatus Saluator, inexpli-
 catam nullo modo reliquisset, si aliter quam
 dixit sensisset. Vnde quod dicit aduersarius:

Cur Aposto-
 li non inter-
 rogant ver-
 borum expo-
 sitionē: Hoc
 est corpus
 meum.

et ꝑ Apostolos tunc non fuisse oblocutos, neqꝫ
 « quam absurdum & inconueniens dictū illud:
 « Hoc est corpus meum, repudiasse: quia my-
 « sterium, id est figuram esse in Christi verbis
 « agnoscunt. Falsum est, eos ideo siluisse: nec
 enim ad parabolicos & figuratos sermones,
 mox diiudicandos, iam tunc vsquequaꝫ erāt
 instructi: sed de omnibus potius obscure di-
 ctis, opportunam mouebāt quæstionem. Ideo
 autem silent, quia credunt & admirantur.

Ioann: 6.

Iam enim ante didicerant, (cū se daturum
 illis carnem suam ad manducandum promit-
 teret, & alij ex illis promissis scandalum pate-
 rentur, magistrumqꝫ relinquerent, & sermo-
 nem illum tanquam durum reiicerent) etiam
 difficilia & hominibus impossibilia Domino
 loquenti esse credenda. Iam per Petrum con-
 fessi erant: Verba illum æternæ vitæ habe-
 re, nec fallere dicendo: sed omnia quæ dice-
 ret, præstare etiam re ipsa posse, quod esset
 filius Dei & natura Deus. Iam vocem illam in
 Apostatis condiscipulis quibusdā, totius per-
 fidie fontem: Quomodo potest nobis carnē
 suam dare ad manducandum, execrati fuerāt,
 iam Capharnaitas perfidie condemnarāt: iā
 promissi-

promissione illa, de manducanda Domini sui carne & bibendo sanguine, erant instructi: tempus duntaxat præstandæ promissionis expectabant. Quod cum iam in vltima illa cœna adesse cernerent, & iam religiosam illam & stupendam actionem Christi, tanquam Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech cõtemplarētur, & pronuciari à Domino accepto pane audirent: Hoc est corpus meum: credunt, charitatem diuini Magistri & Domini exosculantur, & adoranda illa munera accipiunt, in omnipotentia eius, & diuinitate altissimam fidem defigentes.

Hanc nos ab Apostolis fidē recepimus, nec obmurmuramus, nec adiungimus sacrilegum verbum signi vel figure, quod ipse author qui dilexit nos, nec seducere potuit nequaquam, adiunxit. Qui certè verborum suorum duritiem quæ Capharnaitis videbatur attulisse scandalum: si figurata fuissent, mitigasset utiq; illa, & nunc maximè symbolicè loqui se declarasset: at ne verbū quidem mutauit. Si cut. promisit audientibus Capharnaitis: Panis quem ego dabo, caro mea est. Ita nunc præstitit dicens: Accipite, hoc est corpus meum

Durius dictū
cap: Ioan: 6.
in cœna. Chri-
stus temperas-
set, si figuras
nobis reliquis-
set.

nullo

Tropus in
verbis institu-
tionis nūquā
concessus.

nullo tropo & figura in his verbis introdu-
cta, per cuius explanationem, & Capharna-
tæ discipulūq; retro abeuntes reuocari, & Ap-
ostoli ad totius Ecclesiæ eruditionē instrui
poterant. Repellamus ergo fraudes figurato-
rum, & quod dixit Deus firmum ac stabile,
arbitremur: omniq; fide & adoratione susci-
piamus. Illud non est subtrahendum quod as-
firmet aduersarius: tropum me in verbis Do-
minicis concessisse cum dicerem: Si species pa-
nis quæ videtur in Eucharistia, Christi vocē-
tur corpus, figuratè hoc dici concedi potest:
ideo quod illud contineant & significēt, sicut
arcam in qua est aurū auri ipsius nomine vo-
camus continens pro contento, vti dicitur.
Ego verò de Christi Domini verbis, quibus
hoc instituit Sacramentum, nunquam hoc ne-
cogitauī quidem, nec quicquam minus mente
sum complexus, nec id potest probare calu-
mniator hæreticus. Sed de meis hisce & D. Au-
gustini verbis hoc protuli, & profero: si spe-
cies ipsæ à me vel à quocunq; vocentur Chri-
sti corpus, non esse orationem simplicem. At
Christus Dominus nequaquam dixit: Hæ spe-
cies panis visibiles, sunt corpus meum: sed,
hoc est

Hoc est corpus meum, de illo quod sub speci-
 ebus latebat pronuncians, & substantiam de-
 signans. Ad extremum tot dissidentes aduer-
 sariorū in hæc verba: Hoc est corpus meū, &
 tam variæ interpretationes atq; incredibiles,
 nec secum ipsa, nec cum alijs consentiens le-
 uitas, suadet nobis vehementissimè, vt mor-
 dicus simplicem sensum retineamus, à quo cū
 illi ad figuratos deflectunt, nullum certū nec
 stabilē inueniunt. Tot eorū oppositiones, et
 varietates, in figuris docent nos, firmissimè
 omnia eorum in tropis figmenta abolenda, &
 nudis Christi Dñi verbis adhærendum esse.
 Octuaginta eorum interpretationes quidam
 in hæc sola verba: Hoc est corpus meū colle-
 git, & plures superesse dixit. ego ne onerē le-
 ctorem, Lutheranis prætermisis, Zuinglian-
 nicas & Sacramentariorum recensebo.

X. Figurati
 sensus multi,
 & incerti, a-
 pud hereticos
 retinendus er-
 go vnus sim-
 plex & certus

Claudius San-
 tefius.

H O C E S T C O R P V S
 M E V M.

1. Hic est corpus meum. *Notatur à Caluino in vltima admonitione contra Vestfal.*
2. Hoc est sanguis meus. *Beza in Annotation: in nouū Testamen.*

M

Hic sit

3. Hic siue in hoc loco est corpus meum. *Biblia Gallica Geneva.*
4. In hac actione, non tamen in pane, est & exhibetur corpus meum. *Bucerus in Retractati.*
5. Hæc actio est corpus meum: id est societas, siue cōmunionis Sacramentū in corpore meo. *Ioannes à La sco in tractatu de Sacramento.*
6. Corpus meum hoc, nempe panis. *Petrus Martyr in magno volumine.*
7. Corpus meū hoc, id est cibus spiritualis. *Ioannes Langus in Comment: in Apologiam 2. Iustini.*
8. Corpus meum est hoc quatenus mensæ accumbit. *Carolstadius in Dialogo de Eucharistia.*
9. Hoc significat corpus meum. *Zuinglius in subsidio Eucharistia, & Beza contra Vestfal.*
10. Hæc est mea humana natura. *Zuinglius in expositione rei Eucharistia.*
11. Hęc est diuinitas seu spiritus qui viuificat. *Idem ibidem.*
12. Hęc est mors & passio mea. *Idem libro 2. De institutione Coena.*
13. Hoc est fidei corpus, seu fides de me. *Idē ibi.*
14. Hæc est cōmemoratio corporis mei. *Idem in responsione ad Confession: Lutheri.*
15. Hoc est symbolicum corpus, seu figura veri corporis. *Idem in prefatione ad Regem Gallia.*
16. Hæc est tessera societatis Christianæ. *Idem citante*

citante Bucero in Episto. ad Episcop.

17. Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datur. *Oecolampadius ad Bilicanum.*

18. Hoc est signum quod admonet vos, quomodo corpus Christi pro vobis traditū vos viuificet. *Oecolamp. de dignitate Eucharistia.*

19. Hoc est signum, symbolū, quod testatur vos ab vno eodemq; corpore esse redemptos. *Ibidem ad Ecclesias in Sueuia.*

20. Hæc est protestatio & memoria meorū beneficiorum. *Bucerus in Apolog: de doctrina Cœne Domini*

21. Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore. *Petrus Martyr Tractatu de Eucharistia.*

22. Hoc symbolum sacrum gratiæ & redemptionis meæ, quod post me vobis relinquitur. *Bulingerus in Cap: 10. ad Corinth 1.*

23. Hoc est testamentum & obsignatio corporis pro vobis traditi. *Idem tractatu de Ecclesie Sacramentis.*

24. Hoc est mysticum corpus meum, seu Ecclesia Sanctorū redempta meo corpore. *Idē ibi.*

25. Hoc Sacramento significatur passio & mors mea, ac cōmunio cum omnibus Sanctis. *Idem ibidem.*

M ij

Accipit

26. Accipite & edite, quod pro vobis datur est corpus meum. *Calvinus 2. defenſ: contra Veſtfa.*
27. Hæc eſt ſocietas vobis gratuito delata, ius & uſus illius in meo corpore. *Ioannes à La ſco Tractatu de Eccleſie Sacramentis.*
28. Hæc eſt qualitas mei corporis vobis delata, à quibus ſubſtantiã accepi. *Idem ibidem.*
29. Hoc eſt corpus meum in cœlo poſitum, tam diſſitũ à pane & à vobis, quàm cœlum à terra. *Calvinus in Heſuſum & Beza.*
30. Hic eſt canalis Spiritus ſancti, & per quẽ quicquid eſt Chriſtus ad nos deſcendit. *Calvinus libr: 4. Inſtitut: cap: 17. Nu: 12.*
31. Hic eſt canalis corporis mei. *Bucerus in Epiſtola ad Epiſco. Erephordien.*
32. Hæc caro eſt canalis vitæ. *Calvinus 4. inſtitut: cap: 17. & in Ioannem.*
33. Hic panis eſt inſtrumentum, quo Chriſtus nobis ſuum corpus diſtribuit. *Calvinus lib: de Coena.*
34. Hæc eſt virtus & gratia ſpiritualis mea. *Idem in cap 26. Matthæi.*
35. Hoc eſt abstractum quid à ſubſtãtia corporis mei. *Calvinus in ratione ineunda Concordia.*
36. Hic panis eſt corpus meũ, Sacramentali locutione & coniũctione per Metonimiam ſigni &

gni & signati. *Calvinus & Beza in Heshufum.*

27. In hac cœna quatenus est cœlestis actio, & non quatenus est externa & terrestris, est corpus meum. *Idem Calvinus in Heshufum & Beza in Apolog.*

28. Est obfignatio seu confirmatio gratiæ iã receptæ. *Idem 4. Institut. cap: 14.*

29. Hoc est corpus meum sine diuinitate & sanguine. *Idem Calvinus Institut: cap. 17. Nu. 37.*

30. Nihil interest siue sit corpus, siue non sit. nam nō est articulus fidei, nec de eo est di-
gladiandum. *Citat de quibusdam Lutherus in Confessi-
one Eucharistia: eoz inclinat Melanchton, & est via pro-
na ad Alcoranū, ait Staphylus de Lutheranorū concordia.*

Tedet me in hisce delirijs tempus terere.
Sicut relicta vna Catholica fide, tot induxe-
runt fides: ita relicto vno simplici horum ver-
borum sensu, infinitos per figuras confinxerunt,
& tantis discordijs doctos nos esse vo-
lunt: à simplicitate verborum Christi nequa-
quam esse declinandum, & in illis omnem
figuram & tropum abolendum.



CAPVT QVIN-
TVM.

Quinta ars Zuinglianorum. Loca scripturæ sacrę, & voculas quasdam congerunt, vt ex similibus suas figuras probent, & ostentatione scripturarū mentes deludant imperitorum: cū nihil prorsus v ocum illarum collectio ad rem faciat, & vnus institutonis S. Eucharistię locus in illis Verbis: Hoc est corpus meum. mille alijs expugnari non possit.



Dena est doli & alia istorum im-
postura. Non recurramus, inqui-
ūt, in hac lite decidēda ad inter-
pretationem Ecclesię Dei: Do-
ctorum testimonijs non permo-
ueamur: Episcoporum & Conciliorum to-
tius orbis negligamus decreta: sed scripturā
per scripturam: obscuriora per clariora, elu-
cidemus. Hoc dictitant & interim sui vafri
ingenij proprios machinantur dolos. Etiam
si clarissimam vocem scripturę, qualis hæc
est: Hoc est corpus meum, & Ecclesię, omni-
umq; sacrorum interpretum sententias illis
obtrudamus; nunquam temeritatem suę o-
pinionis deponunt: sed ipsi se supremos scri-
pturę

pturæ sacræ interpretes constituunt: omnia
 per suas expositiones definiri volunt: nec vli
 li etiam diuinæ authoritatî in scriptura sacra
 cædunt. & quod omnium est intolerabilius,
 & fucum malę mentis redolens: non ab obscuro
 ad clariorem scripturæ locum: sed ab hoc
 apertissimo institutoris Eucharistię: Hoc
 est corpus meum, ad aliena, ad impropria de
 ducunt: & ab ipso institutionis fonte, ad di
 uersos quosdam a proposito riuulos abduce
 re nos conantur. Hinc illi eorum Catalogi,
 mutilatę & iniquè contortę scripturę, quib
 us imperitam suam peritiã, venditant.
 Diligens autem & cauta prudentia re intro
 spectã, astu plenam deprehendet imposturã:
 videbitq; illud Apostoli esse potius tenendũ: 1. Corin: 14.
Malo quinque verba sensu meo loqui, quàm
decem millia verborum in lingua: hoc est eor
um, quę non intelliguntur, vel falso contor
quẽtur. Etiam si illa accumulẽt: *Ego sum ostiũ:*
ego sum vitis, via: Et illa: *Christus est Leo, Agnus, La*
pis. Et illa: *Agnus est Phasẽ: Circumcisio est fœdus:*
arca est Deus, Colũba Spiritus S. Ioãnes est Helias: Petra
erat Christus: semen est verbũ Dei: septem racce sunt septẽ
anni: Anima est sanguis. Ex Hom: & Verg: etiã sua
 stabiliãt: sed mille alia loca afferãt, quib. pro

Beza in Con
 fess: cap: 4.

bent Est, pro significat poni, & à simili, Hoc est corpus meum, Est pro significat accipi debere, falluntur: nunquam similem hic esse dicendi modum: Hoc est corpus meum, probabunt: Nunquã nos ab officina propria in qua cibus iste conficitur, ad alienas, in quibus nulla est eius parandi facultas, abducere: nunquam à proprio institutionis Eucharistie loco ad diuersos, ubi non est instituta, pertrahere, & seducere fraus istorum debet.

Quin potius illa verba: Hoc est corpus meum, è proprio fonte haurienda, & tanquã ab illis omnibus supra allatis diuersa, vti ostendemus, in simplici & proprio sensu conseruanda sunt. Quod iam explicatione manifesta huius artis veteratorie non obscurũ apparebit.

I. Circumstantie spectandæ in similibus, & natura rerum que comparantur,

In primis quæ me ratio cogit, vt eadem dictionis norma figuratè sczt dictum putem: Hoc est corpus meum, atq; dictum est: Ego sum ostium, via, & similia: An in eadem materia hæc dicta sunt? an in Sacramenti Eucharistie institutione? an eodem fine? an eodẽ tempore? an eadem declaratione? an eadem, ad rem eãdem, intelligentia? Quomodo omnes circumstantias ac propria, illorum que afferunt,

afferunt, cum eo: Hoc est corpus meum, per omnia conuenire demonstrabunt?

Deniq; quæ illos ratio prohibebit, quin ex istis verbis, in quibus Est, pro significat accipi volunt, in his etiam similibus hoc eodem sensu, Est, dictum accipiant: Verbum caro factum est. & in illis: Hic est filius meus dilectus: vt significatione verbum carnem induit ille, & significatione non natura Christum esse filium Dei concludant. Tali ratiocinatione cur potius hæc verba: Hoc est corpus meum, quàm illa: Verbum caro factum est: aut hæc: Hic est filius meus dilectus, & similia impugnant, rationem profecto etiam si id maxime contendant, adferre non poterunt. Si enim contra verba diuinæ Eucharistiæ, & eius institutum talis collectio valet: cur non etiã contra alia, eadem forma verborum dicta, valebit? Arrianismum ista inducunt similia.

Nam Arriani (vt in libris contra ipsos refert Athanasius) eisdem exemplis: Christus est Leo, Agnus, vitis, ostium, hæc verba: Hic est filius meus dilectus, Est, ad significat torquentes, oppugnabant, figuratè dicta mentientes. Ad illam tamen perfidiam in verbis cœnæ nū-

N

quam

II. Non minus hæc similibus illud impugnant: Verbum caro factum est, quod hoc est corpus meum.

quam declinabant, vt similem in eis dictionis tropum, esse arbitrarentur. Impleant Zuin-
 gliani mensuram Patrum suorum, & sicut in
 verbis Eucharistie, Est pro significat, ita & in
 his: Hic est filius meus dilectus, facere idem
 audeant: vt sicut veritatem Christi corporis
 in Eucharistia abnegant, ita & diuinitatem
 Domini nostri aperte tandem, ex hisce simili-
 bus phrasibus blasphemare audeant: & hanc
 etiam ad euertendos omnes fidei articulos, &
 omnem veritatis nostræ professionem, ad fi-
 guras & vmbas reducendum, regulam appo-
 nant. Quam sanè regulam verisimile est, Vo-
 lanum fuisse sequutum: cum vel ipse scripsit,
 vel sciens & prudens scribi & euulgari permi-
 sit, non obscuram contra diuinitatem Chri-
 sti blasphemiam. Cum enim Volanus Pagina
 366. citaret hanc auctoritatem Pauli 1. ad
 Corint: 8. Nobis tamen vnus Deus Pater, ex
 quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus,
 per quem omnia: adiunxit in margine bonus
 interpretes Arrianicam interpretationem, ijs
 verbis: ¶ Christianis vnum esse Deum, nem-
 pè Patrem: vnum quoq; Dominum, nimirum
 Iesum Christum. ¶ Qua verborum inuersi-
 one &

one & callida compositione quis non videat hæreticum hunc docere voluisse: ita Christū ab Apostolo Dominum appellari, vt à Patris diuinitate excludatur. Sed nec æqualis est dictionis similitudo in istis omnibus quæ attulerunt. Si enim ad normam istorum, Christus est vitis, Agnus, &c. verba Cœnæ: Hoc est corpus meum, examinanda sunt, non debuit Christus dicere: Hoc est corpus meum: sed corpus meum est panis, ita enim dicitur: Christus est Leo, non autem Leo est Christus. Nusquā verò simpliciter & absolutè dictum est, Petra erat Christus: sed cum additione: Petra spiritualis erat Christus, quæ sanè propriissima est & nō figurata locutio. Quod adducūt de colūba et arca nusquā in scripturis reperient. Cur ergo huc tam dissonantia, nulla etiam in externa phrasi similitudine coniuncta verba agglomerāt?

I II. Inæqualitas: exēplorum.

Illud porro, ad has eorum fraudes demoliendas, omnium est maximū. Nulla est prorsus similitudo in dicendi modo horum verborum: hoc est corpus meum, cum istis: Agnus est Phase: vel, Christus est vitis, Leo, &c. In his enim diuersa de diuersis prædicantur: vt non sit abs re tropum hinc aliquem esse as-

III. Identica prædicatio non disparum.

firmare. Sed cum dicit Dominus: Hoc est corpus meum: Quid obsecro diuersum de diuerso? Si dixisset Dominus instituens hoc Sacramentum: Panis est corpus meum, tum demum Zuinglianos toleraremus. at quia hoc non dixit: sed, hoc est corpus meum: nos qui Catholici et dicimur & sumus, credimus loquutum fuisse Christum de substantia corporis sui: quæ iam per eius verbum, cessante omni substantia panis, mutabatur, cum diceret: Hoc est corpus meum. Quomodo igitur tropum hic quærent? An tropus est si dicatur: hic homo est Christus? Huic enim similis est illa enunciatio Christi, hoc est corpus meum, quæ hunc sensum reddit: hæc substantia est corpus meum. Quid hic simile illis, eorum insulis, nec quicquam ad propositum spectantibus collationibus: Christus est Leo, Agnus &c. Magistri Volani opportunè fatentur, proprietatem horum verborum sine vlllo tropo retineri tantum ab illis posse, qui Transubstantiationem credunt, & nullum panem restare præter species panis in Eucharistia statuunt. Tales cum simus nos Catholici: facessat Volanus, & Lutheranos hisce laqueis irretiat: quæ

Adversarij fatentur cum Catholicis figuris se ludere non posse.

Beza de Coena cõ: Vest. ad capu: 3. Rat: 3.

stat: qui cum sine Pastore errent, omnium luporum obnoxij sunt insidijs. Ipsi igitur pariter relinquentes, & cum eo corpus etiam Christi esse in Eucharistia affirmantes, de figuris certent, & pugna istorum sit nostra victoria.

Tueri se certè Lutherani, & à Calvinisticis dolis liberare, sine Catholica veritate & trās substantiatione non possunt, infeliciter certant, iamq; passim ubiq; succūbunt. Sola Ecclesia victricia semper contra has inter se hæresium pugnantes sectas, erigit arma.

Lutherani sine transubstantiatione vincuntur à Calvinisticis.

Si præterea in illis scripturæ locis que asserunt, vel minima mētio propositi nostri, hoc est Cœnæ Dominicæ fieret: si ibi cum dicitur, Christus est Leo, vitis, ostiū, &c. aliquid ex professo de S. Eucharistia ageretur: esset utiq; aliquis quærendi locus: sed cum ne vox quidem vna, in eis de hoc nostro mysterio appareat, merito ab ipso disputandi vestibulo similia ista repellenda sunt.

V. Nulla mētio Eucharistij in eorum similibus.

Ostendant deniq; locum sacræ scripturæ expressum, in quo ex professo de nostra Eucharistia ageretur: qui nobis vel minimo esset documēto, à verborū proprietate, in ipso fonte institutionis esse recedendum, & figuris

VI. Nullū expressū Dei verbum pro figuris.

inhærendum. Hoc si non præstant nec possunt : quo titulo nobis sua somnia & delirationes obtrudunt ?

VII. Nulla etiam similitudo pro figuris in eadē institutionis officina.

Manichei & Marcionistæ, probaturi Christum figuratum gestasse corpus, & illud : Verbum caro factum est, figuratè accipi debere : valdè accommodatè visi sunt vrgere illud Apostoli : in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. fortem machinā ad oppugnandos Catholicos, & à proprietate in illis verbis : Verbum caro factum est, abstrahendos, adhibere videbantur, idq; in eadem re & materia proposita : nihilominus auditi non sunt, & mendaciorum eorum asylum figuræ illę expugnatae, vi veritatis ciderunt. Nos verò Calvinistas istos, nullum similem locum in re eadem & materia proposita afferentes perferemus ; & à verbis Domini adeò apertis, ad eorum figuras, quas sine vlla etiam specie veri ingerunt traduci nos, & eorum dolis illudi nobis sinemus ? Etiam si talem in aliqua scriptura, tanquam apparentem speciem quæsiuissent : Sanctorum Patrū exemplo, à proprietate verborū in ipso fonte instituti, nequaquam recederemus, nec simplicem

plicem sensum, detorto ab eis & male intel-
lecto loco sacrae scripturae, postponeremus:
multoque minus nunc, cum eos tam dissona &
a re aliena verba congerere cernamus.

Retineamus ergo verba institutionis: qua-
tuor istis vel quinque lapidibus, ex limpidissi-
mo fonte instituti diuinæ Coenæ deprōptis,
Goliathos istos prosternamus, & eorū arma
fucata contemnamus. Sint nobis hæc verba:
Hoc est corpus meum, clypeus Aiacis, sicuti in-
sultatio Calvinisticae nequitiae, eodem re-
pressa clypeo, volebat. Quod enim Caluini
prauitas in derisum, & diuinorum verborū
contumeliam vsurpauit: hoc nobis sit in tu-
tissimum propugnaculum, & Zuinglianis in-
errorum omnium ac hæresium interitum.

Testamenti verba teneamus, indeque preciosi-
simos corporis & sanguinis Domini nostri
thesauros, nobis inscriptos depromamus: nec
eripi nobis tanta bona, magna cum iactura
sinamus. Alia probationum loca, extra tes-
tamentum pro hæreditate nostra firmanda,
non quæramus. Quis enim ferat tam iniquū
& peruersum iudicem: qui cogat ipso testa-
mento creatos hæredes, extra testamentum

probatio-

VIII. Pro
hæredibus te-
stamento fa-
ctis non aliū
de, sed ex tes-
tamento pro-
bationes pe-
tuntur.

probationum conquirere argumenta, cum abundè & perspicuè in ipso testamento continentur? Aperiatur testamentum, legantur a pertissima verba: Hoc est corpus meum. illa sufficiant. Quicquid præterea aliunde adfertur, si eiusdem authoris est, contrarium esse non potest. Cæterum in calce capitis huius expedit & illud pio lectori aperire: Hanc elusionem verborum Christi: hoc est corpus meum, ad figuratorum & quasi similibum locorum translationem, inuentum esse ipsius Sathanæ: qui talem probationum modum ab exemplis petiit, ipsi eius sectæ duci & omnium Sacramentariorum nostræ ætatis parenti Zuinglio suggessit, Quod fatetur ipsemet. Permittit quandoq; Christus ad cautionem fidelium & ouium suarum, vt se ipsi Apostate, & dolos suos prodant: quiq; aliàs astuti satis existunt, nimium simplices interdum esse cogantur. Ita Luthero accidit, fassus est nocte quadam, se cum Sathana disputasse, & in eius sententiam, qua sacrosanctum Missæ Sacrificium oppugnabat, concessisse, victasq; manus ad blasphemandum diuinum nostrum Sacrificium præbuisse. Eundem Magistrum habuit

Zuinglius De
monem sicut
& Lutherus
habuit Magi
strum.

habuit Zuinglius. Hoc de se referentē ipsum
 audiamus. ¶ Restabat, inquit, adhuc non mi-
 nimus conatus, quo sczt exempla prodere
 mus, quæ nulla cum parabola coniuncta foret.
 Cæpimus omnia cogitare, & tamen aliud ni-
 hil exemplorū occurrebat: vera narro adeoq;
 vera, (Nota) vt cælare volentem cōscientia
 cogat effundere, quod Dominus impertijt nō
 ignorans, quantis me contumelijs & risibus
 exponam. Cum tredecima Aprilis lux appe-
 teret, visus sum mihi in somno, multo cū ta-
 dio denuō contendere cū aduersario scriba.
 Ibiq; tanquā è machina visus est monitor a-
 desse, (atēr fuerit an albus nihil memini, so-
 mniū enim narro) qui diceret: Quid ignauē
 respondes ei quod in Exod: scribitur: Est et
 enim Phasē, hoc est trāsitus Dñi. Protinus vt,
 hoc phasma visū est expergesio & lecto exi-
 lio. ¶ Hæc narratio satis probat, sicut Luthe-
 rū ita Zuingliū, nocturnis Sathang colloquijs
 fuisse eruditum: & eius placita hominibus
 promulgasse, & hoc ipsum contra se prode-
 re diuino iudicio per stimulantē conscientia,
 ad nostram omnium cautionem,
 coactum esse.

Libr: de sub-
 sidio Eucha-
 ristiae. Nō ne
 gat Beza de
 Cæna Domi-
 ni cōt: Velt.
 ad cap: 5.

O

Caput

CAPVT SEX TVM.

De Regulis
Caluinistarū.

Sexta ars Caluinistarum; qua per duas qualdam regulas scripturę sacrę interpretandę, verba Dominica, & SS. Doctorum eludunt: cum non sint regulę, sed deprauationes & eorum figmenta.



SI nihil tam incōcinnis ex diuinis literis deproptis exēplis proficiunt: duas nobis regulas ac scripturę interpretandę leges, tanquam supremi dictatores, & omnium Dei mysteriorum iudices & legistatores præscribunt: per quas tropos suos in verba Domini ingerant, & Magistros se S. Ecclesię Doctorum constituent. Alterã quidem ex D. Augustino, sed prauè contortam nec intellectam, qua mentem viri sanctissimi & Catholicissimi calumniantur: alteram ab ipso suo Moyse Caluino (ita enim eum Beza vocat) mutuati: de sermone scz Sacramentali: quam nobis sine pudore obijciunt. Nobis inquam qui ab Ecclesia columna et firmamento veritatis diuinorū oraculorū intelligētiā capimus: & illos pestilentes esse hæreti

cos, nihilq; vnquam synceri afferre sicuti nec haurire, vt potè auulso ab vberibus matris Catholicæ posse, iam pridem didicimus.

In primis itaq; quam vim ad expugnandū sensum simplicem in his Domini Eucharistiæ am instituentis verbis: Hoc est corpus meum, obtineat prima eorum regula videamus.

Verba sunt D. Augustini: *Si præceptiua est locutio, flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficium iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem, aut beneficium vetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur iubere: figura est ergo præcipiens Passioni Domini communicandum, ac suauiter & vtiliter recondendum memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa sit & vulnerata.* Hac regula tropos in illa verba Domini: Hoc est corpus meum, introducere nituntur Zuingliani: sed quàm iustè, dispiciamus. In primis, non est nobis negocium, de doctrina Domini nostri circa hoc diuinissimum Sacramentum cap: Ioan: vi. comprehensa: sed de uerbis illis, Hoc est corpus meum: quibus est ipsum Sacramentum institutum. Possent forsitan in doctrina illa Saluatoris, aliqui figurati sermones inueniri: aliqui enim

De Doctrina
Christiana li:
3. cap: 16.

Non est con-
trouersia de
cap: Ioan: 6.
ed de uerbis
institutionis
Eucharistiæ.

sanctorum Doctorum nonnulla in illo capite
 ad spiritualement manducationem retulerunt :
 quamuis nullus est, qui præcipuas huius capi-
 tis sententias, de reali & sacramentali mandu-
 catione non intellexerit. At qui verba illa nõ
 iam doctrinæ, sed institutionis : Hoc est cor-
 pus meum, ad figuras contorserit, nullus vn-
 quam inuenietur. omnes in illis simplicẽ sen-
 sum statuunt. Ipse D. August: cum alibi tum
 in Psalmos ad literam, in Cœna Christũ cor-
 pus suum in manibus suis portasse, constan-
 tissimè docet, cum accepto pane diceret: Hoc
 est corpus meum. Regula ergo hæc D. Augu-
 stini, cum se minimè ad illa institutionis ver-
 ba extendat, vbi nullum vnquã facinus præ-
 cipi Augustinus, sed summum nobis præsta-
 ri beneficium agnoscit: vt quid illam nobis
 opponunt? Quod verbis clarissimis viri san-
 cti adhuc confirmemus. Manichæi, tali forsit-
 an Regula seducti, flagitiũ esse putabãt, Chri-
 stum Dñum & Deum nostrum, humanis quib-
 buldã contẽptis infirmitatibus affici, et Deum
 intra materni ventris viscera iacere potuisse,
 ideoq; figuratè illa omniã in scriptura de eius
 natiuitate accipienda esse. Quos vir Sanctus
 perstrin-

In Psalm: 23.

Conci: 1.

perstringit, & in manducatione etiam Christi corporis, in qua facinus & horror esse videtur, literalem & simplicem sine vlla figura

sensum perurget his verbis: *Eat aduersarius iste legis & Prophetarum retrò cum suis similibus socijs qui dixerunt: Durus est hic sermo, quis eum potest audire?*

Cont: aduers:
leg: & proph:
libr 2. ca: 9.

Nos autem audiamus & intelligamus duo testamenta in duobus filijs Abrahamæ, duabusq; mulieribus eius commixtione fixatis: sicut duo in carne vna Christum & Ecclesiam istis nolentibus sine vlla obscuritate cognoscimus sicut Mediatorem Dei & hominum, Hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandum bibendumq; sanguinem dantem, fidei corde atq; ore suscipimus. Quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere: & humanum sanguinem potare, quam fundere. En in hac māducatione, sicut nec in pluribus Abrahamæ vxoribus, D. August: vllū facinus timendum docet propter quod ad figuras sit confundendum: sed licet videatur maius facinus quam occisio, ipsa humanæ carnis manducatio: tamen vt literalis (quem vocant) sensus sonat, sine vlla figura, ore etiam non tantum corde, manducamus. Nunquam ergo verba illa Christi Cœnam hanc instituentis: Hoc est corpus meum, ad sensus mysticos & figuratos retulit D. Augustinus.

Sed & illud quod magis perstringat aduer-

farios addamus : illa etiam eadem verba doctrinæ Dominicæ ex D. Ioanne : Nisi manducaueritis carnem filij hominis : quæ in illa regula in exemplum figurati sermonis attulit : illa, inquam, ipsa ad literam sine vlla figura intelligi alio loco vult D. Augustinus cum ait :

Quæst: 58. in
Leuit.

D. Augustin.
non est sibi
contrarius.

Cum Dominus inquit : Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. quid sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si in illis sacrificijs vnum hoc significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum. A cuius tamē sacrificij sanguine in alimentū sumendo, nemo prohibetur, sed ad bibendū potius omnes exhortamur, qui volunt habere vitam. En ipsa eadem verba : Nisi manducaueritis, ad nullam figuram referri docet : Sanguis, inquit, sacrificiorum prohibebatur in lege : & tamen sanguinem quem illa figurabant, in noua bibimus, & ad bibendum promissis vitæ æternæ alligimur. Cum porrò non figuratus in lege sanguis, sed verus animalium prohibitus fuerit : non figuratus etiam Christi, in lege noua, sed verus de quo dixit : Nisi biberitis sanguinem meum, bibitur. Est ergo sibi D. Augustinus contrarius, in iisdem Christi apud D. Ioannem verbis, & figuratam & simplicem putat dictio

dictionem? Minimè secum pugnat. In isdem
 enim verbis, & figura est & veritas. Figurata
 illa verba emollienda & mitiganda erant Ca-
 pharnaitis, qui in ista manducatione secun-
 dum carnalem suam intelligentiam & barba-
 ram, facinus & occisionē membrorūq; Chris-
 sti dissectionem, & coctionem somniabant.
 Illis est figura, & alijs ita & tam crassè Domi-
 ni verba capientibus. nobis autem illa etiam
 verba sunt veritas & vita, qui verè sub figu-
 ra specierum ipsam realem Christi Domini
 nostri carnem, sine vlllo flagitio, & occisione
 ac iactura ulla, & dedecore ipsius sanctissimi
 corporis, manducamus: ore etiam secundum
 Augustinū, non tantum corde: quamuis hor-
 ribilius videatur humanam carnem mandu-
 care quàm perimere. Quamuis vt idem dicit:
 nemo auderet manducare Dominum suum,
 manducamus amen, & iubemur: & magnis
 promissis ad hoc faciendum inuitamur. At
 dicit Volanus: Non ad Capharnaitas, sed ad
 fideles directus est ab Augustino sermo. Imò
 & inter fideles tā crassæ intelligentiæ homi-
 nes reperiri poterunt: quibus modus huius
 manducationis bona declaratione est emolli-
 endus.

Ex sermo: de
 verbis Euan-
 gel: vt infra.

endus. Quin & nunc noui sunt Capharnai-
tæ, Zuingliani, & Volanus, ad quos dirigi iste
D. August: sermo potest Capharnaica enim
vox est ista, quam edit miser iste Volanus:

“ Te ipsum quomodo flagitij expertem, & nō
“ infidelem Capharnaitam dicere poteris, qui
“ te nulla hic figura indigere dicis, & realiter
“ corpus Christi manducare te profiteris. Pu-
rat iste stultus, vel occidere me Christū, vel
eius membra dissecare & coquere, quando di-
uinissimū illius corpus manduco. Audiat pro-

Ex sermo: de
verbis ex Be-
da.

1. Corint 10.

nobis dicentem eundem Augustinum: *Qualē
vocem audistis Domini inuitantis nos? Quis inuitauit nos?
Quos inuitauit? & quod preparauit? Inuitauit Dominus
seruos, & preparauit eis cibum seipsum. Quis audeat man-
ducare Dominum suum? Et tamen ait: Qui manducat me,
viuit propter me. Quando Christus manducatur, vita man-
ducatur, nec occiditur vt manducetur: sed mortuos viuifi-
cat. Quando manducatur, reficit, non deficit. Non ergo
timeamus fratres manducare panem istum, ne fortē
finiamus illum, & post ea quod manducemus non inue-
niamus, &c.* Hæc manducatio flagitium vide-
tur Zuingliano et Capharnaite Volano, quia
modum huius manducationis non cōsiderat:
non ingreditur potentias Domini. *Sicut A-
chis, dicente eodem S. viro, insanientem Da-
uidem pu-*

In Psalm: 33,

uidem putabat: ita Christum isti insanire pu-
tant: qui dicit, manducate carnem meam.

Infania est Achis & Capharnaitis, & Zuingli-
anis: nobis autem est sapientia, & vita & pre-
mium. Quod si redire ad mentem volunt, figu-
rato illos dicendi more emolliamus & attra-
hamus cum D. Augustino. Manducamus re-
colentes Christi passionem cum hoc sumi-
mus diuinum Sacramentum, sub figura & in
rei ipsius veritate: sub figura, quia non denti-
bus dilaniando, vt in alijs vsitatis manducati-
onibus fieri consuevit: sed sub speciebus pa-
nis ad commemorationem & communicatio-
nem passionis Christi, vt Augustinus dixit.

Verè autem, quia ipsum verum & reale sine
eius diminutione & attritione & consumpti-
one māducamus Domini nostri corpus. Qua
de re plura vbi de manducationis modo disse-
remus. Hoc ad extremum subijcio: Regulā

illam à D. Augustino nunquam esse ad totam
scripturam in vniuersum reductam: multa e-
nim quæ videntur facinora, in scriptura sa-
cra præcepta sunt à Deo, in quibus nullā Dei
cultores iussis diuinis parentes, posuere figu-
ram. Quod facinus parricidio maius? Et ta-

P

men De

Qua figura
emolliendi a-
nimi Zuingli-
anorum &
Capharnai-
tarum.

D. Augustin.
Regula non
est vniuersa-
lis.

Abrahā non
cu urrit ad fi
guras, quam
uis facinus vi
deretur: Deus
iubere.

men Deus Abrahæ imperauit proprium filiū
interimere & immolare. Nunquid ille à sim
plici verborū sensu, ab Isaaco ad pecora & fi
guras immolationis cucurrit? Quod fecisset
Zuinglianicus inobediēs, & ad figuras ppter
incredulitatē & inobediētiā prouocans ani
mus. Hoc ille non fecit, sed obsequendi offi
cio fide ardentissima resurrecturum illū cre
dens, proprium animum vnigeniti sui sangui
ne cruentauit: in re difficili atq; sibi c diosissi
ma, timorem & obedientiam erga omnium
authorem declarans. Nec in præpucio resecā
do, à crudelitatis & in proprium corpus, sæ
uitiæ vicio, illud longè abesse videbatur præ
ceptum. Ad quod tamen fidelissimus Patriar
cha mox implendum, ne per mysticos sensus
inobediētiæ exhiberet signa, promptissimā
admouit manum. Si enim figuratē Dominus
præcepisset, mox seipsū explicasset. At quod
ille non explicauit, simplici obedientia implē
dum & credendum esse, fides sanctorum iudi
cabat. Non hoc facit perfidia & inobediētia
Zuingliana: sed vitia sua latere in figuris,
de quibus ne verbum quidem in Dominicis
institutis audiunt, malunt: & hoc modo inob
edientiam

bedientiã fidei contegunt. Alio item in loco iubet Deus, vt Propheta innocens feriatur: 4. Reg: 20.
 quod cum quidam hominis permotus innocentia, recusasset: diuina ultione à Leone enecatus est. Facere filios fornicationis, aut mutuò accepta nõ restituere, an non facinus videtur. At hæc quãdoq; præcepta sunt, nec per figuratos sensus elusa. Nec hic locus est disputandi, quo nam modo, quæ peccata & facinora videbantur, facinora & peccata non fuerint: sed hoc solum vrgemus. D. Augustinum, qui has scripturas exactius quam nos omnes nouerat, non à toto genere: sed in quibusdam tantum præceptis concludere ac docere: cum aliquid flagitiĩ præcipiatur in scriptura ad figuram esse traducendũ. Quale est Math: 18.
 illud de manus abscissione.

Alteram regulam Calvinus Legislator & Regula Sacra
 Moses Volani, ei & eius similibus, vel potius mentalis Cal-
 Iudæis, qui adhuc in vmbriis & figuris hæret, uinistica.
 & illis qui veritatem Euangelicã ad Mosai-
 ca elementa reductam esse volunt, hisce promulgat verbis: ¶ Hic murus aeneus esto: „
 quod Sacramentũ instituerit Christ⁹, ob idq; „
 oporteat sacramentaliter exponi eius verba, „

« ba, pro communi scripturæ more. Nam Sa-
 « cramentis omnibus hæc quasi perpetua regu-
 « la est, vt signum nomen rei significatæ accipi-
 at. *¶* Huic somnio & vnus homuncionis fi-
 gmento, tantum Sacramentarij & iste Vola-
 nus tribuunt, vt expressum Dei verbum illi
 postponant. Ideo tam verba Dominica in Cœ-
 na vltima prolata, quàm Doctorum omnium
 testimonia, veritatem Eucharistiæ & simpli-
 cem sensum acerrimè propugnantia, eludit
 & irridet. In ipsius Domini verbis calumnian-
 dis exercitatum impudentiam, non est mirū
 ad Doctorum etiam contēptum facile dela-
 bi. Aëneus eorum murus sit, tam incōditum
 hominis sine vlla, vti monstrabitur, autho-
 ritate & cum summa vanitate loquentis com-
 mentum. Noster àëneus murus est talis, &
 hæc perpetua & inconuulsa regula. Plus est
 credendum Christo dicenti, quam Caluino
 fingenti. Christus dicit: Hoc est corpus meū.
 Calvinus fingit: Panis est figura & signū cor-
 poris Christi. Vocem Christi & eius omnipot-
 entiam agnosco: vocem Caluini ignoro &
 execror. Murus àëneus noster est, id quod
 Deus dixit: murus stramineus Zuinglianorū
 est, quod!

est, quod homo finxit. Cogitemus istos de-
 fertores veritatis, iustam pœnam illam iam
 incurrisse. Credant mendacio, qui non credi-
 derunt veritati. A veritate Christi auditum
 auertant, & ad Caluini fabulas conuertantur.
 Non recipiunt vocem Christi veniētis in no-
 mine Patris sui, recipiant vocem Caluini, ve-
 nientis in nomine suo: & Antichristū in suo
 officio & ministerio exequendo præeuntis.
 Excutiamus hanc regulam, vt ad eius contem-
 ptum, fraudibus ipsius denudatis, quoscūq; fi-
 deles prouocemus, & nostram à Christo pro-
 fectam, iamq; pridem promulgatam, à toto
 deniq; orbe creditam & receptam teneamus.
 Principio quæramus ab illis, ex quo fonte scri-
 pturæ sacræ hanc regulam hauserint, & vbi
 eam expressam & ad verbum positam lege-
 rint? Non alibi quàm in codice Caluini, non
 in codice Dei. Ostendant si possunt, vbi co-
 dex Dei dicat: quando instituuntur Sacra-
 menta, semper signo nomen rei signatæ tri-
 buitur. Quod si hoc expressum in scriptura
 non est, & nostra regula: Deo dicenti credē-
 dum est, quia non erit impossibile apud Deū
 omne verbum, expressa est & apertissima:

1. Tessa: 2.
 2. Timot: 4.
 Iohann: 5.

I.
 Regul: hec nō
 est in expres-
 sa scriptura.

quomodo ab expresso Dei verbo ad non expressum, à Christo ad Caluinum deficiunt ?

II. Nec elicitur nisi à Caluino.

Quòd si dicant, elicitur hæc regula ex interpretatione sacræ scripturæ : petamus à quo ? à Caluino ? Respondeamus : expressa relinquere, non expressa sectari, prudentis non est. vnius verò hominis hæreseos crimine polluti, (vt de vita taceam, alij hoc testentur) sine vniuersali Ecclesiæ & sanctorum Doctorum consensu, in re tanti momenti ductum & in interpretationem sequi, extrema est stultitia.

Vide Caluini vitam scriptam à Hieronymo ; Bolsecò Coloniae, 1580.

III. Inter duo Sacramenta, quomodo regula constituetur.

Deinde circumspectiamus, cum illi duo tantum nouæ legis ponant Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam ; & ex solo tantum Baptismo forma locutionis mutuanda sit, iuxta quam Eucharistia examinetur. (nam ad formam Mosaicorum perfectiora Christi excutere mysteria, summæ esset in nouum testamentum ipsumque Christum, vti alio dicemus loco contumeliæ) an secundum Eucharistiam Baptismus, an verò potius Eucharistia secundum Baptismum diiudicanda sit, prorsus erit incertum. Quod si iudicium à digniori desumendum est : cum Eucharistia sit Sacramentum Sacramentorum, dicente Dionysio : illa potius

potius regula deberet esse Baptismi, non contra. Quod si illa afferantur: Ego sum ostiū, vitis, Christus est Leo, Agnus, &c. tum quæ remus: num illa omnia ad exempla phrasium Sacramentalium ab eis adducta, sint nouæ legis Sacramenta? si sunt, cur duo tantum statuant & non decem vel viginti? si non sunt, cur ab eis quæ Sacramenta non sunt, sacramentalis regula deducitur?

IIII. A nō Sacramentis nō potest deduci Sacramentalis regula.

Præterea nomen Sacramenti, in hac qua illi vtuntur sententia, nusquam in scripturis reperitur, nec ipsa definitio quam illi afferunt, vt sit rei sacræ signum Sacramentum (quam nos tamen à viris sanctis & Ecclesiæ columnis traditam, non reijcimus) quomodo ergo ex eo quod in ipsa scriptura non est, sua signenta probant, cum nos hoc nomine acerbè mordeant? Sed nec illud cōsequitur hæc vanitas, etiam si eos ad phrasas ex veteri lege Sacramentorum comparandas cum nostris Sacramentis admittamus, vt vera sit eorum regula. Dux illas Sacramentales phrasas vrgent: Circūcisio est fœdus: & illud quod Zuinglio Sathanas suggessit: Agnus est phasē. Eorum ergo regula sacramentalis decernit: sicut dicitur in

V. Nomē Sacramenti in hac sententia non reperitur in scripturis.

VI. Nec veteres phrasas eorum regulam confirmant pro Eucharistia.

Capite super
riori.

citur in scriptura, Circumcisio est foedus, id est, significat foedus, & pactum: ita cum dicit Christus: Panis est corpus meum, eodem modo accipiendum est, significat corpus meum. Sed quis sicut iam dictum est, nisi caecus non videat, mera esse signa & summam inaequalitatem in dicendo? Nec enim dicit Christus: Panis est corpus meum. Hoc nunquam in institutione huius Sacramenti dixit, sed potius: Hoc est corpus meum, ubi nulla est diuersorum de diuersis praedicatio, sicut in illa propositione: Circumcisio est foedus. Denique cum nusquam ita dictum legamus in Genesi. Circumcisio est foedus: sed potius illa verba, Circumcidetis carnem praepucij vestri, ut sit in signum foederis inter me & vos: nulla est in dicendo comparatio, & signi nomen apertissime est positum. In Christi autem verbis nullum usquam signi signum cogitari potest. Ergo ad vnus tantum Sacramentalis locutionis exemplum, eorum regula reducetur & contrahetur, ad illud scilicet: Agnus est Phas. At quanta nos scripturarum cumulis perterrefacere conabantur? Ex vno igitur exemplo tam inaequali, quantum lex noua veteri est inaequalis, vni

lis, vniuersalis eorū regula confurget? Quis vnquam prudens ex vna hirundine ver esse concludit: ex vno facto legē vniuersalem constituit? aut quis tam insipienter argumentatur: talia fuere Mosaica. ergo similia illis Euāgelica esse oportet Sacramenta? Sed & hoc quod vnicum ad regulam eorum stabilendā restat, eripitur illis, & in eos retorquetur iustissimè. Si similis est dicendī ratio, Agnus est Phasē: & Hoc est corpus meum: cum, quo tēpore instituebatur solēnitās Agni, verè & nō in signo fuerit transitus Domini (transibat enim Ægyptum percutiens, & liberans Iudæos) consequetur & hic, cum diceret Dominus: Hoc est corpus meum: verè illum & re ipsa corpus suum dedisse, & non in signo tantum. Quod si inferant, fuisse nihilominus memoriam transitus Domini, nec ex nostro Sacramento memoriam auferimus. Nam & præteritam Domini cruentam illam passionem, & pignus futuræ gloriæ, in eo Sacramento recolimus, in quo tamen & ipsam veritatem operantem speciebus panis & vini, realeq; Christi corpus confitemur, sumimus, & adoramus. Sed quod regulam hanc eorum demo-

Q

latur

VII. Omnia Sacramenta suam propriam habent differentiam & iuriam.

litur funditus, illud est. Quomodo consentaneum & sacris literis, & ipsi rationi esse potest: ut ad normam unius Sacramenti, aliorum omnium natura & proprietates formantur? An Caluini regula legem præscripsit Deo, ut ad unum tantum modum & formam Sacramenta constitueret? Nunquid ad normam Circumcisionis Phasæ institutum est? An non circumcisio proprios habet in Dei verbo ritus, propriam materiam, finem, tempus, effectum? Agnus itidem an non suis descriptus est lineis? Ad extremum illud est summæ confusio: ut iuxta regulam Caluini, nouæ legis Sacramenta, ad normam veterum instituta credantur, & illis similia per omnia dicantur. sicuti capite sequenti apparebit. Si natura, rebus & proprietatibus, & ipsa perfectione & impletione figurarum distant, certè & phrasibus permultum ea distare est necesse. Sed nec à Baptismo Eucharistiæ accipienda est mensura ac modus: cum utrunque mutuo à se natura, proprietatibus, fine, efficacitate, & verborum forma vehementer dissitum sit: ita ut insulsissimè aliquoties colligat Volanus: In Baptismo aqua in rem signatam non mutatur: er)

A. Baptismo natura Eucharistiæ non diiudicatur.

tur: ergo nec in Eucharistia. Eodem modo dicat: in asino non est ratio, ergo nec in homine. Nam & si Sacramenta hæc duo sint in genere signa: habent tamē suas distinctas species & naturas. Alia est materia et forma Baptismi, alia Eucharistiæ. In Baptismo aqua, in Eucharistia panis & vinū. In Baptismo nō accepit Dñus in manus aquam, nec eam benedixit, nec dixit: Hoc est Spiritus S. vel regeneratio Spiritus sancti. At in Eucharistia hoc fecit, acceptum panem benedixit, & dixit: Hoc est corpus meum. Nulla ergo potest dari Sacramentalis regula, quæ Sacramenta omnia, & omnes singulares eorum naturas & formas, dicendiq; phrasas, in vnum ordinem cogat, & eorum proprietates permiscendo confundat. Valeat itaq; Volanus cum sua non regula, sed impostura: quam suis potiùs vti diximus, mulierculis oneratis peccatis, proponat: vel vxori suæ, quam acceptam Catholicam & fidelem, hæresi sua imbutam, misere peruertit. Nō nobis, qui in scriptura interpretanda, non Apostatas Magistros, sed ipsam Ecclesiam, columnam & firmamentum veritatis adhibemus.

CAPVT SEPTI

M V M.

Septima eorū impostura est in doctrina de Sacramento: qua omnia sicuti & Eucharistiam ex duabus rebus, terrena & cœlesti, constare verbis dicunt: re ipsa autem, sola signa nuda in eis relinquunt, omnemq̄ sanam de Sacramentis Ecclesiæ doctrinam, deprauant, & ea prorsus contemnunt.



Nvrè Zuingliani etiam Sacramentarij vocantur. Nam propter Sacramentum Eucharistiam, vt ab ea Christi corpus excludant, ad peruersas & diuinæ scripturæ prorsus repugnantes de Sacramentis opiniones delabuntur, & ea in contemptum & summū neglectū omnium hominum adducunt, occultè tamen id efficere conantur, vt non nisi cautus et prudens, dolos eorū animaduertat. Ad aliquod capita eorum hac in re, fraudes & peruersas sententias reducemus. Habet hoc omnis doctus & hæresis, vt apertas & simplices voces fugiat: amphibologicas vero, & plures sensus continentes, libenter amplectatur, quod proprium est figurarum, in quibus Calviniste isti sua quærunt latibula. Nec quicquam magis ope

Hæretici Amphibologijs libenter vtuntur.

gis operosum habet laborem, quam eos ad
 verba propria, & simplicibus verbis conce-
 ptam sententiæ suæ explicationem impelle-
 re. Quod in Fidei, Cœnæ, Manducationis, no-
 minibus: hoc & in Sacramenti appellatione
 moliantur. Volantur Sacramenti nomine nūc
 pro signo solo, nunc pro re etiam ipsa cœlesti
 simul cum signo coniuncta utitur: ut captio-
 nibus & dolis, aliquis semper pateat receptus,
 & ad fugam cauerna aliqua vulpibus istis, v-
 bi iam iamq; comprehenduntur, relinquatur.
 Nec negamus Sacramenti nomen quandoq; à
 Theologis & S. Doctoribus, pro signis solis
 & speciebus capi: sed hoc improbamus, & hic
 dolos ab eis necti ostendimus, cum illo eodē
 nomine, nunc hoc, nunc illo modo, fallentes
 abutuntur. Dicit quodam loco Aduersarius
 de D. Augustino: ¶ Sacramentum, inquit, cū

I: In Sacra-
 menti nomi-
 ne imponū-
 nobis.

Libro 1.

ex duabus rebus constat (terrena & cœlesti) „
 sic per mysticam & sacramentalem vñionem „
 istas partes coniungit, simulq; à fidelibus per „
 eipi vtrāsq; tradit. ¶ Hic Sacramenti nomine „
 pro re vtrāq; utitur, sicuti ex duobus constat.
 At statim in eadem periodo idem rursus no-
 men pro solis nudis & terrenis signis, rebus

maior

Q ij

cœlestibus

« cœlestib⁹ vacuis accipit, cū sub infert: Quod
 « ad locorum attinet intercapedinem: Sacra
 « mentū quidē manib⁹ fideliū tractatur, oreq³
 « ipso percipitur: Christus autem fide mandu
 « cat⁹, totus & integer est in cœlo. Vide frau
 des, nunc duas res cōfert in Sacramentum, pa
 nem & corpus Christi seu Christum: nunc
 rursus solum panem accipit: Christum autem
 seu corpus Christi in cœlo tantum constitui
 tradit. Hac volubili impostura crebro vtitur,
 & euadere se putat vbi constringi se sentit.
 Si Sacramentum ex duabus rebus constat, ter
 rena & cœlesti, & hic vbi conficitur legitimè
 in altari, vel aliquo alio in loco, esse Sacramē
 tum negare non potest: necessario consequi
 tur rez vtrasq³ esse simul. Ita constrictus, pu
 tat illam sibi latebram esse paratam, si altera
 Sacramenti significatio, qua signum solum nu
 dum denotetur, libera illi relinquatur. Sed
 persistendum est in eadam Sacramenti acce
 ptione, quam ante fateri coactus est, testemq³
 admisit Irenæum in descriptione & natura Sa
 cramenti: vt non ex solis terrenis & nudis si
 gnis: sed ex rebus etiam cœlestibus semper
 vere constare Sacramentum, & ipsam Eucha
 ristiam

rīstiam fateri compellatur. Quanquā hoc interit inter cœtera Sacramenta, & Eucharistiam quod cum cœterorū Sacramentorum substantia & natura, tota in applicatione, vel exhibitione materiæ sensibilis consistat: res cœlestis, nempe gratia, ex qua constare dicuntur, non est pars ipsorum, sed potius effectus, in animo suscipientis productus. At verò cum Eucharistiæ natura in eo posita sit, vt materia ipsius nempe panis & vinum, ritè conferretur, id est virtute consecrationis, in corpus & sanguinem Christi cōuertatur necesse est rem cœlestem, nempe idem sacrosanctum corpus & sanguinem Christi, ex quibus Eucharistia constat, veram esse eius partem, que Sacramentū hoc integrum cōstituat. Et hinc fit, quod quemadmodum cœtera Sacramenta non verè dicerentur ex re cœlesti, nempe ex gratia constare, nisi eam in animo suscipientis re ipsa producerent: ita etiā nunquā Eucharistia verè diceretur ex corpore & sanguine Christi constare, nisi vtrunq; in se verè ac realiter contineret. Hunc ictum grauisimū declinare volens aduersarius, sparsim per totum librum sudat, hinc inde se vertens, & illius quod

Libro 3.

lius quod concessit, ex duabus rebus cōstare
 Sacramentum, quasi oblitus contra me incla-
 mat: ¶ Tu Sacramentorum naturam igno-
 cc rans, marsupio cuidam aut loculis similia esse
 cc fingis, vt gratiam Dei re ipsa contineant, &
 cc omnibus etiā sine vlla fide percipientibus e-
 cc am offerant. ¶ En nuda rursus vult esse & so-
 la signa, omnis gratiæ expertia Sacramenta.
 At ex duabus rebus, terrena & cœlesti, ipso
 Volano (vt toties est dictum) concedente cō-
 stant: quid ergo faciet? Mouet omnem lapī-
 dem, & multis locis hærens, hanc apud suum
 Magistrum nodi huius tam difficultis, inuenire
 cc se putauit solutionem: ¶ Non est, inquit, ista
 cc rum partium naturalis coniunctio, sed mysti-
 ca. ¶ (hoc est ficta, sicut mox constabit)
 Quod vt probet, vbi ad ostendendum huius
 connexionis modum, omnia eum commenta
 destituunt: ad miraculum confugit dicens:
 cc ¶ Nullis, inquit naturæ legibus subsunt, neq;
 cc ab vlla arte humana dependent Sacramenta:
 cc sed à solo diuini numinis placito, omnem na-
 cc turæ ingenijq; cursum superante sunt intro-
 cc ducta: nulla etiā rerum in Sacramentis cō-
 cc iunctarum talis copula & cōnexio inquiren-
 da est,

da est, qualem vi naturæ & industriæ humanæ in hac rerum vniuersitate effici agnosci-
 mus. Corpora enim cum corporibus, vel sub-
 stantiæ cum suis accidentibus, mutuo quodã
 complexu, vel locali contactu cohærent ac
 conglutinantur: sed rerum diuinarum ac cœ-
 lestium cum suis Sacramentis, vel externis no-
 tis connexio est mystica, & naturæ ordinem
 supergrediens, & captum rationis humanæ
 transcendens, vt sola diuina Spiritus sancti
 virtus efficiat, & sola piorum hominum fides
 ab eodem Spiritu illustrata sentiat. ¶ Coniū-
 gi ergo has partes per miraculum, nature cur-
 sum transcendens, & opera Spiritus sancti af-
 firmat. Considero in primis eorum perpetu-
 am in sibiipsis contradicendo constantiam.
 Libello priore clamitabat cōtra me, (qui mi-
 racula summa in Eucharistia prædicabam:)
 Sacramenta nouæ legis simplicissima esse, &
 nullis insignita miraculis: nunc verò vbi est
 ipse? Volanumne se esse meminit? aliumne
 iam se agnoscit? vtina in mutata hæresi.
 At nos quod ante asseruimus, nunc etiam li-
 benter concedimus, in hac sacramentali rerū
 terrenarum cum cœlestibus coniunctione,

R

nihil

 Contradicti-
 ones Volani.

Coniunctio
rerum cele-
stium cū ter-
renis ē super-
naturalis,

nihil naturæ leges operari, sed summa esse su-
pra naturam miracula, & plura quàm aduer-
sarius videtur cōcedere. Sed hic odiosa & lon-
gè maioris fastidij rursus erumpit eorum con-
tradictio. Si enim roges: quid verò tandem
ista stupenda, & supra naturā in coniuncti-
one harum rerum, & Spiritus sancti operati-
one conficitur? suntne re ipsa simul res cœle-
stes cum terrenis? corpus Christi sub specie-
bus panis? nexum hunc esse supra naturam,
& captum rationis nostræ superare, libenter
illi concedimus: modo ille nobis verum esse
& reale concedat. Nam & coniunctionem in
Christo duarum naturarum in vna persona,
miraculi stupendi plenam, supra omnem na-
turam & captum nostrum, & sine vlllo exem-
plo esse prædicamus: veram tamen esse & re-
alem constantissimè tenemus. Nisi Volanus
humanam naturā Christi, in vtero virgineo
delituisse, diuinam verò in cœlo mansisse, per
extremam blasphemiam asseuerare audeat, &
mysticam illam ac naturæ ordinem supergre-
dientem fuisse, non veram tamen nec realem
constringat. Hoc enim eius concludit Theolo-
gia, qui res cœlestes re ipsa cum terrenis iun-
gi neuti-

gi ne utiquam posse tradit. Et illam quidem
coniunctionē in Christo, Apostolus Sacramē-
tum magnum vocat: ne fortè similem, non ta-
men hypostaticam in nostris Sacramentis, et
præsertim in S. Eucharistia coniunctionem
rerum cœlestiū cum terrenis, corporis Chri-
sti cum speciebus panis, existere diffidamus.

Quæ cum modum habeat admirabilē et incō-
prehensum: non requirimus à Volano, vt mo-
dum, quem se nobiscum ignorare tandem fa-
tetur, explicet: sed an veritatem huius con-
iunctionis agnoscat, realemq̄ illam esse con-
cedat vrgemus. Nam & quomodo sit Deus
Trinus & vnus ignoro: veritatē tamen quòd
ita sit, prædicō & credo. Quid ad hæc Volanus?

Nequaquam, respondet: vera est & re-
alis ista coniunctio sed mystica. Quid est my-
stica? Imaginaria, scetz, ficta, vmbra-tilis, præ-
stigiōsa. Ita enim seipsum declarat & incla-
mat: ¶ Nunquam panis cum corpore iungi-
tur ipsa re, atq̄ corporaliter: sed tanquā si-
gnum cum re signata. ¶ O temeritatem: o nu-
gas non ferendas: o præstigias, quicquid de
hac cōiunctione figuratores isti cōmentātur.

Ergo miraculum illud, quod in hoc nexu

R ij

pompo

Mystica con-
iunctio quid
sit Calvinistis

Contradicti-
ones Calvini-
sticæ,

»

pomposis verbis: & opus, naturæ totius leges
 superans, paulò ante prædicauit: & ipsam vir-
 tutem ac operationem Spiritus sancti, quam
 in ista coniunctione nunc nuncq; cognosce-
 bat, ad præstigias circulatorum reducit?
 Itane in vanum nomen Domini terribile &
 sanctum vsurpatur? Nam signi cum signato
 coniunctionem, cuiuslibet hominis imagina-
 tio format. O puras & meras contradic-
 tiones, coniunguntur, inquit, partes diuina Spi-
 ritus sancti virtute; & non re ipsa. Ergo vir-
 tus Spiritus sancti supra naturam operans,
 res nõ efficit? ergo miracula diuina falsa sunt
 & præstigiola, in phantasmate & non in re?
 Nam signati cum signo coniunctio, quam in
 Sacramentis constituit, nequaquã est realis,
 nec vllum opus habet diuina virtute dignum,
 nec vllum miraculum. Talia enim miracula,
 caupones & agricolæ, & quicumq; rationis
 sunt participes, operantur. Videmus ergo ve-
 rum figuratorem, præstigijsq; solis oculos ho-
 minum perstringentem, & tantis scatentem
 contradictionibus. Sed ad illustrandũ hanc
 contradictionem, quadam alia probatione ex
 nostra Missa sacrosancta recepta, Beze sui ex-
 xemplo

xemplo vtitur cum inquit : ¶ Quod autē Sa-
 eramenta sic spiritualiter cū suis rebus signi-
 ficatis sint coniuncta, vt res cœlestes, quas re-
 præsentant procul à terris positas, in cœlesti
 illa gloria quærendas insinuent: vel illa con-
 sueta in omnibus vestris sacris vsitata cōmo-
 nefactionis forma, qua vniuersum ad erigen-
 dum (sursum corda) adhortamini popu-
 lū, vos instruere poterat : vt ne in pane Chri-
 stum quæreretis, sed in cœlesti gloria. ¶ Pre-
 claré suam ex his quæ quotidie blasphemat,
 sententiam stabiliuit. Missa enim Catholica
 & sacrificio nostro, nihil est apud eum odiosi-
 us. Sinat nos nostra interpretari, quæ in-
 telligere ipse blasphemando non potest : qui
 ab his mysterijs meritò excluditur: vel suo iu-
 dicio condemnatus, seipsū excludit. Sursum
 cor erigere, non hoc tantum est, vt in cœlo
 mens Deum quærat, quem in omni creatura
 & vbiq; contemplari potest. Nec enim cœlū
 tantū, sed & terra plena est gloria eius. Ter-
 renas autē & cor deprimentes cogitationes,
 & à cœlestibus & inuisibilibus auocantes de-
 ponere, & diuina puro oculo fidei & intelli-
 gentiæ contēplari vbiq; sint, siue in cœlo

Sursum cor-
 da quid sis
 nobis.

Jo

Cl...
 m...
 de Co...

R iij

siue in

siue in terra, verbis illis iubemur. Tum vero maximè id faciendum est, cum perficienda sunt tremenda illa mysteria, & tempus illud adest, quo Christus proposita (sicuti Sancti prædicant, & eius verba personant) in suū corpus & sanguinem immutat, & ipse verè præsens cum Angelorum exercitu, Angelorū adest Dominus. Eundem & in cœlo & in Altari, eundem & ad dexterā patris, & sub specie panis & vini, Agnum integerrimum, coniunctione illa in Sacramento stupenda, & ratione naturam captumq; excedente, verissimam tamen & reali contemplamur, adoramus, & sumimus. Tum cor erigo, cum illum fide illa Catholica contemplor & adoro. Ibi cœlū est, vbi Christus est: qui hac sua admiranda præsentia, vti dixit Chrysostomus, terram cœlum nobis fecit: cuius verba quoniam rei præsentis valde conueniunt, hoc loco subiicere visum est. Sic igitur ait: *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Etenim quod in cœlo summo honore dignum est, id tibi in terra ostēdam. Nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus, in throno sedens, omnium præstantissimum est: ita quoq; in cœlis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur, neq; Angelos neq;*

Archang

Chrysost: homil: 14. in 1. ad Corint.

Archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo. Animaduertis quo nam pacto, quod omnium maximum est, atq; præcipuum, in terra non conspicias tantum, sed tangis, neq; solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Hæc Chrysostomus.

Propterea igitur populus admonitus, ut sursum corda erigat, respōdet: Habemus ad Dominum. non ad cœlum, sed ad cœlorum Dominum ubicunq; sit ille, sine quo quid sunt cœli, & omnis gloria eorum? Obstupesco considerans istos ad tantam mentis deductos inopiam, cum talem rei cœlestis cum terrena in Sacramentis prædicant coniunctionem, ut re ipsa cœlestis nempe gratia, quæ confertur, sit in cœlis, signum autem per quod confertur, sit in terra. In Baptismo ergo aqua lauari erit in terra: gratia autem Spiritus Sancti regenerans hominem, constituetur in cœlo. Aqua ergo tantum sine vlla regeneratione abluetur homo: ad gratiam autem & regenerationem in Spiritu sancto capiendam, subuolent in cœlum necesse est. Occidere hoc erit non baptizare. O stultitiam. Presentissima hæc & coniuncta esse oportet, quæ ad animorum nostrorum corporumq; in terra non in cœlo existentium salutem, Dei bonitas cō-

iūxit.

Volare ad cœlum iubent, ut ibi res sacramentales capiantur.

iunxit. Cùm ergo Calvinistæ, ea ex quibus Sacramenta constant, ita dissita esse à se mutuo comminiscuntur, in aliquod horum trium delabi eos necesse est. Aut falsum erit, (quod tamen tam aperte concedunt) Sacramenta ex duobus constare: aut ad illa conficienda & sumenda, cum signis terrenis esse volandum in cælum: aut potius (quod veritas Catholica confitetur) cœlestes res signis terrenis præsentissima coniunctione, admiranda quidē nec naturali, tamē vera & reali esse copulatas. Primum non audent negare: à secundo non longe distat, vti docebimus, Volanus. Quod si temerè & stultè dicitur: tertium concedant oportet.

II.
Male distinguunt Sacramenta Mosai-
ca & Euang.
Res cœlestes
in tribus hierarchijs.

Dionysius c.
5. de Eccles.
Hierarch.

Alter est eorum dolus. verbis aliquam inter Sacramenta Mosayca & Euangelica, differentiam statuere videntur: re ipsa autem nullam pœnitens constituunt. Catholici profitemur secundum scripturas, res diuinas salutis nostræ necessarias, tribus Hierarchijs (vtdo-
cet Dionysius) fuisse esseq; cōprehensas: Mosai-
ca (sub qua & legem naturæ per Mosen renouatam complectimur) Euangelica, & cœlesti: res quidem easdem, sed diuersa ratione & mo-
do

one & modo, non solum quod in duabus pri-
oribus sub aliena quadam specie, in vltima
autem facie ad faciem exhibentur: sed quod
in Mosaica per nudas figuras, in Euangelica
per ipsam sub figuris præsentem veritatem,
in cœlesti sine vllis prorsus figuris concedun-
tur. Fuit Christus in Sacramentis Moyfi, cū
immolarent et manducarent Pascha & Agnū,
aut cū biberēt ex spiritali consequente e-
os petra, Petra autem erat Christus, inquit
Apostolus: sed omnia in figura contingebāt
illis, figuratum & necdum secundum carnem
natum, à longe eum salutantes, manducabant
Christum. Est idem Christus in Eucharistia
nouæ legis Sacramento, iam nobis natus, no-
bis datus, iam præsens, iam coniunctus: sed
sub figuris & speciebus panis & vini conte-
ctus. Est in cœlo detectus & sine vllis figuris.
Gratulare (inquit Bernardus) *Mater Ecclesia spō-*
sum in terra habes in Sacramento, in cœlis habitura: es sine
velamento. Et hic & ibi veritas: sed hic palliata, ibi mani-
festata. Sacramenta antiquorum fuisse egena
& infirma, Apostolica tradit doctrina. Ege-
na, quod nihil rerum continerent, præter nu-
das figuras: à quorum egestate, nullæ opes di-

Galat: 4.
Sacramenta
veteris legis
qualia,

S

uinarū

Hebr: 9.

Excellentia
Sacramento-
rum nouæ le-
gis.

Hebr: 8.

Caluinistæ
paria Moysæ
cis nouæ le-

uinarum rerum expectandę fuerunt. Infirma, quod ad iustificationem animæ, & peccatorum remissionem non pertingerent: nec iuxta conscientiam, vti inquit Apostolus, perfectum faciebant seruientem, sed tantum ad iusticiam carnis in cibis & potibus, & varijs baptismatibus vsq; ad tempus correctionis impositis. Quo non imperfectionem eorum solum & egestatem: sed & mutationem & amotionem, vbi nostra pleniora & ditiora erant: successura comprehendit. Quæ certè rebus ipsis cœlestibus, & earum præsentī veritate referta esse oportet, & plena: vt & figuræ vacuæ replerentur, & rerum promissarum præstaretur fides, nouiq; testamenti declaretur excellentia. Lex, inquit, præcursor Dominicus, per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Sacramenta ergo legis, promissa tantum & res expectatas, futuras, non præsentēs continebant. Nostra autē, datam & præstitam gratiā continent. Si gratiam lex per sua Sacramenta præstitisset, vti argumentatur Apostolus, cur sublata & antiquata esset? Si prius testamentum culpa vacasset, cur secundo locus inquireretur? cur dicent

dicendo nouum veterauit prius? Quod autē gis faciūt Sa-
antiquatur & senescit, propè interitum est. cramenta.

Deinde idem Apostolus: *Notum (inquit) sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum* Actorum 13.
annunciatur, ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moy
si iustificari. Si Moyses in suis Sacramentis

gratiam attulit: Christi aduentus non erat
necessarius. si fuit impletio promissionum in
lege: lex iam per sua Sacramenta iustificabat.
Itaq; Christus vel sine causa venit, vel non est
melioris Testamenti author, & quod inde cō
sequitur, nec meliora reliquit Sacramenta.

At hoc repugnat diuinis oraculis, quæ prædi
cāt Christū melioris esse authorem testamen
ti: meliora ergo habet Sacramenta. Non es
sent autē meliora, si pro figuris, figuras: pro
egenis & infirmis, egena itidem & infir
ma, imò & multò viliora reciperemus. Nam

manna antiquorum comparatum cum figuris
nudis Zuinglianorum, longè maiore gloria,
& illustrioribus miraculis ornatum fuit. De

Manna anti
quorū est ex
cellentius, quā
Zuinglianica
Sacramenta.

cælo enim datum, omnem in se saporum sua
uitatem continebat, & Angelorum vocaba
tur panis. Si Eucharistia nostra, quam Do
minus ipse cum manna confert, figuras tan

S ij

tum ha

Ioann. 6.

tum habet, & res in ea sunt sicut signatum in signo: præcellit illā manna multis gradibus. At hoc cum sit impium, & Christi doctrinæ aduersum, illud quod res est, infertur: necessariò nostra Sacramenta plenè veritate ipsa, & iam præstitis rebus excellere. Si in lege fuit Paschalis Agnus, Christi carnem præfigurans: in Eucharistia est ipsa antiquis figurata Christi iam verissima caro. Si ibi manna panis de cœlo, hoc est ex aère, non ex terra: nostrum manna ex vero est cœlo, corpus filij Dei de cœlo descendens. quod qui manducat, non cum Mosaicis patribus moritur, sed vitam habet æternam. Hoc fateri & certissimè credere, si impletas figuras: si meliora pro vilioribus Sacramenta: si testamentū pro veterascente, & culpam habente excellentius, cum Christo recepimus, omninò cogimur. Audent isti nostra quæ ex ipso Christi latere profluxerunt Sacramenta, cum illis quæ instituta sunt per Moysen comparare:

Tract: 15. in
Ioann.

De his qui
mysterijs ini-
riant cap: 8.
9. & 4. de Sa-
crament.

De latere (inquit Augustinus) in cruce pendens lancea percusso, Sacramenta Ecclesie profluxerunt. Et

D. Ambrosius: Probatum est (inquit) antiquiora esse Ecclesie Sacramenta quam synagoga: nunc cognosce potiora

riora. Re vera mirabile est, quod manna Deus pluit patri-
 bus, & quotidiano cœli pascebantur alimento. unde dictum
 est: Panem Angelorum manducauit homo: sed tamen pa-
 nem illum qui manducauerunt, omnes in deserto mortui sunt.
 Ista autem esca quam accipis: iste panis viuus qui de cœlo
 descendit, vitæ æternæ substantiâ subministrat: & quicumq;
 hunc panem manducauerit, non morietur in æternum, &
 corpus est Christi in ueritate. Si illud miraris (audiat
 & erubescat hæresis) quod umbra est: quantum &
 istud est: cuius & umbram miraris. Audi quia umbra est,
 quæ apud patres facta est: Bibebant, inquit, de consequen-
 te eos Petra. Petra autem erat Christus. Hec autem in fi-
 gurâ facta sunt nostri. Cognouisti præstantiora: potior enim
 lux quam umbra, veritas quam figura, corpus authoris,
 quam manna de cœlo. Aut ergo figurâ nostræ Eucharistiæ,
 illud manna fuisse negent, ut Christi Ioanni: 6.
 fti verba & interpretationem contemnant:
 aut veritatem in illa, & omnia sublimiora ac
 maiora, quam manna habuerat, agnoscant, &
 cum tanto viro dicant: Si illud quod miramur, in
 manna umbra est: quantum istud est (nostrum scet
 diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum,)
 cuius & umbram miramur. Et Origenes idem de fi
 gura manne in Eucharistia nostra impleta tra
 dit: Antea, inquit, in enigmate fuit Baptismus, nunc
 autem in specie regeneratio est in aqua & Spiritu sancto.
 Tunc in enigmate erat manna cibus: nunc autem in specie,
 caro verbi Dei, est verus cibus. Alios plurimos san-
 ctos Pa-

Manna fuit
 umbra nos-
 træ Eucharis-
 tiæ.

Homil: 7. in
 Numer: & in
 Leuitic. 17.

Agni figura
impleta in Eu-
charistia.

D. Cypr: de
Cœna.

Oblatio in
Cœna.

Libro 4. cõ-
tra Marcion.

ctos Patres volens prætereò. Agni itidem in
Eucharistia nostra impletam figuram, & Do-
minus ipse, & Cœna illa, in qua desiderio
desideravit comedere Pascha testatur, & sancti
patres prædicant. Hinc D. Cyprianus.

*Cœna, inquit, disposita inter sacramentales epulas, obuia-
uerunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto Agno,
quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibũ
Magister apponit discipulis, nec iam ad elaborata impen-
sis & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalis ali-
monia datur, à communibus cibus differens, corporalis sub-
stantiæ speciem retinens (arrigãt aures Calvinistę)*

*sed virtutis diuinæ inuisibili efficiencia probans adesse præ-
sentiam significata olim à tempore Melchisedech prodeunt
Sacramẽta, & filijs Abrahæ, facientibus opera eius, Sum-
mus Sacerdos Panem offert & vinum: Hoc est, inquit, cor-
pus meum. Et Tertulianus de eadã agni in Cœna*

*impleta figura: Et tot inquit festis Iudæorum, Pa-
scha diem Christus elegit. In hoc enim Sacramento pronun-
ciat Moyses: Pascha est Domini. Idèò & affectum suum o-
stendit: Concupiscentia concupiui Pascha edere vobiscum,
antequam patiar. O legis destructorem, qui cupiebat etiã
Pascha seruare. Nimirum veruecina illum Iudæica delecta-
ret? An ipse erat, qui tanquam ovis ad victimam adduci
habens, et ovis coram tondente, sic os non aperturus, figu-
ram sanguinis sui Saluator implere cõcupiscebatur. Imple-
uit igitur figuram, & pro carne & sanguine
Agni animalis, suum in hoc Sacramentũ cor-
pus &*

pus & sanguinē contulit. Quod si figuras pro figuris reliquit, vtī asseuerant Zuingliani: nō impleuit quicquam, sed variauit & mutauit: signa pro signis: vmbrae pro vmbrae. Hinc collige pie lector, quā fucatē nec syncerē ex sequentibus verbis abruptis, ex eodem Tertuliano pro se suisq; figuris illa contorquent: *Professus, inquit, se concupiscentia cōcupiuisse edere Pascha, vt suum (indignum enim, vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.* Huic Zuinglianorum calumnię respondērūt egregiē, Sāctesius, Vilhelmus Alanus, aliq; viri doctissimi euidenter probantes ex toto Tertuliani contextu verba illa: *Id est Figura corporis mei, non esse referenda ad partem culam corpus meum, sed ad illud pronomen Hoc,* vt sit sensus, acceptū panem corpus suum illum fecit, dicendo: hoc quod in veteri lege erat figura corporis mei, iam nunc in lege noua est corpus meum. Mens enim Tertuliani ibidem erat probare contra Marcionem, Christum non phāsticum, sed verum corpus habuisse. Quod inde colligit, quia in veteri testamento, erat tantum figura corporis, in nouo autem veritas eius, tam in cruce quā in

Sacramen-

Tertul: in li: 4. cōtra Marcionem.

De figura dictum, quā veram habet at sententiam Sanctesius reperit: 3. cap: 4.

Alanus lib: 1. de Eucharist: cap: 32.

Sacramēto, eademq; ratione probat vtrobicq; habuisse Christum verum sanguinem. Post verba enim citata sic loquitur : *Figura autem nō fuisset* (sczt in lege veteri) *nisi veritatis esset corpus,* (sczt in noua lege) Et mox reddit causam , quamobrem Dominus non fecerit pepone m corpus suum, sed panem : quia iste, inquit, fuit it vetus corporis Christi figura , dicente Hieremia : *Mittamus lignum in panem eius , id est crucem in corpus eius.* Et subdit : *Sic & in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum : substantiam corporis confirmavit, nullius enim corporis sanguis esse potest nisi carnis. Vt autem & sanguinis veterem figurā in vino recognoscas , aderit liber Genesis : lauabit in vino stolam suam, &c.* Itaq; in toto illo contextu hoc agit Tertulianus, vt probet tum in cruce , tū in Sacramento esse veram Christi carnem & sanguinem : quia si non esset vera caro & verus sanguis, non habuissent in veteri testamēto figuras, panem sczt & vinum. Quare tantum abest vt Tertulianus faueat Zuinglianis, vt potius veritatem Catholicam ex professo probare contēdat. Sed de his satis. Nunc illud vrgemus : non solum diuina oracula, sed sanctorum etiam præconia testari , longè excellentiora nos habere, Sacramenta, quàm fuēd
re Mosa-

re Mosaica : vt quæ res figuratas in Mosai-
cis, adimpletas iam in se contineant. Illa vni-
bras tantum (iuxta Apostolum dicentē : vni-
bram habuit lex futurorum bonorum) ostē-
tabant : hæc nostra, res ipsas adumbratas præ-
ferunt. Illa, prædicante eodem Apostolo, Gal'at: 4.
egena & infirma fuere elementa: nostra opes
iam Christi habent, & ad perfectionem per-
ducunt.

Aduersarius autem diuinis hisce repugnās
sententijs, suorum magistrorū iactat somnia,
addita etiam contumelia. ¶ Deblaterant, in-
quit, qui Sacramenta veteris legis figurasse
gratiam, nostra verò exhibuisse dicunt. Et
iterum : Obgannit Turianus, qui vetus il-
lud manna, signum tantum re ipsa vacuum :
vt noui testamenti Sacramenta, quæ virtute
spirituali nos illis facimus paria, nos quoq; nu-
da & rebus ipsis vacua statuere euincat. ¶
Quid opus est pluribus demonstrare, Calui-
nistas nouæ legis Sacramenta vacua rebus cœ-
lestibus facere : cum res cœlestes in cœlo tan-
tum, non in terra constituent, sicut supra o-
stensum est, & ipsa Sacramenta cum verbis
& prædicatione conferant. Quod verò parē

T

virtutem

An paria sint
virtute Sa-
cramenta ve-
trique legis.

1. Corint: 10

Quomodo
ant. qui ean-
dem escā mā-
ducaverunt,

virtutem Mosaicis tribuunt, & illa etiam con-
tulisse gratiam Volanus asserit: primum qui-
dem, unde id probet videamus: deinde Iudai-
zare illum, & Christum eiusque merita abolet
re cupere, incaute forsitan ut lolet, ostenda-
mus. Apostolicum ergo illud pro se stare pu-
tat: *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt omnes antiqui Patres, eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos Petra, Petra autem erat Christus.* Sed in primis non aduertit aduersarius Apostolū non dixisse, illos & nos, eandem escam aut potum accepisse: sed ipsos omnes inter se tam bonos, ut Moysen, Aaronē, Phineē, quā malos: ut murmuratores qui prostrati sunt in deserto, eandem escam spiritualem, nempe Christum, in figura comedisse. Ita ut collatio Apostoli non sit ipsorum ad nos, sed ipsorum inter se, malorum scilicet & bonorum, infert enim Apostolus: *Sed non in pluribus eorum beneplacitū est Deo, nam prostrati sunt, &c.* Deinde, etiamsi nos illis comparet Apostolus respectu rei significatæ aut acceptæ, in Sacramento illorum, & nostris: nihil valet consequentia. Est enim fallacia figuræ dictionis, à re admodum rei. non enim sequitur, illi & nos eodem Christo pasti & loti sumus: ergo

utique eo-

vtrique eodem modo. Ex hac enim vanissima collectione, Sacramenta planè eadem habere mus: & sequeretur Baptismum figuralem eorum, nihil à nostro Baptismo differre: siquidem Apostolus eodem modo de Baptismo eorum ibidem loquitur, sicut de esca & potu. Ita igitur est intelligendus Apostolus, ac si diceremus: eundem Christum esse cibum hominum & Angelorum (quod quidam ex veteribus dixerunt) non tamen consequens erit, Angelos vel corporaliter, vel sacramentaliter sicut nos in Eucharistia Christum in escam ac alimentum sumere. Quòd autem intellexerit Apostolus, veteres illos diuerso à nobis modo manducasse Christum, ex eo liquido constat, quòd de eorum manducatione, potu atq; baptismo, ibidem addiderit, omnia in figura contingebant illis. Vnde illa verba D. Augustini, quæ pro se attulit aduersarius, idem prorsus sonant, & in illum aptissimè retorquentur: *Eandem, inquit, spiritualem escam manducauerunt, corporalem alteram. Quia illi manna, nos aliud: spiritualem quidem eandem quam nos.* Idem enim Christus heri & hodie, Idem Christus in legis Sacramentis manducabatur, sed significat

Augustinum
contra se ad-
ducit aduersa-
rius, ex tractu
26, in Ioan.

tionē & figura, non re ipsa neq; veritate. Corpus enim eius nondum natū, manducare non poterant. Quod clarius ex eiusdem D. Augustini verbis illustratur: *Veterum, inquit, sacramēta in signis fuerunt diuersa: in re quae significabatur paria.* Paria ergo erant significatione eiusdem rei, non exhibitione. Idem Christi corpus ibi in figuris significabatur, hic autem exhibetur: *Aliud inquit, illi, aliud nos, sed specie visibili: quod tamē hoc idem significare virtute spiritali.* Paria ergo illi nobiscum habuere Sacramenta in promittendo, & in significando, non autem in conferendo, nullā enim addendam gratiam spiritalē habebant virtutem, sicuti alio loco dixit idem Augustinus: *Alia sunt sacramenta dātia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui testamenti dant salutem: Sacramenta veteris testamenti promiserunt saluatore.* Eundem ergo iuxta Augustinum biberunt veteres, sed significatione intelligibili & figurata, quia idem Christus significabatur per petram. cōterum caro eius & sanguis in rerum natura non erat. Idē significabat Agnus, & Petra, & Manna: sed nō idem habebat quod nos in nostro habemus mysterio. Illa figuram habebant futurorum, nos præsentium veritatem. Picta fuit Christi

caro in

caro in manna & Petra: viua & re ipsa in nostro Sacramento exhibetur. Idem Rex Poloniae in Germania pictus, in Polonia viuus & verus. Non ergo Augustinus eorum tantę de mentię prebet assensum. Quomodo enim nostris Sacramentis ex Christi iam latere eductis, vt idem inquit, res ipsas continētibus, vmbra rerum futurarum: quomodo Sacramentapromittentia Saluatorem, his quę iam dant salutem exæquaret? Zuinglianicū hoc est commētum, non D. Augustini, multō minus Apostoli Pauli doctrina. Iudaica hæc esset superbia & iactatio vanissīma, quę Moyses Christo æqualem, imō superiorem quodā modo facere contendit. Si enim Christi Sacramentum nudum habet panem: manna Moisaicum multis modis excelluit. At verō quantum præstet cibus noster Eucharisticus veteribus illis & figuralibus alimentis, idem Augustinus alio loco his verbis tradit: *Ibi Petra Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno Sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra. Nos quid bibamus norunt fideles.* Et alibi transitum Catechumenorum per Baptismum, ad panem qui de cœlo descendit comparans, cū

Augustinus
in psal: 40.
Sacramenta
nostra de latere Christi
profluxisse
docet.

August: tract:
4. super Ioan.

Tract: 11. in
Ioann.

transitu filiorum Israel per mare rubrum, ad
 manna illud deserti, Sic ait: Quo traiecit per Ba-
 ptismum Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per
 mare traiciebat? Quo traiecit? Ad manna. Quod est man-
 na? Ego sum, inquit, panis viuus, qui de caelo descendi.
 Manna accipiunt fideles iam traiecti per mare rubrum.
 Notum est quid acceperint Iudaei, populus iste Israel: no-
 tum est, quid illis pluisset Deus de caelo, & nesciunt Cate-
 chumeni, quid accipiant Christiani. Erubescant ergo quia
 nesciunt: transeant per mare rubrum, manducent manna,
 & quomodo crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat
 Iesus. Illud porro subticendum non est, quod
 cc addit ad tantum errorem aduersarius: ¶ So-
 cc lus, inquit, vnicus salutis nostrae cibus, ex cor-
 cc pore Christi & sanguine haustus, veteribus
 cc omnibus sub lege fuit propositus. ¶ Quomodo
 do vero illis proponeretur aliter, nisi in figura:
 ra: cum nondum illis natus fuerit, nec in re-
 cc rum natura extiterit? ¶ Vt quamuis, inquit,
 cc obscurius & quasi per transfennam ab illis specta-
 cc retaretur, vitae tamen beatæ & immortalis om-
 cc nnes ex æquo participes faceret: nam si qui
 cc manna manducauerunt & mortui sunt, non
 cc vitio aut infirmitate Sacramenti factum est. ¶
 Putat sine Christo nato & passo, sine perso-
 luto pro totius mundi peccatis precio: vete-
 res be-

res beatam vitam & gloriam adeptos. Nos cum Ecclesia Catholica prædicamus: in lege veteri per fidem in Christum futurum, non per Sacramenta (quorum egestatem & infirmitatem et culpam Apostolus agnoscit; Volanus apertissimè Deo & eius diuinis verbis cōtradicens negat) eos qui in illa fide piè vixerunt, spem salutis consecutos: ipsam autē beatam ac immortalem vitam ante Christi Domini nostri passionem adeptos, nemo opinatus est vnquam, nisi qui se apertū crucis Christi inimicum, & reuelatæ collatæq; per aduentum Christi gratiæ, contemptorem declarauit. Audimus inclamantem præcursorē: Lex per Moysen, gratia per Christum data est. Audimus Apostolum, veteris testamenti præuaricationes non fuisse, nisi morte mediatoꝝis intercedente, abolitas: audimus ex eodē expectasse Patres, nec accepisse repromissionē, licet testimonio fidei probati essent: audimus tum primum apertas portas Paradisi, cū consummata omnia Christus pendens in ligno pronunciatet. Ad extremum tum ductā ex inferno captiuitatem à Christo, dum ab inferis victor rediret, docemur. Hos verò misereros pa

Ioann: 1.
Hebr: 9.
Peccata antiquorū Christi sanguine ablui debebāt
Hebr: 11.
Lucæ 23.
Psalms: 73.
Ephes: 4.

Zuingliani
Christi adue-
sum minus
necessariū in-
culcant.

Ad Moysen à
Christo trā
seunt quidam
ex Zuinglia-
nis.

seros patiemur, qui consummatam per Mo-
saica Sacramenta, salutem Patrum, ante Chri-
sti mortem denunciant? Frustra ergo natus
est Christus & passus: totius eius aduentus
destruitur œconomia: Si per legem homines
iustificabantur, & beatam immortalemq; vi-
tam consequabantur: vt quid nouum Te-
stamentum est institutum? Si illa Sacramen-
ta ad perfectum deducebant, quare successer-
unt noua? Quid istis superest, nisi vt Moy-
sen restituant, & Christum cum Galatis pro-
scribant? Quid nisi vt Christianam religio-
nem amoueant, & Iudaicam introducant?

Quod non infeliciter cecidit Zuinglianis in e-
orum discipulis. Videmus enim quosdam du-
ces eorum, & Ministros Moysen prædicare,
Christum deprimere: Sabbata obseruare: à
sanguine & cibus lege prohibitis abstinere,
Christi autem Sacra & leges Ecclesiæ ipsius
contemnere: & quod maximè detestandum
est, alios etiam ad Machometismū, vbi Moy-
ses iridem & circumcisio celebris est, deuol-
ui. O insensati & noui Galatæ, quis vos fasci-
navit non obedire veritati, ante quorum o-
culos Iesus Christus proscriptus est? Quid Ec-
clesia

clesia Christi habebit sublimius? Quid Sara
 ultra Agar obtinebit excellentius: si Moysis
 Sacramenta tantum habebant virtutis spiritu
 alis, ut beatæ & immortalis vitæ, suos cultor
 res facerent participes? cum iuxta Apostolū Hebr: 7.
 lex nihil ad perfectum deduxerit. ¶ Si inge
 nuè (inquit Volanus) profiteri velletis, eadē
 esca veteres cibatos, eodemq; potu spirituali
 fuisse potatos, quo & nos post exortum Euā
 gelij lumen reficimur: totam subito transub
 stantiationis molem ruere oporteret. ¶ Cre
 do, non transubstantiationem, sed totam novā
 uam legem, totam Ecclesiam & sponsam, Totam novā
legem depri
munt Caluis
nistæ. ipsam etiam gloriam Christi ruiturā. Si enim
 eadem sunt præstita à Moysè quæ à Christo,
 eademq; beneficia eius incarnationem præces
 serunt, quæ post eius aduentum & mortem
 consecuta sunt: quæ aduentus eius & passio
 nis erit necessitas? Addit & illud: ¶ Si vete
 rum, inquit, Sacramenta Christum realiter &
 corporaliter non continebant, eundem tamē
 verè & spiritualiter ad vitam æternā mandu
 candum exhibebant: profectò nec nostra Sa
 cramenta substantialiter in corpus & sangui
 nem Christi commutantur. ¶ Subtilis colle

Etio. Si colonus non habet aurum, nec Rex habet. Nec tantum est similis huic: sed & hoc incaute inferet: Si veteres reale Christi corpus non habebant, nec in Euangelio haberi debet. O sterilem inertiam, nec aliquo responso dignam. Acutius eius Magister, a quo necdum tanto tempore cautius fallere didicit: Si satis fuit, inquit, patribus ad salutem, fide (quam uis nondum natum) uere presentem Christum spiritualiter percipere (ut totidem uerbis confitetur Vestfalus) quo iure deinceps contendet nobis non sufficere: si eundem iam natum quamuis diuersis symbolis, & ampliore reuelatione, ac efficacia simili ratione percipiamus. Quid respondeant hisce stramineis prostratis armis, infelices Lutherani & Ubiqueistæ nescio. Nos iure maximo contendimus, Patribus sub lege ad spem salutis, non ad perfectam salutem suffecisse, diuinitatis quidem Christi presentis, sed absentis, ideoque figuratæ, corporis eius futuri, manducationis fidem: eo quod nondum caro Christi, quam re ipsa manducarent producta & nata ex Dei Genitrice fuerit: Nobis autem non sufficere, qui eam iam natam, iam in Sacramento datam habemus, &

Beza de Cæna
natiō: uel
ad cap: 6.

Quare anti-
quis sola per
fidem futuri
Christi mandu-
catio sufficie-
bat: nobis
autem non.

mus, & de ea manducanda præceptum à Domino recepimus: vt tanto certius & maiore vinculo illi coniuncti & conglutinati, opes eius omnes possideamus, & infinitas spirituum delectationum, solationumq; epulas habeamus.

Addamus & tertiam eorum, circa Sacramenta insignem imposturam: verbis aliquid efficacitatis ac virtutis, Sacramentis tribuere videntur: re ipsa autem nihil ea agere profus, sed tanquam mortua esse elementa tradunt. Inde aduersarius turpissimis contradictionibus irretitur, & imposturam suam prodit, nec habet quibus & quo tandem modo signa suorū magistrorum stabiliat. Nunc dicit: ¶ Nisi Sacramenta verè istas res diuinas ad mortuas animas nostras viuificandas exhiberent: & sine fructu perciperentur, & frustra essent instituta. ¶ Putares illum in nostram catholicam sententiam concessisse. At fallit. Audi proferentem contrarium: ¶ Sacramenta, inquit, non continent re ipsa gratiam. ¶ Et iterum: ¶ Sacramenta sic semper cum suis rebus significatis sunt coniuncta, vt res cœlestes quas representant, procul à ter-

III.
Tertia circa
Sacramenta
impostura,
de efficacia
Sacramento-
rum.

Libello prior
16.

Contradicti-
ones Volant.

ris positas, in cœlesti illa gloria quærendas in-
sinuent. Vide meras contradictiones & pu-
gnas, quas ipsemet proprio gladio conficien-
dus contra se mouet. Iam dicit Sacramenta in
terra utiq; & non in cœlis existentia, verè di-
uinas res atq; cœlestes exhibere: iam iterum
easdem res diuinas, procul à terris seiunctas
& secretas, non in Sacramentis, verū in cœle-
sti gloria quærendas esse. Quæ sunt istæ tam
insulsæ, tamq; inter se dissidentes voces? Si
Sacramenta verè cœlestes res exhibent: ergo
eas habent. Exhibeo siquidē ab habeo dedu-
ctum esse vocabulū, ipsi etiā pueri minimè ig-
norant: & re ipsa exhibere nihil est aliud,
quàm omni fictione & figura semota & exclu-
sa, rem habitam ad habendum ac vtendū tra-
dere: apud illos autem idem significat, quòd
fictè & in signo rem non habitam alijs com-
municare, & hac ratione veritas eorum fictio
est. Quemadmodum si dicerent: hedera verè
exhibet vinum, & satiat sitientem. O impo-
sturam insignem? Nos scripturarum oracu-
lis ab Ecclesia Catholica edocti, prædicamus:
Sacramenta Christi Seruatoris ac Dei nostri,
virtute diuini eius verbi potentissima, & o-
pera Spis

Sacramenta
verè res cœle-
stes continēt.

pera Spiritus Sancti, diuinissima ita esse effi-
 cacia, vt res cœlestes quas continēt, omnibus
 (qui tamē obice peccati gratiam Dei non ex-
 eludant) largissimè conferant. Audimus es-
 nim diuina sacrarum literarum testimonia,
 apertissimè Baptismi Sacramento tribuere sa-
 lutis causam & veram animarum purgatio-
 nem. Renatos ex aqua & Spiritu sancto, visu
 ros regnum Dei, disertis verbis Dominus
 pronunciat: & Petrus, salutem nos consequi
 per eam quæ in Baptismo est regenerationē,
 docet: Doctor item gentium, mundari Eccle-
 siam prædicat lauacro aquæ in verbo. Aquæ
 enim ad hoc diuina virtute accomodantur,
 & à Dei verbo admirandam naturamq; ipso-
 rum transcendentem, vim acquirunt in Sa-
 cramento Baptismi: vt ad ipsam animam per-
 tingant, & eius internam mundationem &
 regenerationem operentur. Quod & ortho-
 doxi Patres, eisdem sacris innixi scripturis,
 apertissimè profitentur. Verba sunt Cyrilli
 Alexandrini: *Quemadmodum, inquit, viribus ignis
 intensus aqua calefacta, non aliter quàm ignisurit: sic
 Spiritus sancti operatione, ad diuinam aquæ reformantur
 virtutem, qua baptisati corpus abstergunt. Aqua ex se*

Ioann: 3.

1. Petri 3.

Ephes: 5.

Elemēta Dei
 verbo eleuan-
 tur supra na-
 turam.Cyril in Ioan:
 lib: 2, cap: 42.

adurendi facultatem non habet, sed cum vim
 ab igne sibi impressam acquisierit, ita sicut
 & ignis adurere potest. Eadem planè ratione
 in Baptismo, aqua quæ ex sua natura pertinere
 ad animam non valet, diuina Spiritus S.
 virtute ad hoc apta redditur, siue (vt The
 ologi dicunt) eleuatur, vt animam emundet.
 Et D. Chrysostomus: *Est aqua, inquit, Catholica,*
in qua ostenditur fons aternus, qui reficit, id est iterum fa-
cit, quomodo generatio & generatio reficit animas, quia in-
nouat in fide, abluunt sordes, tollit maculas. Hæc aqua pri-
matum tenet in elementis, sed cum istud elementum acce-
perit Spiritum sanctum, fit Sacramentum: & iam non e-
rit aqua potationis, sed sanctificationis, non erit aqua com-
munis, sed refectionis. Per istam aquam educit purgatos,
facit perfectos, ratione claritatis & gratiæ, illuminans &
replens eos, vt ubi abundauerat peccatum, faceret diuites
in gratia. Et D. Augustinus: Vnde, inquit, ista vir-
tus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente ver-
bo, non quia dicitur (non ex sono scit) sed quia cre-
ditur. (ex Dei vçzt verbo hanc concipere vir-
tutē) Nam & in ipso, inquit, verbo aliud est sonus transi-
ens, aliud virtus manens. Illa virtus scit, quæ cre-
ditur aquæ elemento tribui à Spiritu sancto,
 Et infra: *Lege, inquit, Apostolum & vide quid adiun-*
gat: vt eam sanctificaret inquit, mundans eam lauacro a-
quæ in verbo. Mandatum igitur nequaquam fluxo & la-
 bili clea

In cap: 5. Io.
ann.

In Ioan: tra
stat: 8.

Mundatio tri
buitur elemē
to non per si
guram.

bili elemento tribueretur, nisi adderetur in verbo. Sacramenta igitur nostra, ex Christi verbo & diuina Spiritus sancti virtute, verè & non per signū res cœlestes continent: verè eas re ipsa habent præsentibus: verè illas non ponentibus impedimentum, conferunt. Quod enim de Baptismo ostensum est, idem de sacrosancta Eucharistia, tota hac tractatione ostēditur: sub elementis & speciebus panis & vini, verè & re ipsa contineri corpus & sanguinem Domini, nec aliter Eucharistiam, ex duabus rebus, terrena & cœlesti constare posse.

Quum porro de vsu & finē Sacramentorum loquuntur Aduersarij, non modo nihil veri afferunt, sed ipsa Sacramenta summo cōtemptui nefariè exponunt. Non alium Volanus existimat esse finem mysteriorum nostrorum, quàm vt per illa tanquam symbola confirmetur & stabiliatur fides, quamadmodum verbo & prædicatione roboratur & solidatur, ita vt nihil à verbis differant. Non falsus, inquit, à Sacramētis, sed certitudo & augmentum fidei petendum est. At scriptura dicit: *Saluos nos facit Baptisma.* sed quid curat homo hæreticus scripturam? D. Augustinum audiuit

IIII. De fine Sacramentorum.

1. Petr. 3.

audiuit dicentē : *Sacramēta noua legis dant salutem.*

At si non audit scripturam, quomodo audiet
D. Augustinum ? *Ista est eorum extrema ob-*
stinatio. Plura in eandem dicit sententiam :

« *¶ Nos, inquit, libenter tibi damus, quod cor-*
« *poris Christi manducatio, significantius &*
« *luculentius in Sacramento, quam in simplici*
« *verbo fidelibus proponatur : sed dissimilem*
« *ac diuersum in utroq; manducandi esse mo-*
« *dum, id omnino pernegamus. ¶ Idem ergo*

Sacramen-
ta dicunt i-
dem efficere,
quod prædi-
catio verbi ef-
ficat.

operatur prædicatio verbi, & eandem habet
corporis Christi manducationem, quam ipsa
Eucharistia ? Eandem prorsus iuxta Volanū,
Ergo frustra est instituta ? ergo audiens ver-
bum manducabo, & Sacramentum Eucharis-
tiæ, quod mihi nihil potest præstare ampli-
us, contemnam ? O blasphemiam non ferend-
dam. Quid ergo ante dixit : *¶ Nisi Sacramen-*
« *ta res diuinas exhiberent, frustra essent insti-*
« *tuta. ¶ Dixit, sed fucatè, in dolo. Ita enim a-*
« *pu- pud illum res diuinas exhibent Sacramenta,*
« *sicut eas lectio sacra, vel prædicatio, vel ali-*
« *qua meditatio, exhibet. Tanti faciunt isti Sa-*
« *cramenta, vt nullum prorsus singularem eo-*
« *rum fructum esse doceant, qui non etiã ver-*
« *bo perci-*

Nullum fru-
ctum singula-
rem tribuunt
Sacramentis,

bo percipi possit, quo & ipsa Sacramenta despicatissima reddūt, & sapientiam Instituto-
ris, qui ea, tanta necessitate salutis nostræ, re-
liquit, reprehendunt, & passionem eius sa-
cratissimam, ex qua nostra Sacramenta pro-
fluxerunt, & per quæ illius fructus ad nos det-
riatur, pro nihilo ducunt.

Sed & illud ad eundem Sacramentorum
contemptum spectat, quod dicit imperitè Vo-
lanus: ¶ Omne robur à fide Sacramenta per-
cipiunt. Si dixisset, fructum & utilitatem à
fide & interna animi sumentis compositione
habere Sacramenta, aliquid dixisset: at nunc
quantum sit in Deum & in potentissimum e-
ius verbum contumeliosus, quis non videat?
Docuimus enim verbo Dei confici, & ab illo
omne robur habere nostra Sacramenta, vt
sint diuina, & res in se cœlestes contineant:
ille verò non dans gloriam Deo, quod verbo
illius & eius potentiaë tribuere deberet: hoc
suaë fidei (qua certissimo caret) vel cuiuscūq;
alterius, iniquè vendicat. An non hoc est Sa-
crilegium summum? Christus dicens & vo-
lens, non potest iuxta Volanū verbo suo po-
tentissimo corpus suum ex panis substantia

X

efficere.

V. Fide sua
Zuingliani
conficiunt Sa-
cramenta.

efficere. Volani vero fides, potest illud quā docunq; volet, è cœlo deducere, vel ad illud in cœlum manducandum volare? O nugas & blasphemias intolerabiles. *Non interest, inquit D. Augustinus, cū de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali sit fide imbutus ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti questionem, nihil interest. Fieri enim potest ut homo habeat integrum Sacramentū & perversam fidem. Et alibi: Non eorum, ait, meritis à quibus ministratur, nec eorū quibus ministratur constat Baptismus: sed propria sanctitate atq; veritate propter eum, à quo institutus est. Integritas ergo, & virtus Sacramentorum non pendet ex fide, aut meritis suscipientis. Quamvis ut virtus hæc suum effectum sortiatur, necessaria sit fides & præparatio, in adultis. At Volanus me compellat: Nihil, inquit, homo in pte Sacramenta exhibent, nisi quod fides inquirit. Sentit igitur homo aptus, Baptismi Sacramentum nihil paruulis exhibere, qui fidei actu nihil inquirere aut apprehēdere possunt. Audiat quid alio loco dixerit Augustinus: Sacramentum ipsum, per seipsum in paruulis valet plurimum. Et rursus alibi: Totum hoc fit in paruulis vi Sacramenti & diuine gratie. Quod Conciliū Tridentis*

Libr: 3. in
Donatist: cō:
Cresconium.

Fides accipiē
tis, nil pro/
dest roboris,
Sacramento.
Lib: 4. cont.
Cresconium
cap: 16.

Libr: 4. con.
Donat: c. 24
Lib: 1. de pec
caro: merica:
18.

Concil: Tri/
dent: sess: 7.

Tridentinum & Doctores Scholastici ex opere operato Augustinus vi Sacramenti dixit.

Ad vltimum tandem interitum & exitiū Sacramentorum inducendum, Volanus duo tantum statuit Sacramenta, quæ tamen iterū commiscet, & in vnum confundit, ad extremum neutrum relinquit. ¶ Duo, inquit, tantum Sacramenta agnoscit D. Augustinus.

At hoc falsissimum est: Nam licet in illo loco duorum tantum faciat mentionem, alibi tamen plura enumerat: *Si ad hoc valet, inquit D. Augustinus, quod dictum est in Euangelio: Deus peccatores non exaudit, ut per peccatores Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi (en Baptismus) vel super Oleū (en extrema Vnctio & Cōfirmatio) vel super Eucharistiam (en Eucharistia) vel super capita eorum, quibus manus imponunt (ecce sacer Ordo & Pœnitentia)* Præterea de Baptismo & ordinatione loquens alibi idem Augustinus: *Vtrumq, inquit Sacramentum est, et quadam consecratione homini datur.*

Et alio loco de Confirmatione sic loquitur: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorū sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Et ad Ianuariū scribens docet, Sacramenta Christiana confici ex aqua, frumento, vino, & oleo. & super

VI.
Confusio
& sublatio Sacramentorū.

De Doctrina Christiana li br: 3, cap: 20

De Baptismo cont: Donat. lib: 5, ca: 20.

August. li: 1. de Baptif: cō: Donatistas. Idem lib: 2. cont: liter: Pœnitentij cap: 104 Idem episto: 118. cap: 7.

Idem in Psal:
103.

Idem libr: 1.
de adulterin:
coniug: c. 26
& 28.

Idem libr: de
uisione in
firmorum.

cap: 4.

Innocentius
Primus episi:
1. cap: 8.

illud Psalm: Qui tegis aquis superiora eius,
Baptismo & Eucharistiæ, alia Sacramēta ad-
numerat per clausulam generalem. Sacramē-
tum verò pœnitentię conferens idem Sanctus
Doctor cum Baptismo: *Eadem est, ait, causa Ba-
ptismi & reconciliatio nis, sine quibus Sacramentis, homi-
nes credunt se non debere exire de corpore.* Matrimoni-
um esse Sacramentū non primus Diuus Gre-
gorius Papa dixit (vt finxit Calvinus) sed an-
te eum expressè innumeris locis August: idem
asseruit, præsertim lib: de bono coniugij cap:
7. 15. & 13. Cap: verò 24. apertissimè: ubi
illud in ratione Sacramenti comparat ordina-
tioni, quàm prius cum Baptismo contulerat,
vt ostendimus: *Bonum nuptiarum, inquit, per omnes
gentes & omnes homines in causa generandi est, & in fide
castitatis. Quod autem ad populum Dei attinet, etiam in
sanctitate Sacramenti est, quod manet in coniugatis, licet
proles non sequatur: sicut Sacramentum ordinationis ma-
net in ordinatis, licet plebem propter quam congregandam
ordinati sunt, non congregent.* Deniq; quod extre-
ma vnctio sit Ecclesiæ Sacramentum, expressè
Augustinus testatum reliquit libro de uisione
infirmorum. Quod opus si Volanus
tanquã Augustini non recipit, habet expres-
sa testimonia Innocentijs Augustini. æqualis,
(quem

(quem etiam allegat & sequitur Beda super
 5. cap: Iacobi, & 9. Lucæ) Origenis & Pro-
 sper, cuius hæc sunt verba: *Non tantum in Ba-*
p-tismo remittunt sacerdotes peccata, sed etiam post ea in
unctione, iuxta illud Iacobi: Infirmatur quis in vobis, &c.
 Hæc obiter dicta sufficiant, Immensum enim
 esset, si vellem Patrum omnium pro singu-
 lis Sacramentis sententias referre. Videat er-
 go suas nugas Volanus, & in D. Augustinum
 calumnias. Sed illud est grauius, quod cum
 duo tantum illa statuatur, vtrunq; commiscet
 & confundit, vt vnū tantū statuere videatur:
 ita enim Theologizat: ¶ Eucharistiæ, ait, Sa-
 cramentum non noui alicuius beneficij causa,
 cuius nos Baptismus participes non redderet
 vsurpamus: sed corpori Christi semel inser-
 tos & sanguine eius ab omni peccato emun-
 dados, altero symbolo testamur. ¶ Et iterum:
 ¶ Apostoli quando Christum filium Dei viuē-
 tis agnouerunt, & illi per fidem inserti sunt,
 iam ~~tantū~~ corporis eius & sanguinis partici-
 pes sunt facti. In extrema autē cœna, Sacra-
 mentū tantæ rei perceperunt, & visibili sym-
 bolo confirmarunt. ¶ Non pudet istum ho-
 minem hæc de diuinissima Eucharistia iacta-
 re, nihil

Origenes lib: 2. in Leuitic:
 Prosper lib: prædict, parte 2. cap: 29.
 Chriost: lib: 3. de Sacerd.

Nihil Singulare tribuunt Eucharistiae supra Baptismum.

Confundunt Eucharistiam cum Baptismo.

re: nihil singulare præbere illam, quod non Baptismus contulisset. Quomodo ergo iuxta illū res cœlestes exhibebit? Quid obstat igitur quo minus ista duo Sacramenta commisceantur, & in vnū redigantur quādoquidē, nihil plus fructus affert Eucharistia quā Baptismus? frustra ergo est instituta, solus Baptismus est prædicandus, Eucharistia tanquā inutilis tollenda. Nam si tantum signo illo & symbolo ostendit id, quod ante datum est, & noui beneficij affert nihil: non est Sacramentum, quod res etiam cœlestes habere debere & ex illis constare concessit aduersarius. Nā si sola signa & nuda symbola auxit Christus, sine nouo singulari & cœlesti beneficio: sine causa vlla & fructu hoc fecit, cum hæc eadē ipsi nos augere & statuere quādoquidē placeat, possimus. Quæ esset hæc Christi testamento digna munificentia, vt signa tantum augeat, verba & titulos multiplicet: res verò nullas nouas cum titulis & signis conferat? Ad quam isti amentiam deuoluuntur? Si eiusdem sunt naturæ Baptismus et Eucharistia, & nihil habet prorsus cœleste Eucharistia, quod non haberet Baptismus, & contra: cōmunia

munia ergo habebunt attributa & proprietates. Frequentatur à nobis Eucharistia, frequentetur & Baptismus: In Baptismo renascimur, ergo & in Eucharistia. pro Baptismo ergo sumatur Eucharistia, & ille rursus pro ista accipiatur: & idem sit Eucharistia uti, quod Baptismo. O confusionem plus quàm Babylonicam. Quantum autem Baptismus ab Eucharistia natura ipsa, materia, forma, sine, effectu, fructu, differat, alibi declaratum est. Illud autem quantæ est temeritatis? Apostoli, inquit Volanus, statim atque crediderunt illud Christi corpus quod in cœna dabatur, manducauerunt. Inferat & illud: mox etiam tum baptizati sunt, ut sicut Eucharistiam, ita & Baptismus explodat. Quomodo ergo nouum testamentum illa cœna dicitur, in qua nihil nouum collatum est? Quid eis Christus promisit dicens: Panis quem dabo vobis, caro mea est pro mundi vita: ubi nam istud extra cœnam præstitit? Nil ergo cœna illa & vltima dies, morituri Domini, nihil noui perignoris reliquit? frustra dixit: Accipite, Hoc est corpus meum: cum poterant iuxta Volanum dicere: Iam hoc ipsum ante credentes manducauerunt.

Apostoli in cœna nullum nouum in nouo testamento receperunt beneficium, iuxta Hæreticos.

māducauimus, noui aliquid à te discessuro pi-
gnoris expectamus. Sed quid cum istis pro-
ficimus cum sint cæci, & cœcorū duces. Pro-
batum est ergo, non iam duo Sacramenta ha-
bere Zuinglianos, sed vnum tantum, nempe
Baptismum: in quo simul etiam Christi cor-
pus manducant, sed vtinam & hoc vnum re-
tinerent, nec illud ipsum tollerent, necessita-
tem eius negantes. ¶ Nequita, inquit, præci-
se Baptismi necessitas à Domino vrgetur, vt
qui in filios eius adoptati, gratuito eius pro-
missionis beneficio, ex hac vita decesserint, o-
mni facultate Baptismi illis adēpta, non ideo
vitæ æternæ compotes efficiantur. Quod
etiam de infantibus intelligi vult, & multi-
strepis verbis affirmat, eos sine Baptismo &
sine fide etiam, quam procul dubio nō habēt,
saluari. Catholica quidem docet Ecclesia, Ca-
techumenos & credentes per votum & desi-
derium baptismi saluari posse: eo quòd cre-
dant in Dominum Iesum Christum, & pro-
pria fide per dilectionem operante, & conce-
pto Baptismi desiderio, dum habere illud vl-
lo modo nequeunt, Christi meritis induere
se, & illa atrahere, & in seipso deriuare poss-
sint, lii

Nec vnū reti-
nent Sacra-
mentū Zuin-
gliani.

Saluari infan-
tes sine Bap-
tismo dicunt
Zuingliani.

sint, licet ab ipso reali Baptismo summa necessitate excludantur. Cœterum infantes, cū nec ullam propriam habeant fidem, nec desiderio & voto proprio Baptismi fructū ad se pertrahant, à vita illa & gloria Sanctorum eos excidere, nec eorum originis peccatum, sine Baptismo deleri posse: Sācta semper professā est & profitetur per totum orbem diffusa Christi Ecclesia & Sponsa. Quid autem de hac re Augustinus sentiat audiamus: *Novellos, inquit, hæreticos Pelagianos, iustissimè Conciliorum Catholicorum ex sedis Apostolica* (alludit ad Zozimi Romani Pontificis Decretum, quod idem Augustinus refert Epist: 157. ad Optatū) *damnavit auctoritas: eò quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis locum etiam præter regnum cœlorum. Et alibi: Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli; qui sine Sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit & totam condemnat Ecclesiam. Denicq; Calvinisticum hunc errorem quatuor libris de origine animæ, ipsemet Augustinus latissimè confutavit. Cū autem hunc errorem sequatur Volanus, totum se iam Anabaptistam declarat: præsertim quod eius Typographus Sectæ huius pestilentis discipulus, vel ipse potius Vo-*

Augusti: li: 2.
de origine animæ cap: 13.

Idem episto: 28. ad Hieronymum.

Volani Anabaptistica professio.

māducauimus, noui aliquid à te discessuro pi-
gnoris expectamus. Sed quid cum istis pro-
ficimus cum sint cœci, & cœcorū duces. Pro-
batum est ergo, non iam duo Sacramenta ha-
bere Zuingianos, sed vnum tantum, nempe
Baptismum: in quo simul etiam Christi cor-
pus manducant. Sed vtinam & hoc vnum re-
tinerent, nec illud ipsum tollerent, necessita-
tem eius negantes. ¶ Neq̄ ita, inquit, præci-
se Baptismi necessitas à Domino vrgetur, vt
qui in filios eius adoptati, gratuito eius pro-
missionis beneficio, ex hac vita decesserint, o-
mni facultate Baptismi illis adēpta, non ideo
vitæ æternæ compotes efficiantur. Quod
etiam de infantibus intelligi vult, & multi-
strepis verbis affirmat, eos sine Baptismo &
sine fide etiam, quam procul dubio nō habēt,
saluari. Catholica quidem docet Ecclesia, Cat-
techumenos & credentes per votum & desi-
derium baptismi saluari posse: eo quòd cre-
dant in Dominum Iesum Christum, & pro-
pria fide per dilectionem operante, & conce-
pto Baptismi desiderio, dum habere illud vl-
lo modo nequeunt, Christi meritis induere
se, & illa atrahere, & in seipsos deriuare poss-
sint, li

Nec vnū recti-
nent Sacra-
mentū Zuingi-
gliani.

Saluari infan-
tes sine Bap-
tismo dicunt
Zuingliani.

sint, licet ab ipso reali Baptismo summa necessitate excludantur. Coeterum infantes, cum nec ullam propriam habeant fidem, nec desiderio & voto proprio Baptismi fructum ad se pertrahant, à vita illa & gloria Sanctorum eos excidere, nec eorum originis peccatum, sine Baptismo deleri posse: Sancta semper professsa est & profitetur per totum orbem diffusa Christi Ecclesia & Sponsa. Quid autem de hac re Augustinus sentiat audiamus: *Novellos, inquit, haereticos Pelagianos, iustissime Conciliorum Catholicorum & sedis Apostolicae* (alludit ad Zozimi Romani Pontificis Decretum, quod idem Augustinus refert Epist: 157. ad Optatum) *damnauit auctoritas: eo quod ausi fuerint non baptizatis paruulis dare quietis locum etiam praeter regnum caelorum. Et alibi: Quisquis dixerit, quod in Christo uiuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam predicationem venit & totam condemnat Ecclesiam. Denique Calvinisticum hunc errorem quatuor libris de origine animae, ipsemet Augustinus latissime confutauit. Cum autem hunc errorem sequatur Volanus, totum se iam Anabaptistam declarat: praesertim quod eius Typographus Sectae huius pestilentis discipulus, vel ipse potius Vo-*

Augusti: li: 2.
de origine animae cap: 13.

Idem epist: 28. ad Hieronymum.

Volani Anabaptistica professio.

lanus in margine sui libri adiunxerit, non iam
 infantes, sed omnes etiam adultos comprehē
 dens illis verbis: ¶ Fideles, inquit, citra Sa
 cramenta saluantur. ¶ totam necessitatē Bap
 ptismi sustulit: qua sublata, ruat etiam Bap
 tismus oportet: Confirmat hanc eius mentem,
 quòd ad deprauanda illa Domini verba: Ni
 si quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu san
 cto, non potest videre regnum Dei, (quibus
 maximam Baptismi necessitatē Ecclesia pro
 fitetur) per figuratosq; sensus excludenda, a
 niminim adiecerit. Nihil itaq; ad tollendum &
 contemnendum Baptismum in eis sententijs
 desideratur. Totus in istis est conatus Sathaz
 næ, vt Sacramenta omnia, quæ sunt salutis
 nostræ certissima & efficacissima, diuinisq; et
 cœlestibus gratijs refertissima instrumenta,
 explodantur. Prius quatinque abiecit, duo re
 tinuit: iterum duo in vnum commiscet, ac de
 mum hoc vnum, sublata eius necessitate, sub
 uertit & funditus tollit. Ad quam impietatē,
 & adeo prophanas sententias, odium, illum
 præsentia corporis Domini nostri in Eucha
 ristia, videtur impulisse: ne huic splendida
 in verbo Dei, clarissimaq; veritati cederet,
 fatius

Omnia explodunt Sacramentaria.]

fatius esse duxit in peius proficere, & in tam
inconcinna & falsas de Sacramentis opinio-
nes delabi. Nobis contra Catholicis, nihil est
ad tuendam præsentiam, & veritatem Domi-
nici in Eucharistia corporis accommodatius,
quàm Christi & Apostolica totiusq; Ecclesie
de Sacramentis nostris, sana & integra doctri-
na. Si Sacramenta ex duabus rebus constant,
cœlesti & terrena: si nostra à Mosaicis rerum
ipsarum veritate, & figurarum adimpletione
differunt: si non sunt vacua, sed efficaciss-
ma, & res ipsas cœlestes continentia & exhi-
bentia: si habent hunc vsum & finem, vt per
illa salutem & vitam æternam, tanquam per
canales à Christi latere deductos, hauriamus:
si potentissimo Christi Domini verbo nō no-
stra fide formantur: si singula suam habent
naturam & proprietatem, & singulare cœle-
ste donum: certissimè & necessario sequetur,

Eucharistiam, verum et præsentissimum

realeq; Christi Domini nostri cor-

pus sub velamine specie-

rum continere.



CAPVT OCTA VV M.

De præsentia
& transubstā-
tiatione.

Octava Zuinglocaluinistarum & præcipua impo-
stura: Præsentiam corporis Christi Domini nostri
& veram in Sacramēto Eucharistiæ agnoscere se
prædicant: cū magnam prorsus absentiam tra-
dant, & verbis tantum hominum mentes delu-
dant.



Mores hære-
ticorum,

Enatoribus in capienda & perio-
menda fera aliqua bellua: hæc
prima ac præcipua cura esse so-
let, vt illā ex densis syluis & ve-
pribus, in apertum campū pro-
pellant, atq; hac tandem ratione, paruo illam
negocio conficiant. idem nobis cum Hæreticis
vfu venit. Multo plus ponendum est ope-
ræ, in eorum opinionibus, quas verborum
Amphibologis & obscuritate, quasi densis
quibusdam sylvarum latibulis inuoluunt, per-
uestigandis, quam in illis demoliendis. Non
prodeunt in apertum, suo iudicio condemnati,
lucem refugiunt, cominus, strictim, pun-
ctimq; certare recusant: sed in ambagibus
phaleratorum verborum meretricioq; rhe-
torculorum ornatu latere & fallere discunt.

Non se

Non se ingenuè explicant, specie verborū au-
ditorem nondum eorum artibus assuetum ca-
piunt, vicinitate se Catholicæ professioni cō-
iunctos ostentant, à qua tamen longè nimīū
distant, contraria prorsus dogmata traden-
tes. Audent summa vafricie asserere, profite-
ri se corporis Christi præsentiam in Eucha-
ristia. Ita enim me compellat Volanus: ¶ De
mirari, inquit, non possum, quæ tua sit in sin-
gendis calumnijs impudentia, vt quæ ego nec
fenserim nec scripserim vnquam, tu tamen
sine omni fronte attribuere mihi audeas. Nā
& titulus & Præfatio libri tui, crassissimi nec
ferēdi in Ecclesia Dei erroris, & à quo omnes
sensus mei abhorrent, me insimulant: quod
nimīrum ego hic sim, tibiq; cum homine eo
certamen sit susceptum, qui præsentiam cor-
poris Domini nostri Iesu Christi ex Sacramē-
to Eucharistiæ auferat. Egonē istud sentire
videor, qui Spiritus sancti sequens oracula &
purissimæ antiquitatis insistentes vestigijs, vbiq;
Sacramentum hoc, ex duabus rebus constare
terrena nimirum & cœlesti, neq; vnquam ex-
terna & visibilia à fidelibus percipi elemen-
ta, quin simul corporis & sanguinis sint par-

Quanta simu-
latio de præ-
sentia corpo-
ris Christi.

ꝑ ꝑticipes, ingenuè profiteor. Sed vestra hæc est
 ꝑ ars boni Iesuitæ, fallacibus umbris imperitæ
 ꝑ plebeculæ oculos perstringere. Videbimus
 nos hanc eius ingenuam professionem & eius
 candorem. Putares esse angelum lucis, verã
 nobiscum præsentiam illam agnoscentem.
 Quæ inter nos & illum ac Calvinistas, hanc de
 re existeret controuersia: si hoc quod extrin
 ꝑ secus lingua voluit, pectus intus gereret, ac in
 ꝑ genuè & sine fuce p̄fiteretur. At quia nõ pro
 ꝑ dit in apertum campum, & in densitate ve
 ꝑ prium sua tuetur latibula, protrudendus est,
 & stimulis clamoribusq; vrgendus, vt prode
 at. Quæramus ab illo: partes istæ in Eucha
 ꝑ ristia, terrena & cœlestis, suntne simul & in
 eadem coniunctione, quæ ad integrum ali
 ꝑ quid constituendum requiritur? Responde
 re & prodire aliquantum cogitur: Nequaquã
 inquit, sed res terrena panis seu Sacramentũ,
 est in terra: cœlestis verò res, hoc est Chri
 ꝑ sti corpus, est in cœlo. ¶ Regnat, inquit, Chri
 ꝑ stus in cœlis, nec ante extremum iudicium il
 ꝑ lud de cœlo corporaliter descendet, & inte
 ꝑ rim tamen per Spiritum sanctum suum, mens
 ꝑ tes fidelium reficit, eiusq; virtute se in cibum
 saluta

Partes aliquid
 integrũ spe
 ciantes oportet
 esse simul.

salutarem & viuificum omnibus credentibus
 communicat. ¶ Iam incipit prodire, & ex du
 me tis caput erigere, corpus Christi quod in
 Eucharistiæ Sacramento præsens esse dixit,
 cælo quasi alligatum claudi, neq; ante extre
 mum iudicij diem terras attingere posse, lo
 quitur. Non ergo est in Eucharistia præsens,
 quæ utiq; in terra, in Altari, vel iuxta illos in
 mensa conficitur. Ecce trux vultus, feræ hu
 ius apparere incipit: nondum tamen totum
 eius horrendum prodijt corpus, hæret adhuc
 inter sentes dicēs: ¶ Virtute Spiritus sancti cō
 municat se Christus fidelibus in cibū. ¶ Sti
 mulemus feram istam turpissimam, prodeat
 longius, & totum mittat sub aspectum cor
 pus. Queramus, cibus iste viuificus Spiritus S.
 virtute cōmunicatus, estne res an phāstasma:
 estne realis an figuratus & imaginarius, & an
 cum elemētis panis coniungatur et simul sit?
 Post longos anfractus verborum, quibus la
 tere voluit, tandem quodam velut venabulo
 trusus, totus proruit in apertū dicens: ¶ Nū
 quam panis cum Christi corpore iūgitur ipsa
 re, atq; corporaliter, sed tāquam signum cum
 re signata. ¶ Et iterū: ¶ Nullus in Sacramento
 reali

« reali & corporali manducationi relinquitur
 « locus. Itemq;: ¶ Omnis imaginatio de car-
 « nali corporis Christi esu, & reali ipsius cum
 « symbolis coalitione abijcienda est. ¶ Et de-
 « inde: ¶ Quod attinet ad naturalem corporis
 « Christi præsentiam, ipsum in terris absentē
 « esse verè asserimus. ¶ En iam in cōspectu pro-
 greditur fera mendaciorum setis contexta,
 quæ se voce & balatu, ouem esse finxerat, &
 ecce Draconis & vrsi immanem spirat fero-
 citatem. Tela in eā conijciamus, vt lethaliter
 vulnerata & confixa corruat. Talis præsen-
 tia, qualis signati in signo, verane & realis
 præsentia est? Vtrum hedera, quæ venale
 signat vinum, verè in seipsa præsens continet
 at vinum necne? Petat ab hedera vinum Vol-
 lanus, nec adeat œnopolam? Bibet scetz æquè
 multum, atq; ille qui se bibere somniat. Di-
 cat Regem Poloniae dum est Cracouiae, vere
 esse Vilmæ præsentem, quia eius imago Vil-
 næ habetur. Talem veritatem titulus eius li-
 bri præsefert? An non naturalem & veram
 corporis Christi præsentiam requirimus?
 Estne aliud eius verum, & naturale cor-
 pus? Si naturali ac reali præsentia Christus
 non est

non est in Sacramento, quid aliud, quam phantasticam & imaginariam impostor iste præsentiam eiusdem nobis obtrudere conatur. Essene præsentia ista vera, quæ naturalis non sit, potest? Qualis ergo & quàm fallax est titulus libri eius, de vera præsentia corporis Christi inscripti. Hæcne est ingenua de hac præsentia confessio, quæ tanta fraude & furore contegitur? Itane ego calumniatus sum illum, idque cum impudentia? itane ego sine fronte? Quid illi est potius pudoris in tam fucata, tecta, & mendaci confessione? quid mentis in tam contrarijs sententijs? Egregia præsentia signati in signo. Talem illæ suæ pecuniæ vel vxoris, vel liberorum, vel eorum, qui corpus eius curant, præsentiam habeat, qualem pijs hominibus, & ad Christi edendum corpus animas esuriētes deferentibus, obtrudit, certè se delusum & frustratum intelliget. Agnus Paschalis & Manna signabant Christi corpus: nunquid præses illud verè habebāt? sciet cum nondum ex gloriosissima Dei Genitrice natum esset. Rem sibi esse cum pueris, & illis quas seducunt mulierculis isti arbitrantur. Videmus fidem Euangelicorum in ore & ver

bis non in corde & sententijs haberi. Labijs
 corpus Christi præsens esse volunt, cor au-
 tem eorum lôgè est ab hac præsentia. Mosai-
 cam non Euangelicam malunt præsentiam :
 umbras legis sine rerum veritate eligunt, &
 quasi crucis Christi, & veritatis iam impletæ
 in Euangelio, professos & proclamatos ho-
 stes sese declarant. Si quæ ras ab illis : Nonne
 corporalis Christi præsentia vos afficit, & ad
 optandum & complectendum permouet ?
 Non audent quidem verbis, hoc sepio affectu
 priuatos fateri : ideoq; Volanus de tali præ-
 sentia suo libro titulum præfixit, vt hanc à
 se suspicionem amoueret : re autem ipsa, tan-
 tum erga veram corporis Christi præsentiam
 affectos se declarant, quantum Geraseni illi
 ab Euangelista descripti fuere affecti : vt eti-
 am si illis ab ipso Domino tam apertis verbis,
 & à nobis tot tantisq; documentis offeratur,
 abigere illam potius quam amplecti cupiant,
 ne maiora suorum porcorum patiantur de-
 trimenta. Eligunt potius legionem Demonũ,
 qui eos in eorum conscientia horrendè diue-
 xent, quam vt suum & sensuum de rebus di-
 uinis iudicium relinquunt. Quòd verò que-
 rit aliquo

De vera in-
 cena præsen-
 tia corporis
 Domini no-
 stri Iesu Chri-
 sti.

Matth; 8.

rit aliquoties à me Volanus, quæ sit vtilitas corporalis Christi Domini nostri in Euchari-
stia præsentia, quam ille non necessariam prorsus iudicat, diuinamque illam & spiritualẽ sufficere nobis arbitratur: gratificari illi seu potius nostris Catholicis volo, & de ea paucis differere, ac in eius suauitate contemplanda, ad piorum illum admirabilem erga eam affectum suspirans, demorari, eamque tanto firmiter si opus fuerit argumentis stabilire & communire.

Præsentie corporalis Domini nostri Iesu Christi. quæ sit vtilitas.

Præsentia corporalis Domini nostri Iesu Christi, Dei Creatoris ac Redemptoris nostri nihil potest suauius mens, sublimi fide imbuta, & feruenti erga Dominum suum charitate inflammata, cogitare: nihil maioris felicitatis loco ducere: nihil ardentiore desiderio exoptare. Insignis ille Beatissimi Apostoli Petri amor, quẽ Dominus ipse prædicat, & propter quem totius sui gregis curam illi tradendam non dubitauit, quid non fecit, ne vel unico temporis momento, à corporali Domini sui præsentia auelleretur. Iube me, inquit, ad te venire super aquas. At non satis est o Petre, reuelatam tibi à Patre, & ab illa præ-

Ioannis 21.
S. Petrus quã additus præsentia corporali.

Matt h: 14.

stāti fide tua concessam diuinitatis eius habere te
 re te praesentiam? an non ubiq; eum & semper
 per tecum esse credis? non tibi Magistri tui,
 toties perspectus & probatus amor & affectus
 erga te sufficit? Non, inquit, corpore etiam
 coniungi illi volo. At profundū maris
 impedit periculum. Desiderium, inquit, eius
 optatissimae praesentiae ad tantam ex-
 tollit fidem, vt credam, si ille iusserit etiam
 super aquas me ambulaturum. Non profunditas
 maris: non ventorum tempestas: non
 periculum vitae, feruorem illum extinxit:
 omnibus his superior, Domini audita voce ē
 nauī exilit, & ad illam aduolat praesentiam,
 quae illum iam iamq; fluctibus obsorbendum,
 porrectione & felicissima attrectatione dex-
 terae suae benedictae, à praesenti morte eripuit.
 Imperfectio haec, dicit fortassis, fuit Pe-
 tri amoris? imò verò maxima perfectio, quā
 tanto miraculo & amplexu Seruator Deus eius
 comprobauit. Eundem animi ardorem et
 desiderium alio quoq; loco declarauit, cum
 post Domini resurrectionem piscationi intē-
 tus, in littore Iesum suum indicante Ioanne &
 dicente: Dominus est, conspexisset: tarda illi
 nauigij

li nauigij vectura videbatur, arrepta veste, natando ac mortis discrimine contẽpto, ad corporalem Domini & Magistri sui præsentiam aduolauit. An & hoc imperfecti amoris signum? Minime. Feruorem enim illum tantæ charitatis in Petro, & laude & præmio quodam Dominus honorauit. Nam mox et illum ardentiore quàm alios erga se teneri charitate trina illa interrogatione testificatur: & summum illum totius Ecclesie data illi in æternũ Sacerdotij dignitate, Pontificem constituit.

Quid Magdalene illius à Domino ipso laudatum charitatis feruorem, quòd multum dilexerit, commemorem? quæ nec Angelorum aspectu, nec solatijs aut colloquio cohiberi lacrimas passa est, vt à corporali Domini sui præsentia quærenda desisteret. Quid mihi, inquit, cum Angelis, Dominum quæro Angelorum, vbi est positus, quis eum sustulit? Dicunt Angeli: Viuit & regnat Magister tuus in secula seculorum, quid quæris uiuentem cum mortuis: lætare & resurgenti gratulare.

Quid amplius ploras? at illa tanto vberiores fudit lacrimas. Oneri, inquit, mihi estis o Angeli non consolationi, cum præsentẽ Do-

S. Magdalenam quàm ad dicta præsentia.

Lucæ 7.

Ioann: 20.

minum meum non ostendatis, videre corpus eius quod vnxi, cupio, nulla me vestra solatia ab hoc desiderij tædio amouebunt. Vide charitatis illius mercedem. Apparet præsens Dominus discipulæ, eamq; alloquitur, & nunciæ suæ gloriæ ad discipulos præmittit. Quid in hac reprehendet Zinglianus? Inutilis fuit huic præsentia? Inanè illa premebatur tædio? At Dominus implens sanctissima eius desideria, tacite eius erga se collaudat charitatem: miratur tota Ecclesia, optat hanc sibi felicitatem, quicumq; suum amat Dominum.

Apostoli quæ præsentis corporali additi.

Ioann : 16.

Tam ægrè tulerunt Apostoli corporis illam Domini absentiam, vt hanc illis dare consolationem Christi charitas videatur coacta: Vadam, inquit, sed veniam ad vos, iterum videbitis me, & gaudebit cor vestrum. Nec dixit more Caluinistico: Sufficiet vobis fides in me, cum me cælos & terram diuinitate mea implentem, & sedentem ad dexteram Dei credideritis: sed veniam ad vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. impletumq; est quod dixit: Gauisi sunt enim discipuli viso Domino. Apostoli omnibus Patriarchis, iustis, & Regibus feliciores, ab ipso

Lucæ 10.

ab ipso Domino prædicantur. At vnde? an non ideo quòd viderint & præsentia corporis Christi Domini sui fruerentur: Beati, inquit, oculi qui vident quæ vos videtis. An nõ vidite eum fide Abraham, & præsentem eius diuinitatem veneratus est? Vidit, inquit Dominus, & gaudius est. Cur igitur non fuit æqualis cum Apostolis felicitatis? quia sciet corporea illa Domini caruit præsentia. Audetne, si hæc considerat aduersarius, quærere, quid fructus hæc nobis præsentia afferat? Videat & Simeonem, qui Patrum omnium videndi Christum in carne, votis ardentissimis suspirantiũ exemplo, senio iam confectus, summo præsentia Domini flagrabat studio, expectans consolationem Israel. Quale autem Spiritus sancti habebat responsum? Non illud quod iactant isti: Crede & manducasti: Crede & vidisti, imò & habuisti: sed illud potius. Non morieris, nisi videas lumen ad reuelationem gentium. Quod vbi impletum est, & illud infantile vidit corpusculum, reuixit spiritus eius, & renouata est vt aquilæ iuuentus ipsius, & tunc primum carmen cecinit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt.

Ioann: 8.

Apostoli cur Patriarchis feliciores.

Simeon præsentia corporali felix. Lucæ 2.

derunt oculi mei salutare tuum. Nec satis sibi ad gaudij perfectionem putauit credidisse, sed & illud maxime impletum gaudebat, in quo desiderij eius summa versabatur: quod presentem etiam contueretur Saluatorem.

Nec suffecit seni sensu oculorum vsurpasse, & animo veneratum fuisse, nisi etiam manu um complexu fouisset infantulum Deum, & ex eius contactu atq; osculis exsatiatus, & beatus effectus discessisset. Videmus quo erat iste erga corporalem Domini sui presentiam animo, quam isti, quia non amant, minime necessariam arbitratur. Audent insuper quod nobis eam eripiant contendere, & haec nostra votis Patrum similia, & ex eodem Spiritu profecta desideria extinguere, moliuntur.

Amantibus
absentia cor-
porali nil o/
diosius.

Quid tam inuisum & tantum tædij amanti- bus ingerens, atq; corporalis absentia amori summè inimica? Vnde etiam discessuri amici, cogente aliqua necessitate, enituntur quibus possunt modis cum ijs quos amant esse presentes, quod partim imaginibus, partim pignoribus, alijsq; id genus monumentis affectu qui se putant, nec tamen assequuntur. Non enim eorum amori tanta est adiuncta vis & potentia,

potentia, vt & discedant, & nihilominus præ
 sentes adsint illis quos vnice diligunt. Solius
 Christi Dei ac Domini nostri tanta virtute a-
 mor excellit: vt & ascendere in carne ad Pa-
 tris dexteram, & eiusdem carnis suæ præsen-
 tiam in Eucharistia diligētibus se relinquere
 potuerit. Cur lugemus mortuos, quos etiam
 quandoq; certissimo regnatos cum Chri-
 sto, ac æuo fruituros sempiterno credimus?
 Cur absentes amicos etiam si alibi felicissime
 vitam eos agere exploratum habeamus, præ-
 sentes adesse nobis cupimus? Non sufficebat
 Iacobo Patriarchæ vera filiorū relatione didi-
 cisse & credidisse, dilectissimū suū Iosephū,
 (quem vita functum ratus, ad illud vsq; tem-
 pus magna cū doloris significatione lugebat)
 viuere, nec tantū viuere, sed etiam in Ægy-
 pto regni gubernacula tenere: non dixit: hoc
 mihi satis est, benè valeat, ibidemq; regnet
 feliciter: sed potius verus & paternus ille a-
 mor hæc eum inclamare cōegit: Vadam & vi-
 debo eum antequam moriar. Cūq; iam cor-
 pore ipsius præsentia frueretur, in collum
 eius prolapsus, vberrimas profundēs lachry-
 mas: lam, inquit, lætus moriar quia vidi faci-

Christi potē-
 tissim⁹ amor

Iacob Patri-
 archa ad præ-
 sentiam filij
 quem dilexit
 properat.
 Genes: 35.
 46.

em tuam. Quis vnquam verè se diligere amicum affirmans, syncerè & sine fucò dicit ei absenti: summo te complector amore, nec vnquam in tui obliuionè venire possum, præsentia tamen tuæ nullo teneor desiderio. An non hoc esset fucati nec synceri amoris argumentum? Simili ratione candidè dicit ille, de eo à quo læsum se grauitè meminit: con- dono offensas ex animo, eumq; diligo: videre tamen illum nec volo, nec possum. Dicat hoc aduersarius vel vxori suæ, vel eis quos se amare putat, num iustam hypocritici animi reprehensionem effugiet? At quòd non audet dicere suæ vxori, quam iam tertiã conduxit, hoc audet Christo Deo suo (si tamen Deus eius est, cuius ita corporalem præsentiam persequitur) dicere: Diligo tuam diuinitatem, quam mihi semper esse præsentem non dubito, corporis autem tui præsentiam nihil est quod exoptem: sufficit quòd te corde & spiritu manducem. O singularem & tali homine dignũ in Deum amorem. Si & corpus vnã cum diuinitate præsens habere possum, quòd ille nunquã deponit, an non perfectius erit meum solatiũ? Non est ista vox sponsæ,

Si quis vult
vult vult

Si quis vult
vult vult
vult vult

Signum odij
præsentiam
nolle.

Sponsæ sed potius adulteræ, cuius est ad aliū translatus amor: & illorum, qui Regi suo in longinquam peregrè profectio regionē, missa post eum legatione dixerunt: Non amplius redeat ad nos, nolumus hunc regnare super nos. Idem isti dicunt: Quid nobis cū corporali eius præsentia, habitet in cælis veluti in ergastulo inclusus, vnum tantum exeundi tempus præscriptū habeat in iudicio sezt vltimo: Quid illis molesti attulit hæc præsentia? quare tantopere pro absentia depugnāt, quibus pro præsentia toto conatu contendendum esset si amarent. Mihi verò etiā si incerto polliceretur, mallem me vel sola spe præsentia huius solari, quā desperatione eius torqueri. Si præsentiam Christi etiā in signo & imagine diligimus, quare non eam veram diligamus? Quæ aliquis amat, facile sperat & credit. At quæ non amat, etiā si vera sint, sicut non optat, ita nec induci ad credendum facile potest. Signum est ergo amoris, facile hanc præsentiam credere, signum odij difficile credere. Si ad illam quæ in cælo est visibilis, tantis desiderijs suspiramus, quare ad eam quæ est sub velamine non obuijs vlnis excio

Lucæ 19.

Amor Christi
erga spon-
sam exigit
præsentiam.

piendam aduolamus? Quod si nos qui amamus minus perfectè, & quorum charitatis ignis multas habet aquas, quibus vis eius reprimatur, admixtas, adeo erga Christi corporalem præsentiam afficimur: ille qui in finem vsq; dilexit nos, nonne hoc cupiet, vt aliquo modo maneat nobiscum, corpore etiam, licet velatus in hoc tremendo mysterio: vt & de corporali præsentia verum sit quod dixit: *Ergo vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Quam etiã præsentia Ezechiel Propheeta prænuñciasse videtur, cum de Ecclesia ædificanda per Christum loquens diceret: *Nomen ciuitatis (hoc est Ecclesiæ) ex illa die (scilicet aduentus Christi, & ædificationis Ecclesiæ) Dominus ibidem.* Nec potest affirmari loqui Propheeta de sola præsentia protectionis, hoc enim modo semper adfuit Synagogæ, & iustis ab initio mundi. Significat ergo Propheeta, ex illa die, modo peculiari, insolito & legi Euangelicæ proprio incepisse Dominum esse ibidem, idq; vsq; ad consummationem seculi, alioquin non indidisset Ecclesiæ suæ hoc perpetuum cognomen, *Dominus ibidem.* Nec mysterio vacat, quod sicut Ezechiel Propheeta totã suam

Matth: vlti.

insubriq

si s A.

suam

suam Prophetiã clausit verbis illis: *Nomen Ciuitatis ex illa die Dominus ibidẽ.* Sic Christus apud Matthæum, suum Euangelium illa sententiã cõclusit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Si gloria Christi ascensionem ad Patris dexteram requirebat, charitas etiam vt maneret, ab eo flagitabat: vtrunq; præstitit sicut Sancti docent, potentissimus eius amor. Beati cum quibus est per gratiam, sed longè magis beati, cum quibus est & per corporalem præsentiam. Nam diuinitate illum esse vbiq;, nullum est singulare filiorum eius pignus. Diuinitas eius sèper est & vbiq;, implet cœlum & terram: corpus non semper nec vbiq;, quod tamen vbi est, sine diuinitate nusquam est. Stultè ergo aliquis querat: quis sit corporalis eius præsentia fructus, cū corpus illud diuinitate sit plenum, & per illud omnia diuina dona ad nos deriuetur. Est enim redemptionis nostræ gratiarum & beneficiorum promptuarium. In eo corpore, quoties illud præsens nobis adesse cogitamus, & firmissimè in Eucharistia credimus, numeramus vulnera & pro nobis susceptas plagas: osculamur cicatrices & loca clauorum, ac fer-

Ezech: vlti.

Fructus præsentia corporalis.

Ambr: in Rom: 2: mon: 2:

uentissima memoriq; mente passionis eius beneficentia renouamus dicentes: Dominus meus, & Deus meus. Ad spem, consolationem, fiduciam, & opitulationem certiore, rogabat Moyses non Angelum sibi ducem dari, sed Dominum Angelorū: *Sed nisi tu, inquit, precedas, ne educas nos de loco isto.* Propterea etiam Dauid de Christianorum spe ac certitudine, contra omnia aduersa, ex Christi Dei nostri in Sacramento praesentia & comunione Psalmum cecinit: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quem Psalmum vix vllum Patrum inuenias veterum, qui non fuerit de Eucharistia interpretatus, adeo vt in primitiua Ecclesia caneretur Psalmus iste, quando Catechumeni à Baptismo ad Altare deducebantur, vt est apud Ambrosium libro de his qui initiantur myster: cap: 8. Quanta verò armatura sit, Christi in Eucharistia praesentia, contra Demones & peccatū, Ambrosius his verbis explicuit: *Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum caelestis fulgore praesentia, intelligit locum tentamentis suis per Christum esse interclusum: fugiet, recedet, & tu noctem sine ulla offensione transibis.* Chrysostomus etiā: *Vbi sanguinem domini-*
cū Dæ*

Exod: 33.

Psalm: 22.

Ambrosi⁹ in
Psalm: 118: ser
mon: 9.

cum Demones viderint, protinus fugiunt, concurrunt autem Angeli, hic sanguis effusus omnem terrarum orbem alluit. Si figura ipseus tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in media Ægypto superliminaribus inunctis, quomodo veritatem ipsam Diabolus quæso non timuerit. Admiranda sanè Ecclesiæ mysteria, admirabile Sacramentum. Qui huius sanguinis sunt participes, cum Angelis & Archangelis & supernis Virtutibus commorantur, ipsam regiam Christi stolam induiti, spiritualibus armis muniti sed nihil dixi, imò ipsum induiti sunt Regem. Et alibi:

Quando corpus Christi tibi propositum fuerit, dic tecum: *Idem homil: 24. in 1. ad Corinth.*
 Propter hoc corpus nõ amplius cinis & terra ego sum. Propter hoc cælum, & quæ in eo sunt bona, me accepturum spero, immortalæ vitam, Angelorum sedem, Christi consuetudinem. Ipsa mensa animæ nostræ vis est, fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, vita nostra. Si hinc hoc Sacrificio muniti migrauerimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus undiq; contacti. Et quid futura commemoro, dum in hæc vita sumus, ut nobis terra cælum sit, facit hoc mysterium.

Hæc præsentia ad præcandum & sacrificia facienda collectos, stare cum tremore coram tanta cogit Maiestate: hæc nos facit in supplicando Deo attentos, in cultu & adoratione feruentes: hæc sursum corda ad tantæ gloriæ intuitum eleuare, & à terrenis rebus amouere, nobis suadet cū dicitur: Dominus adest, stete cum timore, adorare cum tremore. Hæc

re. Hæc præsentia exigit, vt nitidissima cordis nostri lintea ad illū recipiendum, & mundissimo loco collocandum, menteq̃ purissima complectendum præparemus: hæc tantas in deflendis peccatis piorū excitat lachrymas, & tot reductiones peccatis immerforū hominum operatur, cū ad hoc fumendum corpus accedunt. Hæc tot permouet Magdalenas, ad tantam eleemosynarum, in augendo cultu & honore diuino, largitatem: & tot opera grati erga eum animi, à quo sunt omnia perficit. Hæc in Zuinglianis murmura Iudæ proditoris suscitatur, vt dicant: Vt quid perditio hæc, conferri ista poterant pauperibus: quò collata in Christi præsentia honorē exipilent, & manibus sacrilegis diripiāt. Ad hæc præsentiam honorandam, tot Aulici & Milites Regis cœlorum numerantur: alij Hypodiaconi, alij Diaconi, Sacerdotes, Episcopi, & omnes sacri ordines vt castrorum acies ordinati. Hæc templum facit nobis cœlum & Angelorum diuersorium, qui nobiscū cōmunis Domini, communem adorationem exercentes, infinito nos recreant gaudio. Præclare *Chrisostomus* *Per id tempus, inquit, & Angeli sacerdoti*

gerdoti assident, & celestium potestatum vniuersus Ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorẽ qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cum diceret: senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, olim se tali visione dignũ habitũ à Deo esse: ac per illud quidem tempus, derepentẽ Angelorum multitudinẽ cõpexisse, (quatenus humanus ad spectus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorũ, altare ipsum circumdantiũ: deniq; sic capite inclinatorũ, vt si quis milites præsentẽ Rege stantes videat: id quod facile mihi ipse persuadeo. Itẽ & alius quidã mihi narrauit, non ille quidẽ ab alio eductus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset: quòd qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cõpura & munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrũ, hinc recta in cœlũ abducuntur. At ex aduerso absentia huius diuini

Sedebunt, (inquit Propheta, maledictionem
populi deflens & exaggerans) sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, sine Altari, & sine Ephot et sine Theraphim. Verè isti miseri Zuingliani

Chrysostr: lib: 4. de Sacerd.

Absentia corporis Christi in Zuinglianiis quid faciat.

Osee 3.

Sine Eucharistia & cœna illa Christi in qua erat præsens Christus.

gliani in sua cœna sunt sine Rege Christo Domino, eiusq; corporali præsentia, verè eiecit altaribus & mensa introducta, communem cum Iudæis maledictionem portare se declarantes, sine Sacrificio & sine altari sedent. Hæc absentia docet eos esse sine Spiritu Christi, sine insigni aliquo affectu præcipui in eum amoris. Hæc absentia, delubra eorum fecit Turcicis & Tartaricis Iudaicisq; similia, quisquis ea videt, mox in illam prorumpit vocem: Verè Christus non est in loco isto. Hæc facit, vt congregati non ad prece flectendum Deum, sed ad consultandum, vel scholarum exercitationes faciendas conuenisse videantur. Hæc facit, vt accessuri ad suum pistorium panem, nunquam etiam grauisima peccata deponant: nulla argumenta verè pœnitentiæ prodant: nullas carnis afflictiones & pias præparationes suscipiant. Hæc absentia facit, vt inter eos & in eorum delubris Spiritus beati nequam habitent, sed terribili Dæmones, quorum persuasione illa que ipsis terrorem iniungunt, abstulerunt, hoc est signa victoriosissimæ crucis, & imagines, reliquiasq; Sanctorum: in quibus exterminandis, vt & tota memoria

moria Christi passionis, ex mentibus hominū
 amoueatur, & nullam eis esse cum Sāctis Dei
 communionem appareat, plenam ac strenuā
 nauarunt & nauant operam. Hæc absentia fa-
 cit, vt semper inter se discordes, instar fami-
 liæ Domini sui præsentia carentis, tumultu-
 entur: & nullum vnquam ad tot, & semper
 noua inter eos surgētia schismata, afferri pos-
 se remedium, ipsimet agnoscant. Hæc absentia
 faciet, vt diuisi cito corruāt, & domus su-
 pra domum cadat. Nostra autem corporalis
 Domini & Dei nostri Christi incarnati verbi
 præsentia, in fide sancta Catholica firmas nos
 agere radices, & omnes impetus tentationum
 ac Sathanæ insultus, contra veritatem & per-
 manens in æternum eius verbum, excitari so-
 litos, superare: & in omnibus florere virtu-
 tibus, & per patientiam eos qui aberrant re-
 ducere iubebit. Non ergo querant quis sit
 huius præsentie corporalis fructus, nec in illā
 impiam vocem prorumpat Volanus: ¶ Cont
 uersationem suam nobiscum secundum car
 nem nihil profuturam pronunciauit, vt niū
 ad patrem abiret, ne Spiritum quidem san-
 ctum ad nos fuisse mittendum apertè denun-

Conuersatio
Christi nobis
secundum secundum
carnem.
salutem no-
stram opera-
ta est.

Ioann : 6.

Caro nō pro-
dest quicquā
quomodo ac-
cipiendum.

ciarit. ¶ Fingit dixisse hoc & pronunciaſſe
Dominum nostrum, conuersationem ipsius
secundum carnem nobis non posse prodesse.
Quid uiam nobis salutis, quid doctrinæ cele-
stis instituta, quid uirtutum exempla, quid
redemptionis totius opus peregit, nisi eius no-
biscum secundum carnē conuersatio? Quod
si dixit aliquando, caro non prodest quicquā,
utiq; non dixit, caro mea, nec conuersatio
mea uobiscum: sed caro non prodest, carna-
lis uidelicet sensus: uel, caro illa quæ esset si-
ne spiritu uiuificante, sine diuinitatis hypo-
stática unione. Qua de re alibi dictum est,
iuxta mentem sanctissimorum Patrum, cari-
nem scilicet spiritu & diuinitate uacua non
prodesse, nec uiuificare, nec alere quenquam
fidelium sine sui detrimento posse, cum hæc
omnia ab ipsa diuinitatis cōiunctione mutu-
etur. Carnalis etiā & Capharnaitarū de ea sen-
sus, qui eam sectioni, morti, & mactationi
subiectam cogitabant, non prodest. Quis ue-
rō nisi stultus & infidelis Dei carnem, & cor-
poralem Dei nobiscum conuersationem non
prodesse sentiat, cum illam, ut pote, fontem
omnium beneficiorum & gratiarum, atq; ipsi-
us diuinitatis ad uitam nobis æternam clar-

giendam instrumentum accommodatissimum,
 omni grati animi significatione & adoratio-
 ne prosequendam, fides & pius in Deum affe-
 ctus iudicet. Non hanc molestiam discipulis
 illa corporalis præsentia, toto Dominum su-
 um corde diligentibus attulit, quam affert in-
 stis Calvinistis, cum illis Gerasenis in expel-
 lendo Christo conspirantibus. Vtinam & illis
 visibilis qua ipsi fruebantur, etiã nos hoc
 tempore oblectatione gauderemus, cuius po-
 tiundæ desiderio animi nostri languescunt:
 exilium hoc patriæ, profecto & cœlestiũ do-
 miciliorum loco duceremus. Sed illam quidẽ
 visibilem præsentiam subtrahi a nobis oportebat,
 cum propter ipsius Christi gloriam &
 exaltationẽ, augustiusq; fidei nostræ meritũ
 & incrementũ, tũ vt de ininspectabili eius &
 cõmuni cum Patre & Spiritu S. diuinitate, sus-
 blimiores cogitationes suscipereamus, atq; per
 vicariã Spiritus S. operã, in cognoscenda ter-
 tia Trinitatis indiuiduæ persona lumen fidei
 copiosius haberemus. Ceterũ cu amator ho-
 minum aliũ suę nobis p̄sentie comunicandæ
 modũ reperisset (in mysterio scet) qui nec si-
 dem impedit, nec Spiritum Sanctum aufert,
 sed potius eum magis confirmat, & dona eius

Visibilis præ-
 sentia sublata
 & inuisibilis
 data.

multiplicat: quis eam præsentiam tam ingra-
 tus, & sine vlllo erga suum Dominum & Deū
 affectu repudiabit? quis non potius beatum
 se per illa prædicabit? Præsentia illius mo-
 dus, de quo dictum est: Me non semper habe-
 bitis vobiscum (egestati scet & oculis subie-
 ctum) in quo poterant Domino tanquam e-
 xuli & egeno propter nos, bene facere, non
 immerito est sublatus: alius autem in myste-
 rio à potentissimo eius amore, cuius deliciae
 sunt esse cum filijs hominū, est introductus:
 per quem illi arctissimè iungeremur, & Apo-
 stolorum illam felicitatem quodā modo at-
 tingeremus. Hic ergo quomodo nobis sum-
 mē gratus non erit? Ad eam nē nos Zuinglia-
 ni insaniam perducent, vt respuere talē præ-
 sentiam, & contemnere audeamus, cū nobis
 tam disertis verbis à Domino in cœnæ myste-
 rio inculcetur? Hoc illorū sit, qui non amant
 redemptorē suum & Deum nostrū. Nos ad
 eam, quæ in summæ erga nos charitatis mo-
 nimentū relinquitur, præsentiam confirmā-
 dam, & contra istas hereses, earumq; insultus
 propagandā retinendāq; firmiora, si opus est
 (libro enim priore satis hoc videmur præsti-
 tisse)

tisse) adhibeamus professionis, fidei, & gratitudinis nostræ argumenta.

Transubstantiatio Præsentie corporis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia, mirus est inexpugnabilis, quem in primis oppugnat Zuinglianicus furor, eo siquidem expugnato, facilem sibi ad totam victoriam aditum fore autumat: Argumento sunt Lutherani, Confessionistæ, & Brenciani: qui cum eripi sibi transubstantiationem dolis Bucernis patientur, atq; adeo muro hoc firmissimo destituantur, corporalem præsentiam Domini nostri in Eucharistia amittunt, nec tueri illam possunt, licet omnibus connixi viribus, pro ea se Zuinglianis opponant. Duos enim illis aditus sublata transubstantiatione ipsimet Lutherani relinquunt. Vnum, quod duræ adhærere Corpus Christi panis, vel esse cum pane, sub pane, vel in pane dicunt: descendere illud de cælo, locum mutare, & a cælo abesse, velint nolint fateantur necesse est. Tres enim sunt tantum modi, per quos incipit res esse ubi ante non erat, creatio, loci mutatio, & substantiæ vnus in alteram conuersio. Quartum addunt Calvinistæ & Volanus, præstiosum

Transubstantiatio mirus præsentie.

Lutherani præsentiam tueri non possunt.

Tres modi, per quos res incipit esse ubi non erat.

giosum quendam Sacramentalem, signati in signo: quasi res signata re ipsa sit in signo, & ibi incipiat esse vbi non erat. Verū quis hanc stulticiam compos mentis admiserit? Alterū est quod dum transubstantiationē reñciūt, figuratum in verbis Domini sermonē nequam quam subterfugere possint. Nam si panis nihilominus sit de quo dicitur: Hoc est corpus meum: etiam si sub illo, vel cū illo pane præsens corpus Christi ab eis statuatur: si substantia panis manet integra nec mutata, tropicæ dictioni locus, rimaq; Zuinglianis relinquitur. Serpens iste nisi caput habeat contritum, & omnis illi ad figuras aditus præcludatur, quacunq; parte eius corporis lacerata, viuet adhuc. Sola Confessio Catholica, que in verborū Christi simplicitate, Hoc est corpus meum, substantiæ panis & vini mutationem agnoscit & tuetur, caput huius virulenti serpentis conterit. Cū vrgent Lutherani: est præsens nobis Christi corpus, quod detur nobis ad manducandum, viuit adhuc serpens: fatentur enim Zuingliani esse præsens, sed spiritualiter per fidem, & per figuratos sensus eludunt omnes Luheranicos ictus. At cū

nos audi

Figuras non
possunt su-
gere Lutera-
ni sine Tran-
substantiatiōe.

Introduci
non possunt
ad figuratiōem
panis

liberum est
per dicitur
vbi non est
liberum est

misloig

nos addimus, est præsens propter mutationē
substantiæ panis, caput huius serpentis feri-
mus, & lethale illi vulnus infligimus. Pro-
pterea infelix Volanus in transubstantiatio-
nem in singulis ferè chartis insurgit. Nullo e-
nim telo cum suo Berengario acrius & citius
confoditur. Acuamus illud si opus est, & tan-
tò fortius idem huic virulento callidi serpen-
tis capiti, impingamus. Pleno libro ante pro-
bauimus, in asserenda transubstantiatione,
Catholicos duci apertissimo & clarissimo
Christi Dei nostri verbo, per quod facta sūt
omnia: diuinitatis eius omnipotentia: bene-
dictionis diuinæ quæ res immutat virtute:
Præconum Christi & Doctorum Ecclesiæ pre-
dicatione: Conciliorum totius orbis Catho-
lici decretis: deniq; non interrupta, & ad no-
stra vsq; tempora per omnes ætates huius do-
gmatis in Ecclesia possessione. Repetenda illa
non sunt sed firmanda, si quid nouum dolus
Aduersariorum attulit, vnde aliqua debili-
tas timeretur.

A primo incipiamus. Non potest vllum a-
pertius verbum etiam ab aduersarijs excogi-
tari, per quod Christus mentem suam decla-

Expressum
Dei verbum.

rare potuisset simplicius, quid nam in hac di-
uina sua coena traderet discipulis, et nobis om-
nibus relinqueret, quam quo usus est: dixit:
Hoc est corpus meum, quod pro vobis trade-
tur: corpus esse oportet, non figuram corpo-
ris. Cum porro accidentia panis maneant: ni-
si substantiæ mutatio sit in pane, nunquam
erit verum quod dicit Dominus: hoc est cor-
pus meum. (Nam figurarū nuge illæ sunt iam
explosæ, & Saluator omnē eis aditum præclu-
sit cum non diceret: Panis est corpus meum,
sed: Hoc est corpus meum, vt disparatæ lo-
cutionis & omnium figurarum suspicio amo-
ueretur) si autem verum non dixit veritas:
si seduxit nos Deus noster, frustra in eum cre-
didimus. Sed absit: Veritas est, mentiri non
potest: Via est, aberrare duce illo non possu-
mus. Omnipotēs deniq; Deus est, facere quic-
quid vult potest. Omnia quæcunq; voluit Do-
minus fecit. Voluisse illum nec aduersarius
negat dicens: Quod verbis effert, re ipsa præ-
stat nec vanis Apostolos ludificatur promissis.
Fecit ergo suum nobis ex substantia pan-
nis corpus. Idem est enim apud Deum velle
et posse, dicere & operari. Viuis est enim ser-

Voluntas &
omnipotens
facientis.

mo Dei

mo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. Dixit mortuæ puellæ, & adolescenti, surge & surrexit: leproso, mundare, & statim mundata est lepra eius. Dixit hoc est corpus meum, & factum est, fitq; semper quod dicit. Aduersarius intulit: Illic est, inquit, præceptius sermo Dei: Adolescens tibi dico surge. Itemq; ibi: Mundare, &c. hic verò enūciatius: Hoc est corpus meum: proinde nō sunt similes dicendi modi. Sed quæro ab illo, cum Dominus Magdalenæ loquitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Hebræ: 4.

Lucæ 7.

Et iterum: Remittuntur tibi peccata tua, & paralytico cum dicit: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua: præceptiusne est sermo an enūciatius? enūciatius certè. an nō ergo remissa sunt illis peccata, nec verborum consecutus est effectus? Quis ita mentiatur? In Chana quoq; Galileæ ad mutandum ex aqua vinum, nullum fuit præceptum, sola diuina voluntas tam admirandam attulit mutationē. Siue ergo Deus præcipiat vt fiat quod ille vult, siue fieri, vel facta esse, aut ita esse enunciet: semper verum est quod dicit, quia omnia potest, & verbo ipso ac voluntate so-

Matth: 9.

Præcipere & enunciare quod ita sit, eiusdē est potentie in Deo

Propter ma-
nentia acci-
dentia, impi-
um est substā-
tiae mutatio-
nem negare.

Ita facit quod vult. Nā de illa locutione: Ego sum lux mundi, cum disparatorum sit, iam est dictum, nulla eam similitudine cum hac nostra, Hoc est corpus meum, conuenire. Illas verò falso nimium, & cum summa diuine potentiae & fidei nostrae contumelia, iactitat argutias. Non sunt mutata accidentia panis, ergo neque substantia. In quo ergo iustificabitur Deus, vt verum sit quod dicitur: an figurae quae nihil habent veritatis, sed vmbrae aliquid & similitudinis, eum iustificabunt? An à sensibus in quos accidentia inuolant, hoc Epicureum & Atheisticum firmum erit argumentum? Nullam video panis mutationem, ergo nulla facta est, etiam si Deus dicat: Absit. Summa enim est, & in Dei veritatem, & in potentiam eius blasphemia. Nos æquius, & pro Christi veritate, & pro eius omnipotentia, pro fide item quae est non apparentiū, & pro ratione Sacramenti, in quo aliud cernitur, aliud creditur, contra sensus argumentamur. Non sunt mutata accidentia: ergo mutata est substantia panis, vt stet Christi æternum verbum: Hoc est corpus meum. Stat & stabit, impij autem peribunt.

Vis poro

Vis benedicti
onis diuinæ.Benedictio
panis cōstrin
git aduersarij
os.

Matth: 14.

Marci 6.

Lucæ 9.

Matth: 26.

Marci 14.

Vis porro benedictionis, qua Christus ac-
ceptum panem benedixit & mutauit, permul-
tum constringit aduersarium, & nunc huc
nunc illuc versantem se, ad tollenda etiã ver-
ba Euāgelij: si id fieri posset, compellit. Adeo
transubstantiationis, hoc est diuinæ veritatis
hosti vox ista: Benedixit panem, displicet:
vt sit ausus dicere panes, illos quinque, quibus
totidem millia hominum satiata sunt, non fu-
isse à Christo benedictos, in ipsoq; Euange-
lio id nō recēseri. Si D. Ioānis verba spectauit,
credere debebat prætermisisse D. Ioannem
verbum illud benedixit, etiamsi à Christo
prolatum fuerit, vel in illo, Gratias egit, in-
clusisse: negare autem panes illos fuisse à Do-
mino benedictos, quos tres alij Euangelistæ
etiam cum oculorum in cœlum eleuatione,
Dominum benedixisse affirmant: eius est E-
uangelici, qui ipsum abnegat Euangelium.
An forsitan inde Euangelicus esse & dici cu-
pit Volanus? Porro in consecratione diuinæ
Eucharistiæ quod vnus dixerit Euangelista,
accepto pane gratias egit, alij vero duo: Ac-
cepit panem Iesus & benedixit, scriptum re-
liquerint, vult aduersarius, vt benedictio à

- Justin: Apol: duobus posita, in gratiarum actionem ab v
 2. pro Chri- no positam transeat. Non est ita. Sed potius
 ftiatis. apud D. Lucam gratiarum actio benedictio
 Irenæus lib: nem etiam includit. Hinc Patres Iustinus &
 4. cap: 34. nem etiam includit. Hinc Patres Iustinus &
 Irenæus, sanctam Eucharistiã vocant, cibum,
 vt ita dicamus, Eucharizatum, hoc est per
 gratiarum actionem benedictum, vt non so-
 lum benedictio panem ipsum afficere, sed &
 ipsa gratiarum actio declaretur. Quod & illa
 1. Cor: 10. Apostolica verba confirmant: Calix benedi-
 ctionis quem benedicimus, vel cui benedici-
 mus, nonne communicatio sanguinis Chri-
 sti est: vbi planissimè vis benedictiõis à Chri-
 sti verbis accepta, supra panem & calicẽ fieri
 solita demõstratur. Quid de sanctis Patribus
 dicemus. longa serie antea recensitis, qui be-
 nedictione Christi mutari panem prædicant.
 D. Ambrosi: Alter docet: Non est in Eucharistia quod na-
 lib: de his qui tura formauit, sed quod benedictio consecra-
 inician: ca: 9. uit: & maior vis est benedictionis quàm na-
 D. Augusti. turæ. Alter itidem promulgat: Ante conse-
 crationem panis est & vinum, quod natura
 formauit, post consecrationem caro & san-
 guis est Christi, quod benedictio consecra-
 uit. Non est afferre necesse exempla, ex diuini
 niscri

nis scripturis, semper insignem & admirandam mutationem esse consecutam, ybicunq; vel cuicunq; Dominus benedixisset. An frustra tāti numinis adhiberetur operatio? Hoc ergo vrgemus, hoc telum in Calvinistas, omnia eorum arma penetrans vibramus: fieri non posse, vt post susceptā Dei benedictionē, creatura non alium statum acquirat, nec mutetur in melius: neq; diuine benedictionis magnificentiā cum potētiae eius magnitudine frustra creaturis adhiberi posse, sed id operari quod ipsa velit, & quod tantae conueniat potentiae. Ita à Deo benedictū humanum genus legimus, cum illi donaretur vis sui propagandi: Ita sanctissima Virgo ab Angelo benedicta dicitur, cum foecunditatem vteri à Spiritu sancto acciperet. Sic benedicuntur panes & piscēs dum multiplicantur. Hoc etiā planū est ex contraria voce (maledicere Deum) quae effectum habet in creaturis. Maledictus est serpens, & mutatur in peius: Maledicta foemina, & parit in dolore: maledicta terra, & res noxias homini producit: Maledictus Cain, & profugus est super terram: Maledicta filius, & exaruit. Cum igitur tā studiosē à di-

Benedictio
Dei operatur
in creaturis
mutationē.

Genesi 1.

Luce 1.

Marci 8.

Genesi 3.

Genesi 4.

Matth. 23.

obus E

Beza in Esu-
sium & in se-
cunda æditi-
one Noui Te-
stamenti,

Sacramenta-
lis mutatio
Caluiniana
qualis,

obus Euangelistis inculcetur, Christum bene-
dixisse panem & vinum, certè hæc elementa
summa aliqua in melius mutatione, per potē-
tissimum Dei verbum affecta esse perspicuū
est. At non secundum accidentia, ergo secū-
dum substantiam. A coniectura, inquit Vola-
nus, hoc ductum est argumentum. sczt ita il-
los torqueret, vt vi illius, tanquam illustris
veritatis robore coacti, mutationem tandem
in elementis agnoscere cogantur, & Volani
Magistri concedant. Sed quali impostura id
faciant, spectemus & caueamus. Agnoscimus
inquiunt, benedictionem diuinam operari
mutationem in pane, sed Sacramentalem.
Quæ nam est ista? Panis qui non significabat
corpus Christi, conditionem mutat, & ad ma-
iorem dignitatem promouetur, vt iam signi-
ficet & signet corpus Christi. Habemus libē-
ter mutationem panis eos concessisse. Nunc
modum eius inuestigemus, quid isti dicant,
& quid nos Catholici fateamur. Si mutatio-
nem agnoscimus qualē agnoscere debemus,
eamne quam Dei voluntas, quam vis diuine
benedictionis requirit, quam potentissimum
eius verbum exigit, quam infallibilis Dei ve-
ritas fla-

ritas flagitat, quam Doctores & S. Concilia promulgant: an eam potius quam homo cōfingit, & inducit? Cū itaq; Deus dicat: Hoc est corpus meum, qualem vult afferre & operari mutationem? eam procul dubio, quā vult dicens: Hoc est corpus meum. Si voluisset significatiuam mutationem inferre, nūquid ita dixisset? an non potius protulisset: Panis iste significat corpus meum? Quid porro in tali eorum mutatione, benedictio diuina habebit singulare & nouum? An non talem mutationem facit agricola, cū translato lapide assignat agrorum terminos, vt lapis qui ante non significabat, iam mutatus significet. An talis mutatio potentissimo Christi verbo tribuenda est? an talem eius immutabilis veritas requirit? quid in tali mutatione miraculi? quid veri? quid Deo digni operis? Abeant igitur cum tali mutatione, paruulorum sagittæ sint plagæ eorum. Nam & ipsi, has discernere possunt nugationes. Talis mutatio hic confitenda est & credenda, qualem esse Deus dixit, non qualem Caluinus finxit: quæ Dei potentiam declarat, non quæ humanæ coæquetur: quæ benedictionem di-

Talis mutatio agnoscenda qualem requirit Dei benedictio, potentissimumq; Dei verbum.

Ja.

uinam facit admirabilem, non quæ illam cō-
temptui exponit, & nihil eā diuini & magni
afferre criminatur. Digredi me hic paululū
cogit aduersarius, oportuna tamen dicam.

Benedictio-
nē per signū
crucis carpit
aduersarius.

¶ Scarga, inquit, cum tota sua cohorte bene-
dictionem signo crucis semper exprimit, ni-
misq; suauiter in vano cōmento delirat, hoc
“ quasi exorcismo se transubstantiationem no-
“ bis approbaturum stultē putauit. Ego ad-
res benedicēdas, meq; ipsum muniendū, vbiq;
signum crucis adhibeo. Signum Domini mei
Iudæis quidem & Zuinglianis scandalum, Gē-
tibus stulticiam: nobis autem qui Christiani
sumus, dei virtutem. Ego Christianus sum,
& signum Christiani hominis, ac sanctū meæ
confessionis symbolum, quo à Gentilibus &
Caluinistis discernor, supra frontem meam
positum, nec vnquam deletum, nec Dei be-
neficio delendum, libenter gero & gerā, ac il-
lud vbiq; adhibebo, nec delirare me puto: sed
suauiter in omnibus & semper, Christi Do-
mini mei passionis, & eius virtutis, per quam
in cruce restaurata sunt omnia, recordari.
Ita sum factus Christianus: ita à parentibus
edoctus: hoc Apostolorum reliquit traditio-

Signum cru-
cis Christia-
nis propriū:

filium

filium me Apostolicæ Ecclesiæ negare non possum. Hoc signum crucis ponendum vbiq; & in frontibus, & in omnibus actionibus nostris, & in Ecclesiæ omnibus ministerijs & Sacramentis, docuere Apostoli, sicut tradit antiquissimus Tertulianus, Basilus Magnus, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, & alij permulti toto orbe celebratissimi Patres.

D. Augustini verba sunt: *Quid est quod omnes no- uerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aqua qua re- generantur, siue oleo quo Chrismate unguuntur, siue sacrificio quo aluntur: nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id, quod mali faciunt, nihil boni significatur: quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorū eius, bonū nobis omne signatur? Et alibi: Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, inicianur etiam Presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunq; sanctificantur hoc signo Dominica crucis, cum inuocatione Christi nominis consecrantur. Hæc ab Augustino & alijs sanctis Patribus ex Apostolica traditione didicimus. Volanus verò suauiter nos delirare in exprimendo signo crucis dicit. At eum non suauiter, sed horrendè in Machometismo & Sathanæ societate odioq; crucis Christi, Dei nostri delirare, atq; signum crucis,*

Tertuli: libr: de corona militis.
Basilus libr: de Spiritu S. cap: 27.
Cypria: libr: 4. epist: 9.
August: lib: de Cathed: rudi: cap: 20.
Chrysof: ho mil: 55. in Matth.
August: in Euang: Ioann: tractat: 118.
Idē in serm: 181. de tēpo.

Oratione 1.
in Iulian.

Amor Zuin-
ghianorum
erga Christi.

quondã eius fronti à Catholicis impressum,
ne fidelis sit ampliùs detestari, meritò aliquis
affirmauerit, & ego doleo. Gregorius enim
Nazianzenus de Iuliano Apostata scribit: ma-
lis Spiritibus nihil esse hoc signo odiosius, &
maleficos societate cum Dæmonibus coniū-
ctos, ita cum Apostata illo conuenisse, ne hoc
signum crucis pro more suo, quem Christia-
nus didicerat, eo tempore quo Dæmones cõ-
uocarētur, vsurparet. Territus ille spectris ad
hoc signum confugit, fronti illud & pectori
infigens, & subitò disparentibus Dæmonijs
metu illo liberatur. Est ergo verisimile Vo-
lanum & suos conuenisse cum malignis Spiri-
tibus, de signo crucis prorsus auferendo: ne
amicis qui eo terrentur fiat molestus. Tan-
to erga Christum amore isti ducuntur, vt nec
imaginem eius, nec signum vllum, & conspic-
uam memoriam perferant: adeò passione
Christi delectantur, vt cū per oculos eis obli-
uiosis, ac aliud agentibus ingeritur & incul-
catur, hoc illis afferat tormentum. Adeò glo-
ria Christi permouentur, vt vexillum trium-
phi eius vndiq; submoueant, vt contra illud
arma sumant. Adeò cõfessione passionis Chri-
sti, quam

fti, quam toti orbi notissimam esse oportet :
qua se Christianos illi declarare debent, de-
lectantur : vt eam extinctã vbiq; esse velint,
cũ Christi crucem ex suis domibus & Syna-
gogis exterminatam velint, ne quisquam eos
esse Christianos agnoscat. Nõ sint ergo Chri-
stiani, quandoquidem tales haberi volunt.

Nobis autem non audeant insultare, qui A-
postolica sequimur instituta, & ad reuocan-
dam vbiq; Christi nostri memoriam, nosq;
in eius beneficij recordatione, ad peccatorum
concipiendam detestationem excitandos, v-
biq; signum crucis adhibemus. Valeant illi,
Angelorum religione, iuxta Apostolũ Pau-
lum inflati, qua se nullo signo & adminiculo
exteriori ad memoriam rerum diuinarum, in-
digere iactant : nos homines cũ simus, ho-
mines nos esse fatemur : & iuvandæ in tot oc-
cupationibus memoriæ causa hisce remedijs
indigere agnoscimus. Christi etiam exem-
plo, materiam Eucharistię benedicere nos &
consecrare, libenter prædicamus. Calviniste
non benedicunt nec consecrant, sed textum
solum & hystoricè Euangelium recitant, &
ita conficere se Sacramentum arbitrantur.

Calvinistæ
nunquam cõ-
secrãt, sed nec
possunt laici-
corum Mini-
stris.

Dd iij

Quare

Quare idem in Baptismo non faciunt? cur illa verba adhibent: Ego te baptizo? Quare recitatio Euangelij simplex, Baptizando non sufficit, sicut in Eucharistia illam sufficere opinantur? Fatetur D. Augustinus, sine benedictione & consecratione, panem in Eucharistia, corporis esse alimentum, non Sacramentum: *Panis, inquit, noster & calix, certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Quapropter, quod ita non fit, licet panis & calix sit, alimentum est refectiois, non Sacramentum religionis.* Idem docet Ambrosius, vt supra docuimus. Sed quid curat istos Volanus, qui Euangelium ipsum, quod benedixisse se Christum panem aperte proclamat, contemnit.

Libri 2. con:
Fauftu ca: 13.

Requirebat propositi nostri ratio, vt Patrum & Sanctorum pro transubstantiatione sententias afferremus: sed vtilius videtur eas ad caput sequens, in quo imposturas istorum circa verba & dicta SS. Doctorum detegimus, differre. Hoc loco satis erit, Conciliorum testimonia posuisse, & aduersariorum rationes & nouas argutias refutasse. Preter Verocelen. Turonen., & tria Romana Concilia, Zuinglianis omnibus infesta, quibus est Berengari

Doctorem sententiam pro transubstantiatione.

Tria Concilia pro Transubstantiatione.

berengarius condemnatus, & in quibus ipse formula sibi præscripta ore suo, impiam contra transubstantiationem, hæresim suam reuocauit, & seipsum omnesque suos damnauit: hoc fulmen in capita Zuinglianorum, quod à summa Maiestate Spiritus sancti, & totius orbis Episcoporum in Concilio Magno Lateranensi fabricatum est, conicitur: Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse Sacerdos & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini, veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina: ut ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique Sacramentum, nemo potest conficere, nisi Sacerdos fuerit rite ordinatus, secundum clauis Ecclesie, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus. Hæc non vnus & alter fulminat, sed Spiritus sanctus in ore omnium Pastorum & Doctorum, quos tunc Catholicus habuit orbis, omnes mille ducenti octoginta quinque, Græci & Latini, & omnium nationum Episcopi. Hæc est vox illa: Visum est Spiritui Sancto & Nobis. Quo abdet caput Volanus: Fatetur triumphum, victum se agnoscit. Maior pars, inquit, superauit meliorem: Romana Ecclesia Berengarium deuicit.

Concilium Lateranense. Titulo de summa Trinitate: ca: firmiter.

Ecclesia & magna & victoriosa.

deuicit. Benè sanè res habet, si fuit pars maior florentis per totum orbem Ecclesiæ, fuit & melior, quia vicit. Veræ siquidem Ecclesiæ est proprium, vt & magna sit & vincat. vinci enim & cadere, domus illa quam optimus œconomus Deus ipse, & non homo, supra firmam extruxit petram, non potest: turguriola autem mendaciorum in arena ædificata, quàm multa & quàm citò perijsse numeramus & gaudemus?

Concil: Florenti: in decreto vnionis,

Concil. Tridenti: sess: 13. cap: 4.

Aduertat & aliud Florentini œcumenici Concilij, vnà cum Græcis celebrati, contra se vibratum fulmen. *Forma, inquit, huius Sacramenti Eucharistiæ, sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Et aliud vniuersalis itidē Constantinensis, quo Viclefus, substantiam panis materialis & vini, post consecrationem, in Sacramento altaris remanere affirmans, condemnatur. Vltimum verò Tridentinum nostrum, eadem veritate & authoritate, contra omnes Zuinglianos intonat: Quoniam Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebatur, verè esse dixit: ideo persuasū semper in Ecclesia, Dei fuit, idq̄ nūc denuo sancta Synodus declarat: per consecrationem*

tionem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiae panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini, in substantiam sanguinis eius. Quae conuersio conuenienter & proprie à S. Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata. Haec non vnus priuatus Caluinus, non vnus angularis Volanus, sed totius Ecclesiae capita, illa Apostolica auctoritate, quae à Spiritu sancto congregatis, assistit, & ex qua, vti dixi, illa vox insonat: Visum est Spiritui sancto & Nobis, promulgat, declarant, & veri Doctores totius orbis docent. Quod iam antrum ad caput abdendum, vt tanti fulminis ictum effugiat, inueniet Volanus? Sed iam ratiunculas eius, si quas à suis Magistris nouas corrasit & conquisiuit, dispiciamus. Post consecrationem, panem vocari ab Apostolo Christi corpus obicit. Quid mirum? cum & species remaneant panis, & nomina earum rerum, ex quibus aliquid est factum seu immutatum, ipsi in quas mutatio facta est, tribui rebus, in sacra scriptura compertum sit. Ita enim Adam terra seu cinis: Eua os seu costa: serpens virga: & vinum aqua appellatur. Et caeci videre: claudi ambulare: meretrices ad Regnum Dei praecedere dicuntur: non quod tum sint meretri-

I. Ratio aduersariorum, con: transubstantiatione.

La

ces, cæci aut claudi, sed quod ante huiusmodi defectibus fuerint obnoxij. Imò Philosophi probatissimi, verè affirmant corpora mista, ex quatuor elementis constare: cum tamen non substantiæ ipsæ elementorum, sed virtutes tantum & accidentia illorum, (iuxta eorundem sententiam) in mistis remaneant. Aptissimè præterea obseruatum est, Apostolum Paulum non simpliciter, sed cum adiectione pronominis, Hunc, vocare post consecrationem panem, ipsum Christi corpus, vt non communem & pistorium, sed cœlestem & supra substantialem panem & alimoniam esse Christi corpus, doceret. Quod Sancti aduerterunt diligentissimè, & hæc tela hæreticorum præuiderunt. D. Augustinus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolymit: Nisenus, & alij, à quorum ponendis verbis studio nunc abstinere. Porro quod obijciunt aduersarij de Genimine vitis in calice: vt ideo ibi non sanguinem, sed nudum vinum fuisse concludant: Idem habeant responsum Sanguinem Christi genimè vitis dici, quod ex vini permutatione sit factus, & species vini retineat. Nec minus aptè respondemus: cum dicimus Dominum de

August: serm:

28. de ver. D.

Ambr: 5. de

Sacram: c. 3.

Cyrl: Cath:

5.

Nisen: de o-

rat: Domini.

II. Ratio.

num de alio prorsus poculo, non de Sacramē
 tali, verba illa pronunciaſſe: Non bibam de
 genimine vitis, ſczt de typico, in quo merum
 erat vinum, quod Eucharistiæ institutionē
 vnā cum Agno Paſchali præceſſerat. Nam &
 ſi D. Matthæus & Marcus, verba illa poſt po
 fuerint: D. tamen Lucas diſtinctè ea, & ante
 Eucharistiæ institutionem ponit: vt calicem
 quendam diuerſum ab illo, in quo poſtea ſan
 guis Chriſti bibebatur, accepiffe Chriſtum,
 de quo verba illa dicta ſunt: Non bibam de
 generatione vitis, ostendat. Fuiſſe enim du
as actiones à Chriſto in mēſa illa celebratas:
 alteram Moſaicam Paſchatis: alteram hanc
 noſtram Eucharisticam, in qua Regnum Dei
 & nouum Teſtamentū, noua item ſanguinis,
 non vini potio et oblatio ſumebat exordium,
 non eſt quod dubitemus. Adde etiam quod
 ſicuti in principio cœnæ typicæ, antequam
 ad conſecrationem corporis ventum eſſet di
 xit, iuxta Lucam de cibo: *Ex hoc non manduca*
bo illud, donec impleatur in regno Dei. Sic etiam iux
 ta eundem Euangelistam, ante conſecratio
 nem ſanguinis de potu dixit: *Non bibam de ge*
neratione vitis, &c. Poſt hæc autem omnia idem

Evangelista consecrationem corporis & sanguinis exactissimè narrat, nulla prædictorū verborum facta mentione, sicut nec Paulus fecit, qui in tota illa sacra actione describenda, Lucam sequutus est. Cū igitur certum sit, Christum non repetiuisse bis verba illa: *Non bibam à modo*, sicut nec repetiuit illa: *Non manducabo illud.* evidens etiam est Christū non de calice consecrato, sed de communi, illa verba protulisse: *Non bibam, &c.* Eligat ergo quā velit aduersarius solutionem, & veritati transubstantiationis non detrahat. Porro in verbis Apostoli: *Panis quem frangimus, nonnō cōmunicatio corporis Christi est: fractio nis nomen ad totam actionem Eucharisticā refertur, quæ in scriptura fractionis appellationem habet familiarem.* Perseuerabant in communicatione fractionis panis, inquit D. Lucas. Et iterum: *Vna Sabbatorum cū cōuenissemus ad frangendum panem, quasi diceret Apostolus: In cœna communicamus corpori Christi, et ipsū Christi sumimus corpus.*

III. Ratio.

Actorum 1.
& 20. & 2.

IIII. Ratio.

Cū verò dicit: *Omnes vnus panis sumus qui de vno pane participamus,* apertè ostendit panis voce non simplicem, sed celestem panem

panem, & ipsum Christi corpus se intellexisse. Quomodo enim fideles omnes per totum diffusum orbem, unum naturalem panem manducabunt? An non alius panis pistus comeditur in Asia: alius in Africa: alius in Europa: denique in singulis Regnis & Familijs alius? quomodo ergo verum erit unum nos omnes manducare panem, & unum effici panem? per solam scilicet veri & naturalis corporis Christi manducationem. Illud enim omnes & integre sumunt, non aliud iste, & ille aliud: quod fit sine consumptione & diminutione ipsius Domini corporis, quae manducatio facit nos unum esse cum Christo, ut ipse dixit: Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in eo.

Alia Calvinisticae apud Volanum ratio, à natura accidentium deducta, fidem nostram non expugnabunt. Manere accidentia sine propria substantia non posse, si naturae ordinem spectemus, libenter concedimus: Dei autem, qui author est naturae, voluntate & potentia, per se subsistere illa confitemur, ut velatum Christi Domini corpus sub eis habeamus, Nam apertum habere, nec ratio Sacramenti

V. Ratio à natura accidentium.

Accidentia manent sine propria substantia.

cramenti, nec fidei nostræ meritum, nec peregrinationis huius tempus, nec fragilitatis humanæ conditio, permittit. Possit vniuersitatis totius Dominū accidentia nuda, amoto vel mutato proprio subiecto conseruare: non modo Christianus credit, sed & Philosophi quidam Gentilium, licet per errorem, hoc ita esse in ipso nature cursu arbitrati sūt. Platonici enim qualitates esse sine substantijs in rerum natura credebant. Anaxagoras, contra quem disputat Aristoteles, distrahi posse accidentia à suis subiectis professus est. Auicembra idem aperte docuit. Istis eorum discipuli crediderunt: nos Christo, qui est ipsa veritas, & Deus noster non credemus? Et illi quidem cæci, cæcos sequuti sunt duces: nos viam nostram & veritatem, quæ Christus est sequuti quomodo aberrabimus? Ille dixit accepto pane: Hoc est corpus meum. Si Volanus non credit Christo: credat Platoni & Anaxagoræ. Sit hæreticus sine salutis periculo in Philosophia, vt sit Christianus in fide. Si Aristoteles Christum Deum esse credidisset, & accepto pane ita eum dicentem audisset: Hoc est corpus meum, nihil prorsus hæsitasset, sed

Philosophi
quidam senserunt
accidentia posse per
se subsistere,

set, sed Dominum naturæ posse leges eiusdē
 immutare, certò apud se statuisset. At pro-
 fert adhuc ex thesauro Zuinglianico alia se-
 creta: Hoc, inquit, summū est argumētū ac-
 cidentia in Eucharistia non esse nuda, sed pro-
 pria prædita substantia: eo quod nutriāt cor-
 pora, & putrefacta, producāt vermes: quod
 non nisi substantiæ tribui potest. In hac ar-
 gumentatione, putat multum situm esse ro-
 boris. At hæret in tela aranei hæc musca, pro-
 pter hanc leuem coniecturam: non cogitat es-
 odem Dei miraculo, quo per se subsistunt il-
 la accidentia, omnem etiam panis effectum
 eadem operari, ne quid ad Sacramenti analo-
 giam, de qua isti adeò sunt solliciti, desideren-
 tur. Dicunt naturæ indagatores, esse & ope-
 rari semper inter se coniunctionem et cogna-
 tionem habere. Si esse est supra naturā, & o-
 peratio eiusdem ordinis sit oportet. Si ergo
 in accidentibus aliquæ sunt operationes pa-
 nis, hoc ab illo primo miraculo deriuatur:
 quod qui credit, iam cætera quæ inde conse-
 quuntur facilè admittet. Simile opus diuinæ
 potentiæ fuit Manna, huius nostri Sacramē-
 ti figura, instar niuis (quæ certè non nutrit)

VI. Ratio ad-
 uersa.

De corrupti-
 one acciden-
 tium.

VI. Ratio

Manna habu-
 it in se quædā
 accidentia, si-
 ne earum sub-
 stantijs.

ad Solis

ad Solis ortum liquefactum peribat : & tamē
 alimentum corporibus præbebat : imò omni
 um saporum, qui cibis alijs inerant, licet sub-
 stantiam eorum in se non haberet, suauitatē
 retinebat : accidentales proprietates ciborū
 absq; illorum proprijs substātijs continebat :
 saporem carnis sine carne, & auium, & qua-
 rumcunq; rerum, sine ipsarum rerum substā-
 tijs. Angelorum, inquit, esca nutriuisti popu-
 lum tuum, & paratum panem de cœlo præsti-
 tisti eis sine labore, omne delectamentum in
 se habentem, & omnis saporis suauitatem. &
 paulò post de eodē manna subiungitur. Ad
 quod quisq; volebat conuertebatur. Tanta
 miracula in Manna agnoscemus : in Eucharis-
 tia abnegabimus? Si umbrā uti dixit D. Am-
 brosius miramur : quantum est istud cu-
 ius & umbram miramur? Illud verò spe-
 ctandum est, quod ait quodam loco aduersa-
 rius, fidem nos nostram vanè iactare, quòd
 supra sensum Christo dicenti credamus. Cū
 enim substantiā panis sit inuisibilis, & accidē-
 tia videantur, credere substantiam mutari in
 Christi corpus, quæ tamen non videtur : ac-
 cidentia verò quæ vidētur, & permanere ex-
 perimentur

Sapient: 16.

VII. Ratio.

perimento iudicantur, non credere mutatio-
 nem suscipere, hoc non esse vllum fidei opus.
 Ideo infert: ¶ Non longo à vobis discrimine
 distamus, qui propter iudicium sensuum pa-
 nis substantiam adesse confitemur: cùm vos
 eisdem permoti sensibus, accidentia integra
 permanere credatis. ¶ Et supra: ¶ Si autho-
 ritas dictorum Christi te moueret, vt dicenti
 credendū esse omnino putares, profectò nec
 à sensibus illud tibi patereris, ac statim acci-
 dentia panis illa apparere, sed re vera mini-
 mè existere, substantiali nimirum mutatione
 facta, crederes. ¶ Hoc Sophisma multas ha-
 bet ineptias. Si non remanerent vti diximus
 accidentia, mysterium non esset, & ratio Sa-
 cramenti periret. Si autē non mutaretur sub-
 stantia, verum non esset quod dicit Deus O-
 mnipotens. Cùm permanere accidentia per-
 moti sensibus dicimus, fidem de omnipoten-
 tia Christi exercemus, credentes illa sine pro-
 pria substantia & vlllo subiecto, à diuina vir-
 tute propter præsentiam corporis Christi su-
 stentari: quod longè maius est miraculum,
 quàm si ea non extare crederemus. Quæ si re-
 ipsa extarent, & non extare à nobis crederet

Sophisma
 Calvinistarū.

tur (sicut vult nos delirare Volanus) & fidei nostræ subesset falsum , & Deum præstigiofa & non vera facere miracula mentiremur. Hæc deliria Zuinglianis conueniunt, qui præstigiolam præsentiam corporis Christi in Eucharistia tradunt. Non sensuum ergo iudicio adhaeremus, qui contra sensus pugnamus. Sensus cum Volano dicunt, proprietates sunt panis: ergo est & substantia panis. fides nostra contrarium cum Christo respondet: panis sunt proprietates & accidentia, sed substantia panis in Christi corpus permutata est, nec est amplius panis, sed ipsum Christi corpus. Si non permanerent accidentia, nescirentur prorsus ubi consecraretur, ubi præberetur & sumeretur, ut pote sub aspectum non veniens Christi corpus. At cum ex speciebus certissimam post consecrationem per fidem assequar cognitionem, decipi iam non possum.

Multum ergo distamus à Zuinglianis. Illi dicunt: Panis est, quia sapor est panis. Nos contra: etiamsi sapor sit panis, quia tamen Christus dicit, hoc est corpus meum, non esse panem, sed Christi verum corpus confitemur. Nos ut Christum honoremus, sensus nostros mendacij

Cum sensibus
pugnamus.
pro fide.

Quantum à
Zuinglianis
distamus.

mendacij arguimus: Zuingliani contra, vt
 sensus honorent, Christo mendacium impin-
 gunt. In vtroq; supra sensum nos erigimus,
 & quia substantiam panis in Christi corpus
 mutatam credimus, & quia accidētia sine suo
 subiecto cōsistere nullatenus ambigimus. In
 altero sensum, in altero intellectum, cedere
 fidei iubemus. Sequatur nos Volanus, si vult
 nostræ fidei magnitudinem exæquare, & no-
 bis meritò comparari. Sed est via pro super-
 bis lubrica & præceps. Non habent humili-
 tatis nec obedientiæ scalam, non alas diuini
 doni, quæ fides est. Regnat apud illum sen-
 sus, regnat superbia intellectus: effici paruus
 lus, vt mysteriorum habeat reuelationem,
 non potest. Habeat ergo suum sensum, & glo-
 rietur in suo intellectu: nos habeamus fidem
 & in Christi Dei nostri omnipotentia, & ve-
 ritate gloriemur.

Pro superbis
 lubrica via
 nostra confes-
 sio.

Quæ autem de Sacramentali & substanti-
 ali mutatione affert aduersarius, vt putet illam
 esse Sacramentalem, in qua res non mu-
 tantur, sed materiæ tantum benedicuntur,
 vti de nostro Oleo & Chrismate probat (ad-
 didisset & de aqua Baptismi) substantialem

VIII. Ratio
 aduersar.

De Sacramen-
 tali mutatiōe

verò illam esse mutationem, in qua omnia etiam accidentia mutationem suscipiunt, sicuti accidit in aqua Chanæ in vinum conuersa: mera sunt Calvinistica somnia. Nos benedictionem materiæ olei vel aquæ, ad futura Sacramenta præparatæ, non vocamus Sacramenta, multo minus Sacramentalem ibi aliquam mutationem, vbi necdum esse Sacramentum agnoscimus, affirmamus: sed materiam Sacramento aptam, benedictione illa paramus, mutationem autem nullam esse re ipsa in elemento, præter quam quod sit ad talem deputatum usum profiteamur. Sed illuc eorum tendit insidias struens argumentatio: In Baptismo aqua non mutatur, nec in Confirmatione Chrisma, (iam videtur tertium addidisse Sacramentum) ergo nec in Eucharistia panis. Procedat ultra & inferat: In Baptismo non adhibetur panis, ergo nec in Eucharistia adhibetur. Deinde: In Baptismo non est ista forma: Hoc est corpus meum, ergo nec in Eucharistia. Et deinde: Baptismus non repetitur: ergo nec Eucharistia. Quàm desipere istos arbitrari nos oportet, qui hominem eo quod animalis genus habeat, cum boue commune, bouem

Differentia
Eucharistiæ à
Baptismo.

bouem esse concludent. Singula Sacramen-
ta proprias habere differentias discant isti a-
liquando, Proprium est Eucharistiæ, vt ipsi-
us materia secundū substantiam in rē ipsam
quæ significatur trāseat, ita instituyente Do-
mino. Quin vt iam sæpius dictum est, non
dixit aqua Baptismi in manus accepta & be-
nedicta: Hoc est regeneratio ex Spiritu S.
vel Spiritus Sanctus, sicuti in Eucharistia, ac-
cepto pane pronūciauit: Hoc est corpus me-
um. Stat & stabit verbum eius in æternum.

Quod verò substantialem mutationem eam
esse dicat, in qua & accidentia mutantur, vt
possint eam omnes sensus (sicuti in aqua mu-
tata in vinum accidit) cōprobare: falsum est,
leges enim Deo & mutationis huius modum
ponere non possunt. facit sicut vult: aliquā-
do & ipsa accidentia cum substantijs earū, a-
liquando sicut ei & nostræ utilitati, & condi-
tioni videtur magis expedire, solam sustanti-
am sine accidentibus immutat. Id autē in Sa-
cramento maximè fieri oportebat, quod re-
quirat, vt aliud videatur & aliud credatur.

In Chana Galileæ sola corpora Christus refi-
ciebat: nullum autem Sacramentum in illa

Sacramentū
requirit, ne
accidentia mu-
tentur.

Vini ex aqua
mutatio, ni-
hil ad Sacra-
mēta spectat.

mutatione instituebat. Proinde aut illic ali-
quod fuisse in aqua Sacramentū dicant: aut
diuersam in Eucharistia mutationem agno-
scant. Caluinisticas istas argutias Sancti Pa-
tres præuiderāt. Huius in Chana mutationis
aquæ in vinum exemplo, non modò a muta-
tione substantiæ panis in Eucharistia creden-
da & confitenda, non alienabantur, sed etiã
ad id alliciebantur. Quidã in illa prorumpit
verba: *Aquam aliquando mutauit Christus in vinum,*
Cyril: Hiero: *quod est sanguini proximum, in Chana Galilee sola volun-*
sol: Mystag: *tate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in san-*
4. & 5. *guinem transmutasset? Species tamen panis & vi-*
ni relinqui integras docet. Non timuere isti
hæc Zuinglianica arma, quin eis potius con-
tra eorum similes vsi sunt. At exemplum si-
milis immutationis dari sibi petit Volanus, in
quo substantia relictiis accidentibus mutaretur,
gratificaremur illi, si nobis ostenderet,
quo alio in loco Sacratissimam Eucharistiam
Christus Dominus instituisset. Idem est ac si
quærat, vt Incarnationis Christi & virginei
partus, & trium personarum in vna essentia,
& duarum naturarum in vna hypostasi con-
iunctionis ostendamus exempla: quæ si non
proferit

Operum Dei
nō sunt quo-
rundam exē-
pla: Potest il-
le facere sine
exemplo.

proferimus, non credat, vt tandem nihil credat. Potest Deus operari sine exēplo, qui typo non indiget, nec consilio. Quis enim Consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi? Imò quaedam eius opera, si exemplum haberent, admiranda non essent, nec ita eius immensam sapientiam & omnipotentiam declararent. Singularis est & tot insignita miraculis in Eucharistia mutatio, etiamsi sit sine exemplis, verissima tamen est ac certissima, propter tantam facientis & dicentis auctoritatem. Cui sine exemplis, & argumentis vllis, credendum esse docet pietas Catholica. Cum porrò iam nihil supersit in eorum iaculis, contra Transubstantiationem, quod non in eos sit retortum, ad alias eorum detegendas artes transeamus.



Caput.

CAPVT NO

NVM.

Sanctorum Patrum pro Transubstantiatione numerosa testimonia afferuntur, & Zuinglocaluiniistica circa ea imposturae deteguntur.



Intolerabilis & execranda Impostura istorum mihi visa est semper, cum aliquando Doctorum Ecclesiae vtuntur pro suis commentis testimonio, & antiquam ac a Sanctis Patribus traditam doctrinam sequi se confingunt, cum re ipsa non modo autoritate Sanctorum ad credendum non permoueantur: sed eandem etiam vehementer contemnant, & pro nihilo ducant: ita vt & nobis indigniter illudant, & seipso dignos efficiant, qui a sanctorum testimonijs tanquam omnium contemptores arceantur. Quod dicit Volanus: Nos autoritatem excellentissimam in Ecclesia scriptorum non repudiandam nobis esse ducimus, vt in scripturis interpretandis sanctis, & ductum eorum libenter sequamur, & sanctam eorum operam in profligandis varijs Ecclesiae pestibus, quas subinde ex

inde excitauit Sathan, grata voluntate exo-
sculemur. An hoc verè & ex animo dicat o-
peræ precium erit disquirere. Scio, & tu opti-
me Lector mox deprehendes, fucata esse &
doli plena verba: tamen non in eius, sed in
tuam gratiam potiùs, recensebo numerosissi-
mas sanctorum Patrum pro transubstantiati-
one, siue mutatione substātię panis in ipsum
Christi corpus sententias: compendiosè ta-
men, & quàm potero maxíma breuitate, vt
illa quæ priore libro latiùs adducta sunt,
succinctè híc prodeant.

CYPRIANVS. Panis iste, quem discipulis Domi-
nus porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipoten-
tia verbi factus est caro. Effigie dixit, id quod nos
accidentia: Naturã autem, id quod nos sub-
stantiam vocamus.

Cypr: de coe-
na.

TERTULLIANVS. Panem corpus suum fecit Do-
minus dicendo: Hoc est corpus meum. Si panem cor-
pus fecit, naturam vtique panis mutauit.

Tert: 4. con:
Marcionem.

BASILIVS Magnus. Fac panem hunc ipsum præ-
ciosum corpus Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.
Hunc calicem preciosum, sanguinem Domini Dei & Salua-
toris nostri Iesu Christi, mutans Spiritu tuo sancto.

Basil: in Ly-
turg.

Si mutatio esset talis, qualis est signi ad signa-
tum: nullum esset opus Spiritus sancti. Hanc

Ambrosi: de
his qui myste-
rijs inciant:
cap: 9.

enim quilibet homo signans aliquid efficit.

A M B R O S I V S. Fortè dicis: aliud video quàm tu mihi afferis, quòd Christi corpus accipiam, & hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis ergo utimur exemplis, non hoc esse (in Eucharistia) quod natura formauit: sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis quam nature: quia benedictione etiam natura mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens, &c. Subiicit tandem: Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quodsi tantum valuit sermo Helie, ut ignem de caelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi opere legisti: quia ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit facere ex nihilo, quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare quod non erat? Non enim minus est nouas res creare, quàm mutare naturas. Species ergo elementorum, hoc est earum naturas in Eucharistia mutari dicit: tali mutatione, quæ cum serpente Moyse, & aqua in sanguinem versa, & alijs rebus ab eo per naturarum mutationem productis, comparatur, ut non sit signi in signatum, sed ipsa re facta naturæ mutatio.

Augusti: de
consecr: dist:
2: cap: Nos
autem: & de
verb: Domi-
ni term: 28.

A V G V S T I N U S verba sancti Ambrosii Preceptoris sui usurpat: Ante consecrationem panis est, quem natura formauit: post consecrationem verò caro Christi est, quod benedictio consecrauit. Benedictione ergo mutatur natura panis. Et iterum: Sicut ipse est, inquit.

est, inquit, qui baptizat: ita & ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc substantiam (panis) efficit carnem, & tran-
sit vinum in sanguinem.

CHRYSOSTOMVS. Emitte Spiritum tuum san-
ctum super nos, & super proposita dona hæc, & fac panem
quidem hunc preciosum corpus Christi tui, & in calice hoc
preciosum sanguinem Christi tui, transmutas Spiritu tuo san-
cto. Et alibi: Non sunt humana virtutis hæc opera,
quæ tunc in illa coena confecit: ipse nunc quoque operatur, i-
pse perficit, nos ministrorum ordinem tenemus, qui verò hæc
sanctificat & transmutat, ipse est qui dixit: Hoc est cor-
pus meum. Item: Nihil substantiæ panis remanet in pro-
positis.

In Lyturg.

Homil: 83. in
Matth.

Sermon: de
Encænjs.

HIERONYMVS. Ad preces Sacerdotum cor-
pus à Christo confici, & panem dicendo: Hoc est corpus
meum, in corpus transfigurari, docet.

In Marc: 14.
& ad Euagr:
epist.

CYRILLVS Alexandrinus. Ne horreremus car-
nem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens
Deus nostris fragilitatibus, influit oblati vim vitæ, con-
uertens ea in veritatem propriæ carnis.

Epist: ad Ca
losirium.

CYRILLUS Hierosolymita: sigillatim hæc
quatuor pertractat. Primum, Realem corpo-
ris Christi præsentiam, his verbis agnoscit:
Christus ipse affirmat hoc esse corpus, & quis audeat dice-
re non esse? Secundo, non manere panem ita do-
cet: Hoc scias & pro certissimo habeas, panem hunc qui
videtur à nobis, non esse panem, & si gustui panis videatur:
sed esse corpus Christi. Et vinum quod à nobis conspicitur,
tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen uinum,

Catechesi 4.
Mystagog.

G g ij

sed san

sed sanguinem esse Christi. Tertio, corpus succedere pani in suis speciebus, hoc modo confirmat: Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini, datur sanguis. Quarto, hoc fieri per conuersionem vnius in alteram, sic concludit: Sicut enim aquam aliquando mutauit in vinum, sic iterum nunc vinum in sanguinem mutauit.

Esych. lib: in
Leuit:ca: 22.

ESICHIVS. Sanctificationem mystici sacrificij, & a sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationem, ei qui verus est Sacerdos, vt & Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quae videntur tam significata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum.

Nisenus serm
Cathec: de
diu: Sacr

GREGORIVS Nisenus. Recte & nunc panem diuino verbo sanctificatum, in corpus Dei verbo transmutari dicimus. Et infra: Panis vti ait Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem, non comestitionem, ad hoc procedens, vt corpus verbi fiat, sed max per verbum in corpus transmutatur, quemadmodum ab ipso verbo dictum est: Hoc est corpus meum.

Emise: hom:
5. de Pasch:
& homil: in
Ranis palm.

EVS EBIVS Emisenus. Inuisibilis Sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbi secreta potestate conuertit, ita dicens: accipite & comedite, Hoc est corpus meum Et alibi: Qui dixit tunc per se, modo dicit per suos Ministros: Hoc est corpus meum, & tanta est eius verbi virtus & efficacia, vt statim fiat, quod dicitur.

Cap: 64. in
Matth.

EVTIMIVS. Sicut vetus testamentum hostias & sanguinem habebat, ita sane & nouum, corpus videlicet & sanguinem

sanguinē Domini. Non dixit: Hæc sunt signa corporis mei: sed, Hæc sunt corpus meum, & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturā eorum quæ pponuntur aspiciere, sed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim assumptā carnem, supernaturaliter deificauit (si ita loqui licet) ita & hæc ineffabiliter trāsmutat in ipsum viuificum corpus suum, & in preciosum sanguinem.

DAMASCENVS. S. Panis & vinum trāsmutatur in corpus & sanguinem Domini. Si autem modum requiris, quonam pacto fiat? sit tibi sat audire: quoniam per Spiritū sanctum. Neq; hoc dictū promptū, quomodo naturaliter per comestionem panis & vinum & aqua per potionem in corpus & sanguinem comedentis & bibentis trāsmutatur, & non sit aliud corpus, præter id quod prius erat ipsius. Sic & propositio panis vinumq; & aqua. per inuocationem & aduentum Spiritus S. supernaturaliter trāsmutatur, in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem. **Infra:** Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum ipso Domino dicente: Hoc est corpus meum, non figura corporis & non figura sanguinis, sed sanguis

Damascen: 4.
de Orthodo;
cap: 14.

de Orthodo;
cap: 14.

In cap: 14.
Marci.

In Ioan: c. 6.

THEOPHILACTVS. Hoc est corpus meum, hoc inquam, quod sumitis, non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis, panis est: sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est: non dixit, figura est carnis meæ, sed caro mea est. Transformatur arcanis verbis panis ille, per mysticam benedictionem & accessionem Sancti S: in

*carnem Domini. Igitur & nunc panis, in carnem Domini
mutatur.*

In Boeti: lib:
de Trinit.

B E D A : Panis fit per transmutationem corpus Christi. Transiit enim substantia panis, non forma siue species, in Christi corpus.

Libr. de Sa-
crament.

R A B A N V S. Illud fidei Sacramentum, iurè veritas appellatur: veritas dum corpus Christi & sanguis, virtute Spiritus in verbo ipsius ex panis viniq; substantia, efficitur: figura verò dum Sacerdote quasi aliud gerente, ob recordationem sacrae passionis, ad aram (quod semel gestum est) quotidie immolatur Agnus.

Libr: de cor-
pore & san-
guine Dñi.

P A S C H A S I V S. Non mirum si Spiritus S. qui hominem Christum in virginis utero sine semine creauit, ipsam etiam panis & vini substantiam, carnem Christi & sanguinem, inuisibili quotidie potentia, per Sacramenti sui significationem operatur, quamuis nec visu exterius, nec gustu saporis comprehendantur.

Contra Berē
garium

L A N F R A N C V S. Credimus terrenas substantias, quae in mensa Dominica per Sacerdotale ministerium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter & mirabiliter operante superna potentia, conuerti in essentiam Dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam alijs qualitibus: ne percipiendo cruda & cruenta horrerent, & ut credendo fidei praemia ampliora perciperent.

Si isti Sancti non sufficiunt, ad plurimum testimonio, à me prius posita, recurrat. Taceo quid dicant illi omnes, qui 500. ab hinc & vltima annis, & cum Berengario decertarunt, & ad nostra vsq; secula, atq; ad ipsum Conciliū Tridentinum, magna doctrinae & innocentis vitae opinione, celebres S. Ecclesiae Doctores floruerunt. Quos omnes Volanus Transubstantiatione

stantiationis acerrimos propugnatores esse
& hoc dogma cōtinua nec interrupta successione ad nos vsq; traductum reliquisse, agnoscit: partemq; maiorem, hoc est Catholicam superasse meliorem, hoc est Berengarianam inuitus fatetur. Sed vera Ecclesia nescit occasum, nec à portis inferi superatur.

En ergo adsunt doctrinæ Christi & Euāgelij celebratissimi præcones, incorrupti veritatis testes, iudices orbis terræ, qui etiam Angelos iudicabunt, mundi luminaria & sidera nesciētia occasum, nubes irrigantes pluvia & imbribus terram cordium, & ipsæ turbæ Spiritus sancti: quorum antiquitatē, summa doctrina & vitæ innocentia partam auctoritatem: multitudinem, consensum, & uniformem eorum qui diuersis seculis, & disiunctis à se regionibus docuerunt, de rebus diuinis sententiam, quis non reueretur & omni fide dignam iudicabit? Iam licet D. Augustini voce: nouos istos Iulianos cōpellare: His eloquijs & tanta auctoritate Sanctorum, aut sanaberis (miser Caluinista) Dei misericordia donante (quod quantum tibi optem videat qui faciat) aut si (quod abominor) in ea quæ videtur tibi sapientia, & est magna stultitia perduraueris, non tu iudices quæsiturus es, ubi causam purges: sed ubi tot sanctos Doctores egregios atq; memorabiles Catholi-

cæ veris

Cont: Iulian:
lib: 6. cap: 1.

Libr: 2. ad-
uersus Iulian.

Doctorem
authoritas.

Libr: 1. ad-
uersus eundē.

cæ veritatis accuses. Irenæum, Cyprianum, Reticum, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, cæterosq; socios & participes eorum, insuper & uniuersam Ecclesiam, qui diuinæ familiæ cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria floruerunt. Et iterum: Probauimus (transubstantiationem videlicet, quod nos fecimus) Catholicorū auctoritate Sanctorum: ac per hoc non est consequens vt fallum sit. Tales quippe ac tanti viri, secundum Catholicam fidem, hoc verum esse confirmant, vt vestra fragilis & argutula nouitas, sola auctoritate conteratur illorum. Præter quā quod ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur: Sed nunc auctoritate primitus eorum vestra è contumacia comprimenda, vt dum tales homines Dei in fide Catholica errare potuisse non creditis, ausus præcipites refrenetis:

Creduntne aduersarij, quod non credere puduit Iulianum hæreticum, quodq; ipse credebat & celebrabat D. Augustinus, errare hos omnes Ecclesiæ sanctos Doctores, quos prædiximus non posse? Sed licet tu o Sancte Augustine iterum clames: *Non omnium hac de re (Sanctorum Doctorum) sententias connumerabo, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si nullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor, tantum malū peruitiæ superauerit.* Cum nos tamen non paucorum, sed omnium ferè præcipuorum pro mutatione ista in Eucharistia voces attulerimus: nescit erubescere nec cedere Calvinista iste, Dei timor & hominum pudor, tantum pertinaciæ malum superare

perare non potest. Dicit enim: ¶ Scarga hu-
manam implorat opem, pro Spiritus sancti
oraculis, ad hominum nos chartas reuocat. ¶
Quid illis, Dei & Christi vocem: Hoc est cor-
pus meum, quam contra eos proferimus, in-
culcare prodest? Sicut vocem diuinam ita &
sanctorum longe faciliori modo, contemnunt
humanas eas chartas vocitantes: quod nihil
est aliud, quam erroris ipsos authores argue-
re, atque ideo contemnere. Sed modestior est
forsitan iste Volanus, cum iterum dicit: ¶ Ni-
si Augustinus, Hieronymus, Ambrosius &
reliqui, certis & euidentissimis testimonijs
scripturæ sua omnia probent, nihil valet eo-
rum autoritas, sine dubitatione reijciatur. ¶
imò insolentior. Iam enim nec ut testes, nec
ut iudices, nec uti arbitros sanctos honorat:
sed tanquam subiectos imò discipulos, imò
quod intolerabilius est, reos iam & suspectos
ad suum tribunal vocat. Si quid, inquit, di-
uersum ab oraculis sanctis tradunt, quasi ve-
rò iam sint huius impietatis rei, & quasi iam
conuicti: de quorum spiritu & sanctitate il-
lud primum statuere debet mens pia & mode-
sta, caniciem eorum, probitatem & religio-

Humanas
chartas vo-
cat, Doctorū
S. scripta.

Nec testes,
nec iudices:
sed tanquam
reos faciunt S.
Doctores
Zuingliani,

nem reuerita, nec cogitatione quidem illos omnes in hunc errorem delabi potuisse, vt aliquid diuinis oraculis aduersum docerent.

Volani de
Doctoribus
Decretum.

¶ Si non certis, inquit, & evidentibus testimonijs omnia sua confirmant, adeo nihil eorum apud nos valet authoritas, vt sine dubitatione reijciendam eam putemus. ¶ Quod idem est, atq; si dicat: ¶ Ego volanus, vel Caluinus, vel Sudrouius, vel potius aliquis ex media plebe, vel ex artificum officina Minister, peritia sacrarum literarum, maturitate iudicij, acumine ingenij, laborum in inquirenda veritate, tolerantia, deniq; antiquitate & integritate receptæ ab Apostolis & à maioribus traditæ fidei, omnibus istis productis Doctoribus Ecclesiæ superior, ferre de illis iudicium debeo: non modo an secundum scripturam sua dogmata tradant: sed etiam an certam & euentem scripturam afferant, antequam eorum testimonia recipiam. Quod si mihi videbuntur vel non ex scriptura: vel si ex scriptura, incerta tamen, & non euentia adferre: tota eorum authoritas cadat, & damnata à me nulla fide digna habeatur. ¶

Differat nec ne eorum sententia ab ea interpretatio

pretatione, bonus iudicet Lector. Quam suis
seruis libertatē negarēt, eam à suis Magistris
(si modo sint eorum discipuli) exigunt. Si enim
Volanus eū seruū, qui iussus vt aliquid ad
vsum necessarium adferat, putaret sibi liberum
& integrum esse : an hoc præceptum sit
iuxta pacta & præscriptas olim cōditiones iudicare :
baculis illū potius abigere, quàm ab eius pendere
iudicio eligeret. Cur non idem concedat Sanctis,
vt discipulum de Doctoris sententijs iudicare
volentem abigant, & hoc inprimis Volano,
qui se Sanctorum antea discipulum simebat,
eorumq; ductum se velle sequi simulabat,
officij præstent? At nunc nō discipulum se
præbet, sed iudicem, & quidē summè iniquum,
vt qui Sanctos non suspectos tantum & reos faciat,
sed notam maximi adulteratæ scripturæ criminis,
illis inurat. Inde enim promanant illa Volani
verba, olim à Sancto quodam contra impios & perfidos
hæreticos usurpata, quibus mihi quærenti,
cur non in omnibus authoritatem Sanctorum,
præsertim D. Augustini, in Missæ Sacrificio,
in Sanctorum inuocatione, in oratione pro
mortuis, & alijs plerisque sequeretur :

respondit inquit : Nummum adulterinū
 video, nec Christi faciem claro lumine mihi
 exhibentem, ideo illum in cordis mei marsu-
 pium recondere nolo. ¶ Falsarios sacræ scrip-
 pturæ fecit, Augustinum & alios Sanctos, e-
 orumq; certissimas & verissimas sententi-
 as, hæreticorū nefarijs blasphemijs coæqua-
 uit. Licet ergo nos cum Sanctis omnibus Do-
 ctoribus, sexcenta scripturæ loca certa quam-
 vis & euidentiā afferamus, si illa non satis fe-
 cerint, tanto cum tanta potestate censori, si
 nō eius cerebro desipienti arriserint, ceu num-
 mum adulterinum omnia contemnet & abij-
 ciet, hocq; sibi esse prorsus liberum, sicuti
 iam antea fecit, dictitabit.

Quod si vrgeamus: nonne isti sunt Sancti
 Dei, de quibus dixit Dominus: Non vos estis
 qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui
 loquitur in vobis: Si eos iuxta Conciliū occu-
 menicum tubas Spiritus sancti vocemus: Si
 cum D. Augustino, loqui in ipsis veritatem ip-
 sam, quæ Christus est, dicamus: Si cum D.
 Hieronymo, *Doctores Ecclesiæ non tam ipsos docere,*
quàm in ipsis Deum, qui ad Sanctos loquitur: Ego dixi,
Dij estis, & filij excelsi omnes, ut qui Dij sint, tradant Dei
 Euange-

Falsarios fa-
 cit S. Docto-
 res. Volanus.

Augustinus
 ut supra.

Hierony: in
 comment: in
 1. ca: ad Ga-
 lathas.

Euangelium non hominis, Si inquã cum eodem Deo os illos asseramus : ipsi respondebunt : Homines fuere errori obnoxij, chartas humanas ad quas nos Scarga reuocat, tradiderunt. At tu nouator & figurator quisquis es : cum de illis peritissimis scripturæ, imperitus pro tuo tibi iniquè vendicato tribunali, pronuncias : cum prophanus de sanctissimis Dei Episcopis & Prophetis, an secundum scripturam sua tradant iudicas : cum ab aula ad eorum Scholas, tanquam agricola ad Academiam, vt de illis feras sententiam descendis, num te hominem esse meministi ? vtrum ad hoc ferendum de rebus tam abstrusis, quas nunquã in aula didiceras, iudicium, naturam prorsus humanam, vt errare non possis exuisti : unde tibi hæc non errandi facultas ? O hominum diuorumq; fidem, D. Augustinum, Hieronymum, Basilium, & cæteros Patres : eod quod homines sint, errori semper obnoxios esse volunt, naturam spectantes, & à gratia Spiritus sancti vocatione diuina, qua ornatifuerunt amouentes oculos, ipsi vero nullam consecuti vocationis gratiam & missionis, nullum habentes talentum, cum de Magistris & Do-

ctoribus orbis, quorum vestigia pedum oscu-
lari digni non sunt, an secundum scripturam
doceant, ferunt sententiam, ab humana er-
roribusq; obnoxia natura longè distare se, fal-
so sibi arrogant, & superiores se Doctori-
bus sanctis ostentant.

Sed dicunt rursus errauit Cyprianus, Au-
gusti: libros Retractationū conscripsit, que-
dam & D. Hieronymus dixit, & alij, quæ Ca-
tholica non recipit Ecclesia: & Calvinus in
illa sua præfatione diligēter Patrū hæc verē-
da, cum maledicto Chamo denudare nititur,
circuit ciuitatem vt colligat stercorea. Nos ve-
rò nullos periculosius errare, imò magis insa-
nare, quàm hæreticos, rebelles, & sine iugo
Ecclesiæ filios, qui inflantur sensu carnis suæ,
omnemq; Ecclesiæ disciplinam excutiunt pro-
fitemur: Sanctorum autem vnus vel alteri-
us errores, caruisse periculo, vt didicimus ita
& asseueramus. Non negamus næuos aliquos
quorundam notari, sed vel in ea re quæ non-
dum erat ab Ecclesia definita, cuius iudicium
mox deposita, omni temeritate secuti fuissēt:
vel in ea, quæ ad fidei dogmata ipsamq; salu-
tem parū vel nihil prorsus spectare visa est.

Næui quorū
dam Docto-
rum quales.

Coete

Cœterum non ab unius aut alterius Doctoris Ecclesiæ sententia, illa firmissima contra omnes hæreticos argumentationum tela depromimus, sed ab omnium vel præcipuorum consensu & voce eadem, Christi præconum, hæreses & impietates circa fidei articulos oppugnamus. Hos enim omnes cum eadē dicunt & docent, errare posse, nulla unquam apertè impudentia hæretica ausa est pronuntiare. Ita enim Deus frustra posuisset in Ecclesia Doctores & Pastores, ad quem autem finem eos posuit? in consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi: ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, & astutia ad circumventionem erroris. Erraret ergo Ecclesia Dei, si Pastores eius & Doctores errarent. Imò erroris huius Deus ipse esse causa videretur: qui obedire Pastoribus & Doctoribus præcepit, nec iudicium de eis ferendum ouibus (quod esset extremæ perturbationis) commisit. Nos vero hoc constantissimè prædicamus, nullam esse veram & sinceram scripturæ sacræ, & dogmatum fidei nostræ intelligentiam, que ex San-

Cōsensus SS. Doctorum, maximū Spīritus sancti testimonium.

Ephes: 4.

Intelligentia: Vera S. scripturæ ex sanctis Doctoribus capitur. Eccles: vlti.

ex Sanctorum Patrum eruditione & lectione
 hausta & recepta non sit. Præclare dixit Spi-
 ritus sanctus in Sapiente: *Verba Sapientium sicut
 stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorū
 concilium data sunt à Pastore vno. His amplius, sili mi, ne
 requiras.* Quod D. Hieronymus exponens ait:
*Exceptis, inquit, his verbis, quæ ab vno Pastore sunt data,
 & à Concilio atq; consensu probata Sapientū, nihil tibi ven-
 dices, maiorum sequere vestigia, ab eorum autoritate non
 discrepes.* Sanctos illos antiquitate, doctrina,
 & sanctimonia celebratos, Sapientes fuisse,
 & Ecclesiæ Dei magistros quis negauerit? Pa-
 storem autem eorum vnum fuisse Spiritum
 sanctum, à quo eorum est profecta sapientia,
 tanta eorum in dicendis sententijs, cum essent
 loco & tempore, multum à se disiti, concor-
 dia demonstrat: vt meritò verba eorum sti-
 mulis ferreis, quibus Volani caro debilissima
 cum eis pugnans, cruentabitur, & conficetur:
 sed & clavis in altum forti manu defixis,
 quos frustra suis euellere dētibus Volanus mo-
 litur, meritò comparentur. Non requirendū
 est ergo amplius in sensu scripturarū, sed do-
 ctrinæ eorum sacrae inhærendum. Hinc illa
 D. Clementis verba: *Oportet ab eo intelligentiam
 scip: Hieros, discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veri-
 tatem*

Clemens Epi-
 sto: 5. ad di-

scip: Hieros,

statem sibi traditam seruauit, ut & ipse possit ea quæ rectè suscepit, competenter asserere. Et alius Apostoli discipulus: Ad sanctissimarum scripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus, contuendas pro uiribus pergamus. Itemq; alius: Qui aduersus Ecclesiasticam traditionem scripturas iuterpretantur, regulam ueritatis amittunt. Et iterum de hæreticis hæc ait: Glorix tenentur desiderio, qui ea quæ ex sua natura conueniunt, sermonibus diuinitus inspiratis tradita, à beatis Apostolis & Magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt, per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes diuinae traditioni. Nam inter eos viros, qui tanti erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendū, à Marcione, Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi re-cta uia? Neq; enim eos qui præcesserunt superare poterant sapientia, ut aliquid adinuenirent ijs, quæ ab illis uerè dicta sunt. Sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent, quæ prius sunt tradita. Itemq; alius: Seruemus præcepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate uiolemus, librum Sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum iam Martyrio consecratum? Certè liber Doctrinæ Catholice multorum Confessorum & Sacerdotum Doctorumq; Ecclesiæ, multorum etiam sanguine Martyrum est obsignatus, quem tamē rescindere, & noua dogmata inuenire isti conantur infelices. Refert Rufinus præclara illa orbis luminaria, Basilium Magnum & Gre-

Dionis: 1. ca.
Cœlest: Hier:
rach.

Clemens Ale-
xan: 7. Strom

Ambrosi: ad
Gracianum
de fide, cap:
7, lib: 3.

Eccles: histo: cap: 9. gorium, Nazianzenum, diuinarum scripturarum intelligentiam: non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate, secutos esse. Quid facient isti terrei vermiculi cum illis cœlestibus aquilis, eorumq; diuino acumine comparati? De illis sczt an secundum scripturam sua tradant dogmata, iudicabunt? Et Concilia generalia hanc sunt sanctorum Doctorum traditionem secuta.

Sessio: 11. Sexta Synodus eos reprehendit, qui aliquaconati sunt contra maiorum traditionem inuerehere. In Concilio septimo generali sic legimus. Sancta Synodus dixit: Nos veteri Ecclesie legislationi insistamus: nos Statuta Patrum conseruemus: nos, qui addunt aut auferunt aliquid de Ecclesia, anathematizamus, &c. Et aliud Concilium tali v:

Septima Synodu acti: 4. titur præfatione: Nos ad Sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolica considerationis aciem conuertentes, sacro approbante Concilio declaramus.

Concili. Vien: sub Clemente 1. Et Lateranen: Qui Euangelicam veritatem populum docturi sunt, sanctam scripturam iuxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia uel usus diuturnus approbavit, explanent. Et nostrum Tridentinum: Decreuit sancta Synodus, ad cœercenda petulantia ingenia, vt nemo sue prudentiæ innitatur, in rebus fidei & morum ad edificationem doctrine Christiane pertinentium: sacram scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum,

Sub Leone 10.

Sessio: 4.

quem

quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam sacram scripturam interpretari audeat. Quid mouent ista Volanos, ipsi & scripturae, & Doctorum, & Conciliorum, supremi iudices esse volunt, noua afferre dogmata, gloriae cupidi, ut abstrahant discipulos post se, eligunt. nec enim in veteribus ea quae quaerunt venari possent.

Sed dicit iste: Talis esse in Augustino volo, qualem me esse ipse voluit, ut si quid ex scriptura non probaret, nullam haberet fidem. Hoc enim ipse lectori suo concedit. Verum, quando hoc concessit Augustinus? Nam licet de hoc vel illo doctore aliquando dixerit, sibi liberum esse ab eius sententia & scriptis dissentire, nunquam tamen de omnibus Ecclesiae Doctoribus in eodem dogmate conuenientibus asseruit, non esse recipiendos, nisi scripturae sacrae testimonijs manifeste suam doctrinam comprobare possint. Quin potius contrarium Augustinum sensisse ex eius verbis de seipso loquentis, nullo negotio colligitur. Sermone enim de sanctis Patribus, quos multos allegat, faciens sic ait: *Quod illi credunt credo: quod tenent teneo: quod praedicant, doceo.* At mu-

Augustinus
lib: 1. contra
Iulian: ca: 2.

sca ista Elephantes suo pede metiri volens dicit: Quod credunt, examino: quod tenent an verum sit, discutio: quod docent, an sit secundum scripturas, diiudico. Quid est delirare si hoc non est? His adde, quod aliud fuit illud tempus probationis Sanctorum, aliud nunc est coronæ & honoris eorum. Quam diu vixerunt ne errarent, & perseuerantiæ facerēt iacturam timendum erat: quam diu eorum libri ab Ecclesia discussi non erant, illud authoritatis culmen, quod in Ecclesia Doctores obtinent, consecuti non sunt. At nunc post tot seculorum curricula, quibus Ecclesia eorum versat libros, post approbationem Ecclesiæ, post agnitam à toto orbe eorum fidei & innocentiae integritatem, summam eorum scriptis authoritatem tribuere, & ipsorum humilitatem in summum honorem cōvertere, ac per eorum doctrinæ puritatem & acrimoniam hæreses expugnare: deniq; testium eos Doctorumq; ac incorruptissimorum iudicum gloria exornare omnes debemus. Post tot ingeniorum iudicia, per quæ veluti cribra quædam colata sunt eorum dogmata, post tantum antiquitatis & caniciei eorum hono

honorem : non talia eorum manserunt scripta , qualia videri dum adhuc in terris agerent, eorum volebat modestia: sed qualia apud probatio Ecclesie, fructus & puritas antiquissimae doctrinae postulat.

Est & alia istorum impostura , duos aut tres quantumvis obscuros & suspectos, & vix alicuius auctoritatis scriptores , multitudini Sanctorum vt opponant conquirunt, & postquam inuenerint , triumphum se consecutos putant. Qui tamen recte intellecti, eorum vanitatem & machinationes, detegunt. Gelasium & Theodoretum tot sanctis Patribus contra transubstantiationem opponunt. Qui etiam si male hac in re (quod tamen Sacramentarijs non concedimus) sensissent, nihil communi veritati eorum obsisteret opinio singularis. Quod enim duo vel tres e Doctoribus sicuti docuimus, tradunt : non inde illa firma probationum desumimus argumenta. Gelasium autem hunc , qui illum libellum de duobus naturis in Christo conscripsit, putant forsitan aduersarij esse Pontificem Romanum. Errant toto coelo. Is enim Gelasius Eusebium Caesariensem mirifice predicat: cuius aliqua scri

Vnum aut aliorum contra omnium consensum obijciunt haeretici,

Gelasius & Theodoretus non faciunt contra transubstantiationem.

Gelasius iste
non est Pon-
tifax Roma:
sed Palestin.
Dial: 1. Po-
lim,

pta Gelasius Romanus condemnat. Palestinū
hunc fuisse (cuius & D. Hieronymus memi-
nit) Theodoretus testatur, ex quo ipse libel-
lo multa contra Eutichen est mutuatus, eūq;
magnis laudibus exornat, & eandem dicendī
normam de Eucharistia ab eo acceptam ser-
uat. Sunt autem huius Gelasii verba quæ po-
nit Volanus: *Certe Sacramenta, quæ sumimus corpo-
ris & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per
eandem diuinā efficitur natura consortes: & tamen non
desinit substantia & natura panis & vini. Qui prudē-
ter res æstimat, & disputare illum cōtra Eu-
tichen, qui diuinam & naturam humanam in
Christo confusam esse & reductam in vnam,
totamq; humanitatem in diuinitate absorptā
confingebat, considerat: colligere nullo ne-
gocio poterit, eum naturam panis pro natu-
ræ proprietatibus & speciebus seu accidenti-
bus, quæ & nos integra restare dicimus, sen-
susq; ipsi pronunciant, accepisse. Quod alia
eiusdem Gelasii verba eodem ipso loco decla-
rāt: *Sacramentum, inquit, ipsum seu panis & vinum, in
diuinam transit substantiam, sancto Spiritu perficiente,
permanente tamen proprietate natura. Ergo seipsum
explicauit, & quod naturam pro proprietate
naturæ, id est, accidentibus, in quibus sensus**

nostri

nostri verum esse panem & naturam panis iudicant, acceperit: & quod internam illam & veram substantiam panis cōmutatam esse, ac in diuinum corpus transisse opera Spiritus S. qui non ficta, sed summa & vera facit miracula, senserit. Idem est de Theodoro dicendum, eandem nimirum illum verborum intelligentiam certantem cum eodem heretico Eutichete, & ab eodem Gelasio quasi magistro, arma depromentem secutum esse, cūm

dicit: *Non post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediuntur: manent siquidem in sua propria substantia, & figura & specie. Ideoq; & videntur, & palpantur, quemadmodum & antea. Intelliguntur autem que facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam existentia que creduntur.* Apertè quisq; iudicat, substantiam & naturam panis pro proprietatibus panis eum vsurpasse. Nam mutari symbola apertè docet, id est eorum internam substantiam, cū ea adorari dicit. Quis enim panem sine idololatria adoret? Imò existere ea id dicit, quod creduntur, corpus scilicet & sanguis Christi Dei nostri. Sed & alia eiusdem Theodoretī eodem loco posita verba, hoc quod dicimus manifestè aperiunt: *Panis, inquit, peracta consecratione nomen suum amittit, nec postea in Sacramento duo*

Theodoretus naturam panis pro externis speciebus ac proprietatibus vsurpauit.

to duo sunt corpora, sed unum filij corpus prædicatur. ex quo sequitur panis corpus desisse, & firmari eius generalē naturam, siue substantiam, siue proprietatem aliunde: sicut à natura diuina firmatur humanitatis corpus in Christo. Negans Theodoretus duo esse corpora in Sacramento, & panis & Christi, & unum ibi tantum filij Dei corpus prædicans, ac desisse ibi essentiam panis affirmans: quid aliud docet, quàm quòd interna corporis panis substantia desierit, exterior autem proprietates illius, ab alio diuina nempe virtute restans, firmetur. Quo sensu argumentum eorum contra Eutychem non tollitur, sed firmatur: & Zuingliani simul, qui triumphare se hic putant, vehementer decipiuntur. Sicut in Sacramento Eucharistiæ duæ sunt nature, cœlestis & terrena, nec tamen terrena natura immutatur, sed à diuina potestate corpore & substantia ipsa panis transeunte, firmatur: (quid enim sustentaretur, si ipsa interior substantia panis integra cum ipsis externis proprietatibus suis & accidentibus, etiam integris remaneret?) ita in Christo duæ sunt nature, diuina & humana, nec confunduntur: sed persona humanitatis absente, ipsa humanitas à diuini

diuini verbi persona sustētatur & firmatur.

Et licet verissimus sit Theodoreti sensus, non multum tamen miraremur, si ab aliorū Catholica sententia deflecteret, cuius lucubrations hæreseos crimine notatæ fuerunt. Licet ipse per pœnitentiam in Calcedonensi Concilio fuerit Ecclesiæ restitutus. Epistolam autem ad Cæsarium prorsus falso nomine Chrysostrami ornari, & suppositam esse affirmamus: vt quæ nec illius operibus annumerata vnquam fuerit, nec quicquam cum eius catholicissima de hoc Sacramento doctrina habeat commune. Cuiuscumq; sit, siue antiqui, siue recentioris, hæretici eam esse non ambigimus. De Ioanne autem Scoto seu tenebris, nescio quibus, & Bertramo suo desinit iactare vana verba Volanus. Nisi repressa eius vanitas fuisset, non cessasset eius fraus capere imperitos. Scotum Ioannem turpissimum hæreticum fuisse, & paulo ante Berengarium sub Carolo Caluo vixisse, simulq; cum Berengario in Synodo Vercellensi, sub Leone nono celebrata, damnatum esse, ex Lanfranco, Berengario tunc etiam superstite, Vincentio Velbacensi, Antonino, & alijs pluribus con-

Kk

stat. Vn

Lanfrancus
cont: Bereng.
Vincentius in
speculo Hi-
stori.
Antoninus 2.
parte tituli: 16
cap: 2.

Lanfrancus
libr: cont. Be
rengarium.

stat. Vnde communis fama est, Scotum illum propter detestandum de figurali Christi presentia dogma, fuisse à discipulis stylis scriptoris confossum. Bertramum autem Catholicum fuisse, nec libri illius quem ei Volanus attribuit authorem extitisse certissimum est. In primis enim ex mutua collatiōe libri ipsius, cum libro Paschasi, qui vixit tempore illius Ioannis Scoti, manifestè constat: Paschasium opus illud suum contra hunc librū scripsisse. Cū igitur teste Lanfranco, Berengarius Ioannem Scotum laudauerit, Paschasium verò damnauerit: constat authorem istius libri à Paschasio impugnati, non Bertramum, sed Ioannem Scotum fuisse. Deinde si Bertramus librum hunc edidisset, procul dubio Paschasius, qui eius seculo vixit, eundemq; librum impugnavit, Bertrami nomini non percisset, ne quis tanti viri autoritate falleretur. Quare credibile est librum istum primum prodisse anonymum, ut cui autor non fuerit ausus nomen apponere, ne statim ad Ecclesiæ iudicium traheretur, sicut factū est cum Berengario. Deniq; vsq; ad Oecolampadium (qui primus hoc tempore librum hunc

Bereng

Berengarij nomine vulgavit) nullus Doctor aut hæreticus Sacramentariæ hæreseos notã Bertramo inussit: Ioannem vero Scotum plures & veteres hæreseos crimine insimularūt.

Ad vltimum autem impetum contra hũc Sanctorum fortissimum exercitum tentandũ, & mutationem hanc in Eucharistia expugnãdam, duo sibi seruauit tormenta Volanus.

Vltimus contra Doctores ictus, Figuræ & contẽptus

Figuras & contemptum. Figuratè sunt locuti, Sacramentali regula sunt interpretandi. Quod si fieri nequit, contemnuntur & abijciuntur. De primo hæc verba habet: ¶ Quæcunq; veterum abs te citabuntur sententiæ, vbi de mutatione & conuersione symbolorum verba faciunt, semper eas ad hanc lucem (ad figurarum sczt antra & latibula) reuocabo, vt quẽ dicendi modum in verbis Christi agnoscant, comonefaciam, nec substantialem, sed Sacramentalem eos mutationem, quam sacrae literæ docent, veteres agnoscere ostendam. Ad illam eos Caluini regulam reuocare vult, quam supra exhibilauimus, stultam & mulierculis dignam, cuius ne vestigium quidem in sacra scriptura de Eucharistia tractante, apparet: cum patres sancti profiteantur, virtu

te Spiritus sancti mutari substantiam panis,
 sicut aqua mutata est in vinum: nihil remanere
 substantiæ in oblati elementis: consecratione naturam
 panis mutari: virtute Spiritus sancti ex panis
 substantia corpus Christi efficitur. Miraculum facit
 verbo suo Christus, sensibilia ad intelligibilia transferens
 & cōmutans: Largitur & sufficit vim vitæ oblati
 elementis, conuertēs ea in veritatē propriæ
 carnis: panis per diuini verbi potentiam
 transmutatur in corpus: visibiles creaturas,
 verbi sui arcana virtute, in substantiam
 corporis sui transire facit: Panis supernaturaliter
 trāsmutatur in corpus, non in figurā
 corporis: & alijs vti positum est vocibus
 similibus, cum inquam vtuntur Sancti: Volanus
 vniuersalem affert solutionem: Sacramentali,
 inquit, Regula loquuntur: Signo nomen
 rei signatæ tribuunt. O stultitiā seipsam
 condemnantem, quam retulisse, refutasse est.
 Quomodo enim ex his Sanctorum vocibus
 colligi potest figurata propositio similis huic:
 Agnus Phasæ. cum non dicant: Panis est
 corpus, sed panis mutatur in corpus: substantia
 panis transit in corpus, & addunt: Verbo
 omnis

omnipotenti Christi, & Spiritus sancti virtute, quæ certè non frustra, sed ad summi & diuini operis miraculum adhibentur.

Supereft iam, vt alterum illud tormentum explodat ista misera & excæcata temeritas: ¶ Quia Augustinus, Heronymus, Ambrosius, & reliqui, certis & euidētibus testimonijs scripturæ suæ non probant: nihil valet eorum authoritas, sine dubitatione eam reiiciamus. Et iterum: ¶ Faceffant Damasceni, Theophylacti, Paschasii, Lanfranci, Hugones, Fulberti, Brunones, Anselmi, & tota ista posterorum scriptorum fæx, qui vnanimi omnes consensu synceram (hoc est Berengarianam) de Eucharistia sententiam oppugnauerunt. Octingentis iam annis fatetur aduersarius dogma transubstantiationis in Ecclesia Dei vigere: cum illud ducentis ante Berengarium annis iam extitisse agnoscat, & perpetua in Ecclesia successione durasse concedere cogatur. Quæ omnia octo ante acta secula condemnat, & ex illo ipso tempore de Ecclesia actum fuisse, eamq; falsa doctrina obrutam interiisse, iudicare conuincitur. Verum non octingenti solum, at mille quingenti anni ab eo tempore,

Octingentis
annos aduer
sarius dogma
ti transubstan
tribuit.

pore, quo Christus dixit: Hoc est corpus me-
 um: antiquitati & durationi huius diuini do-
 gmatris tribuendi sunt, vti iam probauimus.
 Qua fronte autem etiam octo seculorum do-
 ctrinam, & vnius consensus, vti ille dicit, ab
 omnibus Ecclesiæ Doctoribus traditam con-
 temnat, iudicet pius Lector. Faceffat potius
 Zuinglius, Caluinus, & Beza, Volani Magi-
 stri, quos recens hoc miserum peperit seculū.
 Non faceffant illi qui octingentis annis eos
 præcesserunt. Illorum doctrinæ talentū per
 octo ætates vti iste fatetur, tot ingeniorum
 totius orbis Latinorum & Græcorum, igne
 probatum & examinatum est: adeo vti de il-
 lis compluribus, dies eorum annuos celebrās
 Ecclesia decantet: In medio Ecclesiæ aperuit
 Dominus os eius, & impleuit eum Spiritu sa-
 pientię & intellectus: Istorum verò metallum
 primū nostra hac ætate ad ignem applica-
 tum, statim adulterinum apparuit, & a Con-
 cilio Tridentino reprobatur, damnatū, pro-
 iectumq; est. Illi in suspicionem hæreseos nū-
 quam sunt à quoquam adducti: hos totus Ori-
 ens & Occidens hæreticos esse proclamat,
 Hos & Græcia Schismatica his proximis an-
 nis per

Comparatio
 Hæresiarcha-
 rum cum an-
 tiquis Docto-
 ribus.

nis per Constantinopolitanum Episcopū hereseos redarguit: quod vel ex libro nuper in Latinum à viro doctissimo pietissimoq; Stanislao Socolouio, apud Regiam M. concionandi munere fungenti, traducto, Lector addisceset. Illi totius sanctitatis nomen ac famam tot annis in mētibus hominum fundatam retinuerunt: istorum verò etiam dum viuunt (mors siquidem plura eorū scelera detegit) vitæ impurissimæ maculæ infinitæ numerantur. Vnde quorundam iam nomen, horrendè etiam si adhuc superstites sint, apud omnes sordescit. Multorum ex illis doctrina miraculis & sanguine est obsignata: isti doctrinæ suæ pestem incæstibus, rapinis, sacrilegijs, & auaricijs cōfirmant. Illorum preciosa mors, vitæ eorum sanctitatem & innocētiam detexit: istorum pessimus exitus, sceleratos eos fuisse prodidit. Nam & Lutherus intempesta nocte, vbi benè cœnatus et potus somno se dedisset, morte subita extinctus est. Et Zuinglius in seditione, cuius ipse dux primus fuerat, cæsus: & Calvinus morbo pediculari exesus, interiè. Oecolampadius sub finem vitæ desperauit, & ignitis Sathanæ tepidis &

Græci Schismatici condemnarunt Hereticos nostri temporis

Vide Coclaui de Actis Luterei Dubitantium Lindani, Gabrielæ Proteflum & Hieronymū Bolsecum in vita Caluina.

lis & hastis confosus (vt ait Lutherus libro de missa priuata) subito periit. Quære ergo causam à Volano, optime Lector, cur octo seculorum Doctores, & illos inprimis, quos vocamus Scholasticos contemnat, & nouos istos nostri seculi hereticos, tanquam oracula recipiat? nihil aliud tandem inuenies quàm quòd illi transubstantiationem & alia Catholica Roman: Ecclesiæ dogmata, licet aliquorum non satis exulto, Latinæ linguæ eloquio defenderint: isti Ciceroniano melle diluta venena propinauerint. Apud illos est doctrinæ totius plenitudo: apud istos verborum phaleratorum studium. Illorum Theologia veritate armata, simplicis & honestæ sponsæ gerit habitū: istorū meretricius cultus omnem turpitudinem contegit.

Ad extremum nostros Catholicorum omnium veneratione dignos Doctores, turpissimis & nefandis onerat iste calumnijs, vt nos & sanctam Ecclesiam Dei, in acerrimum plebis odium adducat: vt ad reliquias templorū diripiendas, Sacerdotesq; trucidandos, impios quosq;, sicuti eius Magister Beza in Gallia fecit, alliciat. Audet illa de nobis asserere:

Testan

Testantur sacrilega hominum vestrorum
scripta, maiorē (salua tamen reuerentia Dei
Patris) minimi cuiusq; Sacerdotis, quā ipsius
Dei esse potentiam. idq; eo nomine: quod ni
mirum Deus intra sex dies vniuersam condi
dit creaturam: Sacerdos verò quinque pro
latis verbis creat ipsum creatorem. O vocem
scelestam & impiam, & excisione lingue me
ritò puniendam. Atqui tales sunt in Ecclesia
ista Doctores, & talibus sententijs omnes e
orum referti sunt libri. O tuam patientiam
Domine Deus noster. Hæcne docent nostri
Doctores? talibusne sententijs omnes Catho
licorū referti sunt libri? Quis hæc receptus
in Ecclesia Catholica Doctor cogitauit, non
modo scripsit? Ego verò nec legisse me vn
quam, nec etiam audisse fateor, (licet ab in
fantia Catholica religione imbutus, ad hanc
ætatem peruenerim) à quoquam dictum tā
blasphemum prodixisse, nisi ab hoc calumnia
tore hæretico. Cum non vnum, sed omnes
nostrorum libros talibus refertos sententijs
dicat, quare vnum saltem ex illis omnibus nō
protulit? In se ergo illam de excisione lingue
sententiam, iuxta Talionis legem conuertat.

Cum enim nec librum nec authorem profert, hoc ipse confinxisse credendus est, & ipse se tam nefandę impietatis authorem probat. Talibus isti Sanctos Doctores calumnijs onerant, vt à lectione eorum animos hominum auertant, & se semper in mendacio spem ponere, & per tales nugas sua promouere vel se ostendant. Probatum est ergo, qua integritate & candore, in Doctorum sententijs tractandis vtantur, quo loco eos haberi velint, & quantis conuitijs exosos omnibus, vt & veritas quam in eis Christus ipse prædicat illis sit exosa reddere conentur. Iam ad decimam eorum imposturam veniamus.




Caput De

CAPVT DE CIMVM.

Manducare se reipsa & verè corpus Christi per fidem, & spiritualiter dicunt: hanc autem realem manducationem, ad meras præstigijs reducant, vnde multæ eorum fallaciæ & contradictiones deteguntur, & ex Sacramentali & corporali manducatione arma contra eos depromuntur.

Ars Decima,
de Manduca-
tione.



NOtantur quidam ab Apostolo hisce verbis: *Nemo vos seducat volēs in humilitate & religione Angelorū, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenēs caput &c.* quæ in Calvinistas istos apertissimè congruūt. Nā cum homines ex spiritu & carne concreti, nō Angelorum, sed suum proprium, Deum colē di modum habeāt: nec spiritu solo, sed & corpore rebusq; corporeis religionem profiteantur, & illis ad veritatem confessionis exprimendam, & ad torporem spiritus excutiendum, & feruorem excitandum, ad obliuionis & intermissionis remediū, vti, habeāt necesse: Volanus cum suis Zuinglianis Angelorū religionem instituit. Solo spiritu & fide desixum se esse in cœlo; nihil sibi esse in Dei cultu cum

Angelorum
religio vsur-
patur à Zuing-
lianis.

Humana rell-
gio eget adiu-
mentis excep-
tis,

tu cum corpore & rebus externis communer:
 non se egere in terris Sacramento, cum extra
 illud fide in coelum sublatus, atq; Sacrarium
 coeleste ingressus (extra corpus an in corpo-
 re nondum constat) possit corpus Christi
 māducare, gloriatur: & tam factu facile hoc
 sibi esse putat, quā idem facile verbis elo-
 quitur. Nos verò, qui non spiritu tantum,
 sed & corpore seruiamus Deo, & corporeis vo-
 timur diuinitus traditis Sacramentis, & alijs
 conspicuis ad iumētis nostrum excitamus fer-
 uorem, carnales belluas appellat, cum gracu-
 lis & bestijs comparat, & crassis cogitati-
 onibus ab intelligentia rerum diuinarum im-
 pediri conuiciatur. Proficiat illis tam alta, su-
 blimis & eleuata rerum diuinarum contem-
 platio. Non inuidemus, si vera est: imò gra-
 tulamur, Si carne adhuc eadē nobiscum cir-
 cumsepti, beatorum Spirituum perfectionē
 consequuntur, gaudeant. Ceterum vbi ex fa-
 ctis non ex verbis metiri eos cœperimus: nō
 tantum frustra inflatos sensu carnis suæ, nec
 ullius disciplinæ & regiminis per nexus hie-
 rarchicos tenentes caput: sed hanc eorum
 Angelicam & spirituales religionem omnes
 fœdos.

Ex factis non
 ex verbis me-
 titus est ad-
 uersariorum
 animus.

foedus fructus carnis & dissolutionis parere, vereq; totam esse carni & rebus terrenis immerfam probabimus. Si enim ab eis quæras, quodnam tempus dent colendo Deo, & huic cœlesti contemplationi? quæ spacia dierum & noctium impendant? quàm crebro in adoratione numinis procumbant? quando luceant peccata? quando examinent & per confessionis Sacramentum purgent conscientias? quando carnis afflictationes, ieiunia, vigilias, & huius generis, ad carnem spiritui subiiciendam vtilis castigationes assumant? quando pijs & misericordiæ operibus se dedant? responsum promptum in lingua habent se corde & spiritu ad Deum eleuatos, hoc facere quotidie, & sine vlla intermissione. At cum ingenij humani acies continua rerum diuinarum exercitatione & contemplatione frangatur, ac relaxatione indigeat, multasq; in rebus externis ad suam suorumq; tuendam vitam, necessarias suscipiat occupationes: cum præterea cernamus illos ferè quotidie potestare, conuiuari, somno longissimo, voluptatibus & genio indulgere, ac in rerum seculi huius domesticisq; curis immergi: aut non

Semper pro
nunquam a-
pud Caluini-
stas,

posse hoc illos, quod sibi impudenter arro-
gant, semper & continuè facere: aut semper,
loco Nunquam, accipiendum esse cogitemus.
Hoc vltimum verum esse, ipsa facta & occupa-
tiones eorum, maxima ex parte confirmāt.
Maiorem neglectum & contemptū religiosarum
& piarum actionum: studiosiorem car-
nis & rerum carnalium curā: insolentiorē
disciplinæ & legum Ecclesiasticarum ciuili-
umq; dissolutionem: magis effrenem ingeni-
orum & cupiditatum libertatē: tot crapulas,
ebrietates: incæstus, adulteria, vsuras, rapi-
nas: tantam auariciæ turpitudinem: tantam
in litibus, calumnijs, cædibus, fraudibus inso-
lentiā, nullibi hoc seculo vberius, quàm in-
ter istos Angelicos & spirituales reperias. Ex
hac Angelorū religione, tenebrarum omniū
opera passim inter eos radices agunt. Ad quo-
rum irrigationem illam Calvinisticam, que
ex ore Volani auditur, adhibent pluuiam:
Deum ipsa peccata operari, vt æquè opus ei-
us sit proditio Iudæ, atq; conuersio Pauli: so-
la fide acquiri iustificationem: se ita certos esse
se de remissione peccatorum suorum, atq; cer-
tum est Deum esse in cœlo; Prædestinatis de-
niq; ni

niq; nihil obesse peccata, Sed de his alijs. Num
 quæ sit hæc eorū spiritualis & Angelica cor-
 poris Christi manducatio: quis in cælum a-
 scensus, vel quis potius deorsum descensus,
 quantas hac in re venditent præstigias: quot
 circulatorum imposturas inuehant: quantis
 contradictionibus inuoluantur, excutiamus.
 Stupebit pius Lector, & hisce laqueis homi-
 nes rationis compotes capi posse mirabitur:
 vbi resectis phaleratis eorum verbis, strictim
 & punctim, sicut veri indagatio requirit, cū
 eis dimicatio fuerit suscepta.

Ad cognoscendas exactiùs eorum circa
 hanc manducationem præstigias: quæramus
 ab eis quid nam manducent? quo modo? &
 quo in loco? Si primū scire velimus: aduerte,
 mus leuitatem ad fallendum compositam: qui
 vt plurimum Christum se manducare, cor-
 pus autem Christi non nisi adacti confiten-
 tur. Idem Christus, inquit Volanus, tam in
 ministerio verbi, quàm in Sacramētis offer-
 tur, & in salutem vnico fidei instrumento mā-
 ducāndus omnibus proponitur. Quod ideo
 faciunt, vt eandem presentiam Christi adesse
 sibi probent, qua antiqui prius quàm caro
 Christi

Cur Zuingli-
 ani Christum
 se & nō cor-
 pus Christi
 māducare vt
 plurimum di-
 cunt.

Christi prodisset ex virgine fruebantur: & ut ad diuinitatis potius quam ipsius corporis præsentiam, suam manducationem referant. Quod est fraudis peruersissimæ: nec enim diuinitatem eius, sed corpus propriè manducamus. Et licet constantissimè profiteamur, vbi sit corpus Christi, ibi esse ipsum totum Christum & eius diuinitatem: tamen ex institutione Sacramenti, corpus Christi habere nos præsens, & illud manducare dicimus, nec deludi nos à Calvinistis patimur, qui Christum vbiq; se suis communicantem, & in fidelibus per fidem habitantem, manducare se iactitât. Hanc enim manducationem ad diuinitatem & Spiritum Christi, qui vbiq; est, cum tamè corpus eius certis contineatur locis, reduci cautus, & in dolis eorum discernendis, prudēs cognoscit.

Sed cum vrgentur, corpus & sanguinem Christi peculiari ratione nobis ad manducandum in Eucharistia (licet & ibi ex connexionone rerum sit ipsa diuinitas) datum esse: ne præsentiam eius, quam solo cœlo includunt, videantur admittere, quiddã ex corpore Christi alimenti manducare se affirmant: ¶ Nôs inquit

inquit Volanus, fidem in cœlum vsq̃ attollētes, viuificum spiritualis vitæ, totiusq̃ interio-
 ris hominis alimentum ex corpore Christi percipimus. Iam non corpus, sed alimentū
 ex corpore percipere se dicunt. Si Volanus Magistri sui Caluini illa somnia, que de abstractione substantiæ à Christi carne & eius efficacia & vigore, de canali & de fluuio Spiritus ac carnis Christi de cœlo, de vitæ inspiratione & haustu tradidit, intellexisset: & tam acutum ad tegendas fraudes ingenium nactus fuisset, plura huiusmodi deliramenta ab ipso & clariora audissemus. Ad tantam deuoluuntur dementiam, vt non carnem Christi, sed virtutem quandam & substantiā abstractam ab eius carne, quæ ipsa solo cœlo continetur, manducare se dicunt. Quæ omnia præstigiosa & Diabolica contra veritatem dicentem: Hoc est corpus meum, sine vlla sacrae scripturæ authoritate cōmentata, quis sanus receperit? Nihil ergo miseri isti definiunt, quidnam in sua cœna manducant. An Christi diuinitatem, an ex corpore eius abstractam substantiam, an ipsum corpus: nesciunt tandem, & absurdis repugnantibus sibi sen-

Aliquid ex corpore Christi promanās manducare se dicunt.

Quomodo
manducant.

Quid sit spi-
ritualiter mā-
ducare, &
quod modis
accipiatur.

Spiritualiter,
hoc est inui-
sibiliter.

tentis irretiuntur. Quod si alterum illud in-
dagare cupias, postea quam hoc ab eis extor-
feris, manducare illos Christi corpus & bi-
bere eius sanguinem: quo tandem modo id fa-
ciant? Respondebunt: Spiritualiter & per fi-
dem. At in his verbis amphibologiarum est
sylua, ad fraudem contegendam. Excutiamus
ergo sensus, qui sub hac voce, Spiritualiter,
latere possint. Hoc enim nempe spiritualiter
māducare, triplici modo accipi posse videm^r.
Nam vel spiritualiter, idem est quod inuisibi-
liter: vel idem quod desiderio spiritus & vo-
to: vel deniq; idē quod spiritu solo, ac anima
& nō corpore māducare. Si primo modo, hoc
est, ab oculorum sensu aliena ratione, fumere
se corpus Christi fateantur: hoc eis libenter
concedimus: modo nobis verè & re ipsa hoc
fieri concedant. Nam nec Angelos, nec ani-
mas nostras, quæ sunt Spiritus videmus: ta-
men & Angelos verè quandoq; nobiscum es-
se, & animam in corpore non minus itidem
manere verè agnoscimus. Ita & corpus Chri-
sti licet manducantes oculis non spectemus,
tamen verè illud præsens esse credimus. Nam
& amaram medicinam opertam aliquo dulcis
cibi ve

cibi velamine, ita vt eam nec videat nec de-
 gustet æger, accipit: verè tamen & ipsa re
 accipit & manducat. Quodsi inuisibiliter, hoc
 est in phantasmate non in re, in somno non
 in facto interpretentur: fraudes corū & præ-
 stigiæ excludantur. Quas tamen Volanus ob-
 trudit dicens: ¶ Reali & corporali manduca-
 tioni in Sacramēto, nullus est relictus locus. ¶
 Si illa inaspectabilis manducatio, neq̃ est re-
 alis, neq̃ ita spiritualis, vt ad realem diriga-
 tur, non est manducatio sed phantasma: ergo
 est impostura, & hanc eorum interpretatio-
 nem illa verba recipiunt, spiritualiter man-
 ducamus: hoc est nihil manducamus: vide-
 mur manducare, sed rei nihil est, cum reali
 manducationi corporis Christi nullus sit in
 Sacramento locus. Ergo Christum Dominū
 nostrum facit præstigiatores, qui dixit:
 Manducate, Hoc est corpus meum: ad cibum
 qui non est re ipsa, inuitauit: ergo seduxit:
 O blasphemias nulla patientia dignas. Sed
 dicit contrarium Volanus: ¶ Quod verbis
 Christus dixit, re ipsa præstitit, nec vanis e-
 os ludificatur promissis: accipiunt ergo re i-
 ipsa corpus Christi. ¶ Dicit, sed fictè, & vt se

Spiritualiter,
hoc est phan-
tasticè.

Impostura.

Contradictio
aduersarij.

M m ij

pugna

pugnare secum ostenderet, & dolos alijs moliretur, non aliter atq; circulator, qui ostentum & phantasma rei spectatoribus obtrudit, rem autem ipsam non exhibet, vt suae vanitatis & falsitatis dolis, alijs imponat. Idē est enim apud istum re ipsa quod in phantasmate, somnio, & mendacio. Quando profert, re ipsa manducamus: ita est interpretandum, imaginariē & delusoriē. Tanta est apud istos doctrinae & professionis constantia. Porro si spiritualiter sumant pro eo, quod est, vt ipsi vocāt, mysticē et in figuramā ducare, sicut signatum sumitur in signo: ad vacuas & Mosaicas reuoluuntur figuras, & manducatur id quod non est. At Patres, inquit, Mosaici sic manducabant in manna. Concedimus: sed ideo iuxta Apostolum, in figura omnia contingebant illis. Umbras illi rerū, nos res habemus ipsas. Ibi nondum erat Christi corpus natum, ideo q; nec re ipsa poterat manducari, sed in figura tantum & desiderio per fidem. Nobis iam natum est, & pro nobis crucifixum ac immolatum, ideo illud re vera ab ipso Christo nobis praebetur manducandum. Iam vero si spiritualiter corpus Christi man-

Spiritualiter;
hoc est in signo.

sti manducare, hoc est desiderio & voto, vbi ^{Spiritualiter,} ^{hoc est deside-} ^{rio, & affectu} ^{& voto.}
 realis corporeq; in Eucharistia manducati-
 onis facultas deest, dicamur: talem etiam mā-
 ducationem admittimus, eamq; & antiquis
 Patribus fuisse communem, & illis nunc eti-
 am fidelibus, quos aliqua necessitas à Sacra-
 mento & oris manducatione excludit, agno-
 scimus. Tales enim per fidem accensum ha-
 bentes desiderium, & spiritus feruore ad Eu-
 charisticam Sacramentalem realemq; illā o-
 ris manducationem, quam assequi nequeunt
 in fide Ecclesiæ suspirantes, fructu percepti-
 onis nequaquam priuantur: qui Sacramentū
 ipsum non contempserunt, sed necessitate co-
 gente suscipere illud intermiserunt. Sicut ac-
 cidit Catechumenis adultis, qui dum fide in
 desiderium consequendi Baptismi feruntur,
 & illum morte occupati non consequuntur,
 regenerationis & gratiæ, quæ per Baptismū
 confertur, sunt participes. Hoc idem fit in il-
 lis, qui vera contritione præditi, absolutio-
 nis Sacramentū voto & summo desiderio ex-
 petunt, sed vbi illius facultas non datur, fru-
 ctum ipsius realis absolutionis in fide Ecclesiæ
 consequuntur. Hæc autem nostra in defectu

Spirituale in
voto Sacra-
menti mādu-
cationem nō
habent Calu-
nistæ.

Sacramenti & sanctorum Patrum in lege ve-
teri corporis Christi sumptio, nihil habet
cōmune, cum ea quam per fidem imaginan-
tur Caluinistæ. Illi enim spirituales suā man-
dicationem actum solius fidei esse statuunt,
& realem ac ore ipso fieri solitam in Sacramē-
to susceptionem Christi corporis excludunt,
nec fidem manducationis per votum & desi-
derium ad Sacramentū ipsum, de quo nihil
simile sentiunt, referunt: sed eam prorsus so-
la fide perfici, sine vlla ad Sacramentum rela-
tione arbitrantur. Nec talis eorum mandu-
catio cum Patribus Mosaicis conuenit, nam &
illi in manna reale Christi corpus non habē-
tes, ad nostram Eucharistiam, in qua re ipsa
corporaliter, oreq; ipso sumendum erat, fide
inflammatum desiderium, referebant. Ideo
Caluinistica hæc (vt illi putant) spiritualis
manducatio, nullum fructū realis ipsius sum-
ptionis quam prorsus abnegant, in illis pro-
ducit. In Sacramento enim nihil esse præter
nuda signa & panem merum profitentur, &
vno eodēq; modo extra Sacramentū sicuti in
Sacramēto Christi corporis se participes esse
contendunt. Ideo vana prorsus & omni vti-
litate

litate destituta, iudicanda est eorum manducatio. Cæterum quod de illis, qui fructus Sacramentalis et corporalis manducationis per votum & desiderium, ab ipso exclusi Sacramento, fiunt participes, diximus: ita est accipiendum, ut ipsam realē corporis Christi manducationem nequaquam habere iudicentur. Nisi ita insanire velint Calvinistæ, ut prodigum illum filium, cum spiritu feruentis compunctionis premeretur, & in illa verba prorumperet: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor: iam tum in domo paterna fuisse epulatum, & vitulum saginatum comedisse, asserere velint. Hinc illud D. Augustini facilem habet responsionem: Quid paras dentē & ventrem, crede & māducasti. De tali enim manducatione quam descripsimus locutus est quæ fit voto & desiderio, ubi Sacramentum ad quod tota mens refertur, haberi nequit. Ideo premisit illa verba: Quid paras dentem & ventrem? quibus ad illam Sacramentalem manducationem, quæ ore fit, de qua nihil Calvinistæ sentiunt, suspirare talem hominem cui deest Sacramentum, innuit. Nec ta-

men de

Per votum
manducare
spiritualiter,
non est reali-
ter manduca-
re.

Lucæ 15.

men desiderio illo ex fide concepto, ipsam realem perfici manducationem asserit D. Augustinus, sed fructu eius non priuari confirmat eum, qui non contemnit Sacramentum: sed vehementer & ore ipso māducare in illo corpus Christi si posset exoptat.

Spiritualiter,
hoc est solo
spiritu & nō
corpore man
ducare.

Si verò tertio modo spiritualiter, hoc est spiritu solo & anima non corpore manducare se corpus Christi dicant: magis videbuntur desipere. Quis enim vnquam animam & spiritum verè comedere putauit? vnde animæ sine corpore, oris, dentium, lingue, palati, ad vescendum instrumenta? Ideo apud Tobiam Angelus nunquam se cibum summisit, licet comedisse visus sit profiteretur, quòd alius illi à nostro corporeo esset cibus & facietas. Dominus item noster, ad probationem veri corporis post resurrectionem, cibi sumptionem adhibet: vt eam quæ à nudo spiritu nequaquam perfici verè possit. Quomodo ergo cum veritate consentiet illud Christi dictū: Accipite & manducate: Hoc est corpus meū: si solam animam quæ nunquam verè & propriè manducat, hoc facere iussit? an non prestigiosam & fictam instituisset (quod tamen ne fas

Tobiaz 12.

Lucæ vltim.

nefas est cogitare) manducationem? At nō animam solam vesci suo corpore, sed integrū hominem præcepit, cū & homo corpore sit præditus & res ad sumendum corporea præberetur, caro sczt Dei nostri. An solæ anime sunt membra Christi, & non etiam corpora, iuxta Apostolum, quæ ipsa carne Dominica vescuntur? Qui manducat, inquit, meam carnem, in me manet & ego in eo: Si sola anima manducat, sola in Christo manet, homo autem totus excludetur? Sed hæc paulo post vberius: nunc videamus quomodo non tantum spiritualiter, sed fide sola manducare se dicant Christi Domini corpus.

Christus veram & corporealem instituit manducationem.

1. Corint: 6.

Ioann: 6.

Cū fide se manducare profitentur, non minores præstigias, nugas, & amphibologias sensusq; inter se pugnantes inuehūt. Nunc quidem fide, hoc est recordatione sola passionis Christi percipere se eius corpus, nunc vero defluuio spiritus & substantiæ corporis Christi, quasi solis radiorum ad terram, per fidem deductione: nunc iterum ascensu fidei suæ in cælum hoc fieri, commentis suis vanissimis tradunt. Nam quis sanus hoc illis concesserit, idem esse passionis Christi per fidem

Quid sit fide manducare:

Nn

recoꝛ

Non est idem
credere quod
manducare.

recordari aut credere, quod manducare?
Cum alterum animo fiat, alterum corpore,
& ipse Dominus distinxit vtrumq; disertè,
dicens prius: Accipite & comedite. & postea
subijciens: Hoc facite in meam commemora-
tionem. Nec dixit: Credite & iam comedi-
stis, sed nulla facta fidei mentione (fideles en-
nim erant Apostoli, & Christi verbis omni-
bus credebant) illud quod porrigebat edere
iussit. Præterea si sola fides sufficit vt man-
ducetur Christus, quatuor absurda maxima
inde consequentur. Primū est diuinitatē Chri-
sti propriissimè māducari, imo multo magis
proprie quàm corpus Christi, siquidem fi-
des primariè fertur in diuinitatem. Id autem
non solum damnatur à Concilio Ephesino, vbi
decernitur diuinitatem non manducari;
sed carnem diuinitati coniunctā: *Non est enim*
(ait Concilium) *esibile verbum.* verum etiam ap-
pertè est contrarium verbis Seruatoris. nec
enim is dixit: Accipite & comedite, hæc est
diuinitas mea, sed Hoc est corpus meum: nec
dixit: qui manducat meam diuinitatem, sed
qui manducat meam carnem. Alterum est,
impiè fecisse sanctū Cyprianum & plerosq;
alios.

Concilium
Ephet: in E-
pist ad Nez-
itorium.

alios Patres antiquos, quod Eucharistiam in
fantibus sumendam præbuerint, qui tunc nul-
lum fidei actum exercere volebant. Tertium
eosdem veteres Patres, impudenter ac teme-
rè Catechumenos & pœnitentes, non solum
ab esu, sed etiam ab aspectu Eucharistiæ ar-
cuisse, cum isti ardentius sæpè per fidem feri-
rentur in Christum quàm cœteri. Postremū
est, nullam inueniri posse indignam Eucharis-
tiæ manducationem, nullum quæ posse reū cor-
poris & sanguinis Domini existimari: vbi e-
nim fides, vt vos asseritis Christū completis-
tur & reueretur, nulla indignitas aut culpa
intercedere in sumptione potest. Si autem
hæc fides absit, iam non erit indigna, sed nul-
la prorsus manducatio: siquidem deficiente
fide, deficere manducationem hanc spiritua-
lem, quā solā Zuingliani statuunt, oportet. At
Apostolus verbis disertis tradit aliquam fieri
indignam carnis Dominicæ manducationem:
quare propter spiritualem sumptionem ne-
cesse est aliam statuere, quæ fieri possit indi-
gnè. Respondent aduersarij, culpam contra-
hi non ex indigna Domini corporis perce-
ptione, sed ex violatione signi in pane existē-

tis, & indigna figuræ comestione: sicut ille
 qui vestem aut imaginem Principis malè tra-
 ctat, in Principem ipsum iniurius existit. At
 verò hunc sensum alienissimum esse ab Apo-
 stoli verbis, ac mente, hæc quatuor, quæ subij-
 ciam, manifestè conuincunt. Primum quidè,
 quoniam Apostolus crimen statuit non in vi-
 olatione figuræ, sed in eo, quod cibus qui e-
 ditur, non diiudicatur esse corpus Domini,
 vel quod idem est, nō ita suscipitur sicut cor-
 pus Domini suscipi par est: Deinde, quia pec-
 catum indigne sumentium comparat pecca-
 to crucifigentium Christum: *Reus, inquit, est
 corporis & sanguinis Domini.* Quis autem vnquam
 eum qui imaginem Regis indignè attigerit,
 seu contrectauerit (præsertim si id non data
 opera faciat, vt in Regem ipsum iniurius fiat:
 sicut reuera Corinthj illi indignè sumentes,
 non eo animo ad Eucharistiam accedebant,
 vt Christo Domino contumeliam inferent)
 perinde peccare asseuerauerit, ac si ipsummet
 Regem occideret. Certè hoc loco Zuingliar-
 ni plus imaginibus defferunt quàm nos ipsi:
 cū n̄ interea sint earum nefarij demolitores.
 Adhæc quoniam ad meras figuras suscipien-
 das, vt

das, vt ad manna manducandum, aquam ex
petra bibendam, nusquam Deus legitur spi-
ritualem puritatem & conscientiae examen
requisisse: ac licet aliqua culpa committere-
tur per indignam figurarum susceptionem,
quis tamen vnquam dixerit eos, qui manna
aut panes propositionis indignè susceperunt,
corporis Christi violati & interfecti crimen
admisisse, & damnationē incurrisse: Ad ex-
tremum, quoniam ratio Apostoli quare in-
dignè accedens iudicium sibi manducet & bi-
bat, est illa, quia id quod editur & potatur,
non tanti aestimetur quanti aestimandum
esset corpus Domini: neq; cibus iste tāquam
verum Christi corpus à cæteris alimentis
discernatur. Hoc enim significant illa verba,
Non diiudicans, seu (vt Græcè habetur)
Non discernens corpus Domini. Præterea si
tantum spiritualiter per fidem manducaretur
in cœna Christi corpus, nunquam Apосто-
lus probationem animi & diiudicationem, an-
te sumptionem requireret. Siquidem proba-
tio ipsa, si ritè fiat, spiritualem illam mandu-
cationem includit, nemo enim se satis pro-
bat, nisi fide Christum amplectatur, & pur-

gato animo in ipsum feratur. At Apostolus in hac probatione, & fidei exercitatione non subsistit, sed eam tanquam præparationē ad alium excellentiorem esum, quem in cœna Christus instituit, exigit: aliam ergo expressiorem & veriorem corporis Dominici sumptionem Apostolus tradit. Spiritualis enim manducatio, nullam antecedentem probationem requirit, cum sit ipsamet probatio. Deniq; ex Sacramentariorum sententia euidenter sequitur, non magis re ipsa sumi à nobis corpus Christi, quàm si in rerum natura nusquam extaret. Omnes enim vno consensu affirmant carnem Christi neq; in Eucharistia præsentiorē esse, nec à nobis præsentius attingi, aut magis comedi, quàm solita fuerit à Patribus per fidem, antequam Christus nasceretur. Quid item dicam de istorum horum defluuijs, & deductione substantiæ Christi corporis de cœlo, per canalem fidei suæ, de quibus Volanus Magistrorum suorum vix audet proferre mysteria, vel quod ipsa forsitan contemnat, vel non intelligat. Illud libro priore ex eadem Schola protulit: Tantā esse vim & potentiam Calvinisticæ fidei, vt
res ab

res absentes faciat presentes, atq; adeò licet sic corpus Christi absens, per fidem tamen eorū est illis præsens. O præclaram præsentiam, culicem vnum sua fide præsentem sibi non facient, corpus autem Christi facere poterunt. Quod si hoc Spiritus S. opera fieri asserunt, cur id etiam ad suam fidem sacrilega impietate referunt, & insuper Spiritui sancto præstigiola opera tribuunt? quandoquidem nullam prorsus realem & naturalem præsentiam, nec in terris, nec in Sacramēto corporis Christi agnoscant. Vnde illa promanarunt Volani verba: ¶ Naturalem corporis Christi præsentiam in terris absentem esse, verè prædicamus. ¶ At fides vestra facit præsens hoc idem corpus. ergo simul est & non est præsens, & duo oportebit esse Christi corpora, aliud naturale, aliud phantasticum. Tale fides eorum facit sibi præsens, phantasticum scet delusorium, & præstigiosum. Hoc igitur eorum fidei concedamus. O stupendam blasphemiam temeritatem. Quod nos potentissimo Christi verbo & diuinitati, per quam nobis ex substantia panis, Christi verum & naturale corpus efficitur, tribuimus: hoc illi suæ fi,

Fide corpus
Christi non
efficitur vt sic
in Sacramēto

Contradictio
aduersarij.

suæ fidei, quæ tamen mera est perfidia & præ-
 stigiatorum dolus, malunt tribuere. Si enim
 quæras, quod ergo corpus Christi vestra fi-
 de facitis vobis præsens. Respondebunt: Nō
 naturale illud, Hoc enim esse absens oportet.
 Quodnam igitur? Id solū supererit, vt as-
 serat imaginarium & phantasticum. Habeāt
 sanè tale, vt & imaginariam & phantasticam
 salutem consequantur. Sed de ascensu fide-
 eorum in cœlum (vt simul & tertium illud,
 quod quærare ab eis constitueramus, vbinā
 corpus Christi manducant expediamus) re-
 stat considerandum, an magis appositā suorū
 Magistorum habeant figmenta. ¶ Nos, in-
 quit aduersarius, Apostolo teste, conuersatio-
 onem nostrā in cœlis esse, scientes vnde Sal-
 uatorem nostrum expectamus Iesum, sic illi
 pascendas offerimus animas nostras, vt non
 in istis terrenis elementis subsistamus, sed si-
 dem in cœlum vsq; attollentes, viuificum spi-
 ritualis vitæ, totiusq; interioris hominis ali-
 mentum ex corpore Christi percipiamus. ¶
 Et infra: ¶ Omnia spiritualia & cœlestia in
 hac cœna peraguntur, non in terra amplius
 consistimus, sed subito in cœlum transferi-
 mur.

Vbi mandu-
 cant corpus
 Christi Zuin-
 gliani,

mur. ¶ Et iterum: ¶ Nulla est alia causa cur
corpus Christi verè præsens in cœna sua pro-
fiteamur, & nihilominus fidem in cœlū per-
cipiendi huius gratia erigendam docemus: ni-
si quòd hæc cœna tota est spiritualis & my-
stica. ¶ O inauditas contradictiones & por-
tenta verborum execranda: verè inquit præ-
sens in cœna corpus Christi profiteamur, & ta-
men ad illud manducandum in cœlum trans-
ferimur. Si præsens est in cœna vestra Zuin-
gliani, Christi corpus, quam ob causam igitur
migratis in cœlum? Si non est (non esse
autè ista vestra migratio loquitur) quamob-
rem illud esse & verè manducari confingitis?
Sed nota, bone Lector, Iudæ verba. Non di-
xit: Profitemur Christi corpus esse præsens
in cœna nostra, quæ in terris fit: sed in cœna
sua, hoc est Christi cœna, quæ in cœlo est,
Christi corpus est præsens in sua cœna: hoc
est in cœlo. Vide dolos per hoc reciprocum
verbum, eludunt miseram plebem, & quos-
dam etiã imperitos Ministros: qui putant illos
asserere Christi corpus esse præsens in sua cœ-
na, hoc est in Sacramēto cœnæ, quod Christus
in terra instituit. Quare & suo quoq; libro

Contradictio

Imposituræ.

Præsentia
qualis Calui-
nistis.

similem titulum præfixit : De vera præsentia
corporis Christi in sua cœna. Sed capitur &
deluditur misera Zuinglianica turba à suo
Magistro, deluduntur & iili Lithuaniae Pro-
ceres, Palatini, & Castellani, quorum aliqui
vix legere nouerunt, pleno tamen ore verè
suos Magistros & Volanū asserere affirmāt,
præsentiam corporis Christi statuere in cœ-
na. Non percipiunt dolos, quibus Christi cor-
pus esse verè præsens in cœna sua, idem isti
volunt quòd esse præsens in cœlo. Vnde ergo
probabunt, Christum duas cœnas Eucharistia-
cas instituisse, alteram in cœlo, alterā in ter-
ra, in Sacramento? In terrena est panis inquit
unt, in cœlesti est corpus Christi: ad quod
comedendum ascensus in cœlum est ne-
cessarius. Iam ergo declarent nobis, ascen-
sus iste qualis est, quæ eorum trãssatio in cœ-
lum? Si speculatione tantum ascendunt, As-
tronomorum sydera, eorumq; motum contē-
plantium more: non est iste verus in cœlum
ascensus, sed meditatio à mente profecta.
Qualis itaq; ascensus, talis est & manducatio
corporis Christi, imaginatione non re, talis
& satietas, apprehensione non ore. Habeat
talem.

Ascensus Vo-
lanticus in cœ-
lum qualis.

talem Volanus aulicus à longè quandoq; do-
 minorum suorum mēsis apponi solitos cibos
 prospectans. Vtrum huiusmodi sumptionem
 Dominus, qui replet in bonis desiderium no-
 strum, in Eucharistia instituerit, iudicet mēs
 fidelis. Si verò re ipsa ascendunt in cœlum &
 illò transferuntur, quando ad suam synagogã
 gregatim cœunt: videant ne magicis & ne-
 cromanticis tum vacent artibus, & à spiriti-
 bus atris in cœlum rapiantur. Quodsi omnes
 ad suam cœnam congregati trasferuntur in
 cœlum, vt ibi corpore Christi pascantur: di-
 cant, an in corpore, an extra corpus? an au-
 diant arcana verba, quæ non est fas homini-
 bus loqui? Quodsi dicent, per fidem & con-
 templationem hanc fieri trãssationem & a-
 scensum: ergo non per rei ipsius veritatem.
 Qualis igitur ascensus iste & manducatio?
 Non est hoc officium fidei, nec ea potestas re-
 ipsa ascendere in cœlum, cum fides sit animæ
 accidēs, nec sine anima ascendere, vel quoquã
 descendere possit: sed eius potius est munus
 credere iis, quæ Deus dicit, & absentia vel oc-
 culta ita prospectare, vt non dubitet esse cer-
 tissima, ad illa q; suis modis consequenda, pi-

Necromanti-
 cus ascensus.

2. Corint: 12

Officium ve-
 ræ fidei.

am voluntatem impellere. Nostra fides re ipsa nos minimè trasfert in cœlum, vt ibi diuinum corpus sumamus: sed ad eius diuina verba & omnipotentiã, cui omnia factu sunt facillima, æquè in cœlo ac in terra, credimus firmissimè in Eucharistia verū esse, quod dixit, & nunc per os suorum Sacerdotum dicit: Hoc est corpus meum, & quod panis substantiam in suum diuinissimū conuertat corpus: quo circa & præsentem ipsum in Eucharistia confitemur. Cùm autem ori nostro dignissimum hoc corpus admouemus, iam non tantum fide illud concipimus, sed re ipsa eodem reficimur. Cùm enim oculorum munere fungatur fides, quemadmodum cibus oculis spectatur, sed non oculis comeditur: ita fide quidem apprehenditur & conspicitur, sed ore ipso formis alienis contactum manducatur Christi sacrosanctum corpus. Neque illud ideo est re ipsa in nostra Synaxi, quia præsens esse credimus, cùm nostra fides eius non operetur præsentiam: sed quia ille dixit, & factum est: ille voluit et formatum est, qui potest omnia: ipsum operantem hæc nostra mysteria profitemur: Nos, vti quidam Sanctus dixit, Ministrorū.

nistrorum officio fungimur, qui autē ea san-
ctificat & immutat ipse est. Quod autem nos
quasi terrenis rebus & elementis inhærentes,
nec in altum volantes, graculis, se ipsum au-
tem aquilæ, quæ ad nubes vsq; volitat com-
parat Volanus, iniquè facit. Nam nos in ter-
ra constituti, altissimas nubes fide nostra pe-
netramus, & illo vsq; pertingimus, quò sequi
nos Calvinista iste oneratus sensibus & eorū
iudicio non potest. Christi verbis non pro-
prijs sensibus: Christi diuinæ potentia, non
nostræ imbecillæ rationi: Christi cœlesti do-
ctrinæ non terrenis adhærentes commentis,
credimus, verum & naturale ipsius corpus est
se in Eucharistia. Sequatur nos Volanus ad
hoc altissimum sublimis fidei cœlum & perfe-
ctionem, nubes omnes intellectus, sensuum
tenebras & rationum terrenarumq; cogitati-
onum caliginem præteruolet, si aquila est.

At noctuam se prodit, oculos noctuæ ad hoc
verborum lumen, Hoc est corpus meum, sen-
sus scet adhibet, & mox à luce veritatis ad fi-
gurarum latibula & cauernas resilit: panem
cogitat: supra panem se erigere nequit: quia
panis accidentia videt & gustat. Illis igitur

Oo iij

ip[s]is.

Chrysostomus
vt supra.

Non Catho-
lici sed Zui-
ngiani sunt
graculi, imò
ranæ terræ,
tantum adhe-
rentes.

Volare Vola-
nus non po-
test, nec no-
stram aquilā
sequi.

ipsis graculorum appellatio conuenit, quorū
instar garriētes inter se iurgātur. Mosaica ser-
uitute delectati, in signis tantū harent, nec su-
pra Iudæos aliquid amplius in suis Sacramen-
tis habere cupiunt: philosophicum duntaxat
qui sola mentis contemplatione perficitur, ha-
bent in cœlū ascensum, nos verò in terra pos-
siti, secundum ipsam rei veritatem, non ad
cœlum, sed ad cœlorum Dominum habemus
accessum: eum re ipsa manibus nostris tracta-
mus, vti sanctorum Doctorū autoritas per-
hibet: eum re ipsa manducamus, & membris
nostris eius sanctissimum corpus inserimus.
Illi prorsus carnales se declarant esse, vt qui
ad sensus visum & tactū prompti sint, ad Dei
verbum tardissimi & hebetes, non cogitant
Dei virtutem, sed iuxta elementa mundi &
philosophiam hæc tanta metiuntur myste-
ria.

Quin non in cœlum tantum fide volantes
Christi corpus manducant isti, alium etiam
locum eius sumēdi habent: in Baptismo scēt.
Quod commētum eorum vanissimum supra
quidem excussimus: nunc tamen iterum nihil
stultius aut cum maiore contumelia Institu-
toris hu-

Accessus nos-
ter realis nō
ad cœlū, sed
ad cœlorum
Dominum.

In Baptismo
quomodo
Christi cor-
pus mandu-
cant Caluini
stæ,

toris huius Sacramenti, vel cum euidentiore ignorantia ac stupiditatis declaratione dici posse constantissime asseueramus. Idem esse Baptizari, quod Christi refici corpore: nihil noui præbere Eucharistiam, sed altero tantum symbolo ea quæ iam in Baptismo, imò & extra Baptismum, (eius enim necessitatē isti auferunt) collata sunt confirmare, qua scriptura probant: quis vnquam hoc Patrū Sanctorum tradidit: Traditiones suas & fragmenta isti obtrudere nobis audent, contra omnem scripturæ sacrę doctrinā, contra Testatoris infinitā illam liberalitatē, deniq; cōtra totius Ecclesiæ iudicium. Si D. Augustinus baptizatos corpori Christi inseri confitetur: mystico inseri illos corpori cum in numerum filiorum adoptionis ascribuntur, cæcitas ista cogitare debuit: in verum quippe et reale quod Eucharistiæ est propriū, sine sumptione nequaquam inseri possunt. In Baptismo spiritu & mente Christum induunt: in Eucharistia re ipsa & corpore, etiam intercedente Christi corporis esu, corpori eius naturali inseruntur. Ex Baptismo regenerati & adoptati prodeunt filij; ex Eucharistia corpora

Traditiones
Caluinisticę.

Baptismi &
Eucharistiæ
differentia.

Cyri: Hiero: corporei, sicut quidam Sanctorum dixit, &
 Catech: 4. consanguinei Christi oriuntur. Vnde Diony
 Dionys: cap: sius Areopagita Eucharistiam perfectionem
 3. de Eccles: esse Baptismi tradit. Et antiquis in usu fuit,
 Hierarch. Baptizatos ad sacratissimum communionis
 Sacramentum adducere. In Baptismo spon-
 sio est fidei: in Eucharistia ipsa realis coniū-
 ctio Christi cum sponsa, Sed de his deliramē-
 tis Calvinisticis aliquid iam dictum est etiam
 alias. Tertium insuper manducandi corporis
 Christi locum, in prædicatione videlicet, mi-
 nisterio verbi, isti inuenerunt: de quo illa
 sunt Volani verba: ¶ Idem Christus inquit,
 tam in ministerio verbi, quàm in Sacramen-
 tis offertur, & in salutem vnico fidei instru-
 mento manducandus omnibus proponitur.
 Et iterum: ¶ Corporis Christi manducatio
 significantiùs & luculentius in Sacramento,
 quàm in verbo simplici fidelibus proponitur,
 sed dissimilem ac diuersum in vtroq; mandu-
 candi modum omnino negamus. ¶ Vnde ista
 prophetica oracula: ex quo scripturæ sacræ
 thesauro: ex qua Ecclesiæ & Sanctorum in-
 terpretatione: Scimus vnde, ex Caluini so-
 mnijs, O leuitatem ad credendum facilem,

Manducatio
 Christi corpo-
 ris in Euan-
 gelio & ver-
 bo,

At D. Hic

At D. Hieronymi verba hæc recitãtur ab istis:
*Non solũ in mysterio, sed & in scriptura lectiõne vesci nos
 posse carne Christi.* Erat istis responsum de fi-
 gurato vescendi modo, loqui hunc Sanctum,
 qui communis est omnibus meditationibus
 de Christo Deo, omnibus pijs operibus, omni-
 bus gratijs spiritualibus, ita vt dixerit Domi-
 nus ipse: Meus cibus est facere voluntatẽ Pa-
 tris mei qui in cœlis est. Quodcunq; solatium
 spiritus capimus, quicquid gratiæ apud Deũ
 consequimur, manducare nos figuratẽ Chris-
 sti carnẽ, ex qua illa dona omnia promanãt,
 affirmare possumus. At verò eundem esse mã-
 ducandi corporis Christi modum in auditio-
 ne verbi, qui est in Sacramento: num aliquã-
 do non modo D. Hieronymo, sed simplicissi-
 mo cuiq; imò nescio an cuiquam hæretico
 præter istos venerit in mentem cogitare? V-
 no eodemq; Volanus inquit, nec dissimili mo-
 do mãducatur corpus Christi in simplici ver-
 bo, quo & in Sacramento. Confundere hos
 modos, quæ scriptura, quæ ratio docuit, quæ
 autoritas præcepit? Nunquid dictum est,
 cum legitis & auditis scripturam, corpus me-
 um manducatis, sicut accepto pane dictũ est:

Spiritualis &
 figurata in o-
 mnibus bo-
 nis operibus
 & precibus
 manducatio.

Ministrū do-
centem eodē
modo dare
corpus Chri-
sti ad sumen-
dum, sicut in
Eucharistia
datur, Calui-
nistæ delirāt.

Ex verbis
maior lux
quam ex si-
gnis.

Comedite, Hoc est corpus meum? O inepti-
as nō ferendas. Garriēsne, pro cōcione Mini-
ster eodem mihi modo corpus Christi confes-
ret & proponet ad manducandum, quo Chri-
stus ipse virtute sua & potentia infinita, illud
re ipsa Apostolis suis præbuit? Quid stultius
hoc ipso effingi vnquam potuit. Hoc tantum
differentiæ est, inquit, quod in Sacramento
significantius proponitur Christi corpus, quā
in simplici verbo. Si de significatione & luce
vberiori sermo est, falsum dixit iste. Verba
enim ad significandum sua natura sunt insti-
tuta, panis autem ad manducandum. Quomo-
do panis luculentius mihi exprimit Christi
corpus, cum sit mutus & nudus? an non ma-
ior lux cernitur in verbis quā in nudis signis?
Nonne facilius intelligo, cū mihi alioquin ne-
scienti dicitur, in hac domo vēditur vinū, quā
cum hederam pendentem inspicio? Iam ergo
simplex verbum superabit Zuinglianicum Sa-
cramentum, iam cum nudis verborum signi-
ficationibus, non modo Sacramenta exæqua-
runt, sed tanquam inferiora polluerunt. Cur
ergo non eijciunt Sacramenta, & verbi præ-
dicatio, quandoquidem idem præstat, & eane-
dem cor-
dem cor-

dem corporis Christi māducationem affert,
 illis non sufficit? Imò cur Ministrum, dum
 suas cœnas peragunt, hæc verba ex sui Cate-
 chismi ventosis dogmatibus proferre præci-
 piunt: ¶ Accipite & comedite: Hoc est cor-
 pus Domini nostri Iesu Christi, quod pro no-
 bis in mortem traditum est. ¶ Cur non poti-
 us quādo in suggesto debacchantur clamitāt:
 Iam Christi corpus manducastis grex fidelis,
 & eodem planè imò meliori modo diuini ver-
 bi auditione, quàm ipsius Sacramenti perce-
 ptione, illud idem comedistis: abite, nihil
 plus in Sacramento vos habituros arbitre-
 mini. Si eodem modo in Sacramento man-
 ducatur quo in verbo: ergo eadem prorsus
 ratione in Sacramēto continetur Christi cor-
 pus, qua in verbo: at in verbo non nisi sola
 significatione & sono est, eodem itaq; modo
 in Eucharistia, sit necessum est. Cur ergo isti
 porrigentes panem dicunt: Hoc est corpus
 Domini nostri Iesu Christi, manducate illud.
 Quodnam istud corpus? estne ibi corpus cū
 pane, vel sub pane latitans? Non est, omnes
 respondent Ministri: sed in cœlo, sedet: Cur
 ergo dicit: Hoc est corpus porrigens panē?

Catechismi
 verba quàm
 fallacia apud
 Zuingianos

Impositura
summa Mini
strorū in ple-
becula inuen-
ienda.
Catechismos
primos con-
tra Dei verbū
habuerunt
Zuingliani.

quia seductor est & mendax sicut pater eius.
Hoc corpus pictum & significatiuum sicut in
verbis est intelligit. O miseram plebeculam,
quæ tales patitur impostores. At in Catechi-
simo Nesuiseñ nuper edito, ex quo (vt ipsi in
titulo eiusdem præferunt) eiecta esse debe-
rent ea quæ cum Dei pugnabant verbo: plus
pudoris & ingenuitatis retinuerunt adhuc.
porrigentes enim panem dicebant idem ver-
bis quod premebant corde: Accipite, man-
ducate, & carnem Domini nostri Iesu tradi-
tam pro vobis recordemini. Profecerunt nūc
sed in dolo & fraude Calvinistica. Mutāt sen-
tentias, semper discentes & nunquam ad co-
gnitionem veritatis peruenientes.

Bina arma
contra præ-
fignoliam co-
rum mandu-
cationem.

Sed omnes istorum de hac manducatio-
ne præstigiæ, & hominum sine vlla authori-
tate loquentium deliramenta, duobus illis do-
gmatibus, quæ prædicat Catholica Ecclesia,
deteguntur & condemnantur. Constantissi-
mè docemus: verum & naturale Christi Do-
mini nostri corpus, non nisi in Sacramento
Eucharistiæ manducari, deinde illud non spi-
ritu tantum & anima, sed & ore ac corpore
percipi. Primum quidem non multis indiget
proba-

probationum argumentis, quandoquidē demonstratum est in Eucharistia, esse verum & reale Christi Domini nostri corpus: præterea substantia in panis in illud mutari, Christi Domini benedictio, voluntatis verborumque eius potētia, totque Sanctorū testimonia, & totius Catholice Ecclesie sensus, nos credere (vti super ostendimus) docent. Ibi manducatur Christi corpus, vbi illud esse demonstratur. Ostendant aduersarij extra sacramentū Eucharistie instituisse Dominum corporis sui manducationē, & alias vsquā accepto pane & benedicto, dixisse: Hoc est corpus meum: vel hoc in aliqua alia materia, vt in aqua Baptismi, in verbis prædicationis, aut alibi eum fecisse demonstrent. Si non ostendunt: tota causa cadant oportet. Agnoscunt aduersarij vnā esse Eucharistie & semel factam institutionem, in qua corpus & sanguis Christi præbetur ad manducandum & bibendū. Si extra hanc alibi hoc ipsum corpus manducatur, duobus locis vel pluribus institutam Eucharistiam, imō plures Eucharistias, & ex diuersis materijs à Christo relictas fateri cogentur. Denique si Sacramenta, sicuti agnoscit

Non manducatur reale corpus Christi extra Eucharistiam.

Vna institutio Eucharistie non plures, atque adeo in illa sola præsens haberi Christi corpus.

« aduersarius (vtar enim eius verbis;) ¶ A nullo
 « la arte humana dependent, sed à solo diuini
 « numinis placito, omnem naturę ingenijq; cur
 « sum superante, sunt introducta. ¶ Si sola, sicut
 « loco eodem agnoscit Volanus, diuina Spi-
 ritus sancti virtus in eis operatur: quomodo
 id quod Spiritus sancti virtute in Sacramen-
 tis fit, extra Sacramenta vbi iam illa diuina
 virtus cessat, habebit? potestne homo Sacra-
 menta pro suo arbitrato sibi instituere, aut
 quod diuina efficit virtus, id proprijs ipse vi-
 ribus ad suam vtilitatem præstare? In sola
 Eucharistia, in pane, verba diuina & virtus
 Spiritus sancti opus illud admirabile facit, vt
 ex pane fiat corpus Christi: qua nam ratione
 extra Eucharistiam, qualis est verbi diuini
 prædicatio, virtus illa diuina soli Eucharis-
 tiæ deputata, operabitur? Hæc ergo duo fa-
 teri istos oportet: Vnum, in Sacramentis nul-
 lam esse Spiritus sancti operationem, nullam
 singularem gratiam, (quod sanè docere non
 audet aduersarius:) Alterum, Sacramēta quę
 libet, & in verbo & vbi cunq; velit, sine pro-
 pria materia & forma, sine Ministro legitimo
 & potestatem a Deo habente conficere sibi
 posse.

Instituto Sa-
 cramentorum
 diuini iuris
 cum fit, per-
 mutari non
 potest: sed i-
 bi caro man-
 ducatur vbi
 Spiritus san-
 ctus operatur

Spiritus san-
 ctus conficit
 Sacramenta,
 nec quilibet
 potest ea pro
 se conficere,

posse. (si quidē liberum est vnicuiq; suam sit
dem quibuscunq; rebus & verbis libuerit ex
citare) vtrunq; cū sit à ratione alienū: illud
cōcludendū est vbi operatur Spiritus S. vbi
sunt necessaria ad conficiendū Sacramētum,
materia & forma: vbi administer Sacramen
ti Eucharistiæ: ibi iuxta Dei institutum; &
non alibi iuxta humanum inuentum Christi
sumi sanctissimam carnem. Præterea cū
regenerationis gratia sine Baptismo haberi
nequeat: quomodo māducatio corporis Chri
sti sine Eucharistia habebitur? Aut si in Ba
ptismo Christi corpus manducatur: Eucha
ristia regenerationis erit lauacrum. Quod
cōmentum quā in conditū, & quā alienū
sit à mente Domini nostri Sacramētorum o
mnium institutoris, non est difficilē iudica
re. Ad extremum, quantus testamenti illius
quod Dominus moriturus condidit, sequere
tur contemptus: si extra illud id quod lega
tum est, habeatur? Quis iam testamentum
magni faciet? quid in eo singulare factum a
ut depositum putabit? Quis illi frequenta
tione crebra honorem deferet? At ideo in
vltimam mortis & sui à nobis recessus horā,
hanc ma

Sicut regene
ratio non est
sine Bapti
simo, ita nec
manducatio
sine Eucharis
tia

Contemptus
Testamenti
sequeretur, si
extra illud di
uites essemus

hanc magnam cœnam, hoc nouum & admirabile ditissimumq; Testamentum, hoc mysterium cœleste distulit: ideo in illud diuitias gloriæ suæ, corpus scz̄t suum, in quo habitat diuinitas, & quod est vitæ origo, & in quo sunt omnes thesauri reconditi, pignus ac arca preciosissima omnium quecunq; à Deo expectamus, deposuit: vt hoc eius institutum vnice coleretur, singulari erga eum eiusq; recordationem charitate celebraretur, summa diligentia in memoriam eius mirabilium frequentaretur. Quæ omnia concidunt, si extra hoc eius testamentum & institutionem, corporis illius manducatio habeatur. Persuasio hæc hæretica, nimium est impudens, nec vnum iota pro se ex scriptura sacra, nec ex sacris Concilijs Doctorumq; sanctorum sententijs afferens. Tota ad contemptum, neglectum, & profligationem Sacramentorum, per quæ tanquam efficacissima instrumeta, ex ipso latere Christi producta, salutem nostram Deus operatur, ab his Sacramentarijs & ab auctore totius apostasiæ inuenta est. Iam alterum demonstremus non anima solùm, sed ipso etiam corpore Christi nos corpus in Eucharisti

Charistia manducare.

Inprimis, manducationem propriè corporis coniuncti cum anima, & non animæ officium esse, nemo qui in dubium vocet inuenietur. Si spiritum tantum & animam Dominus pascere voluisset, non māducate dixisset: sed credite, & spiritualem cibum, iustificationis ac peccatorum remissionis accipite. At cū dicat, comedite, & præterea non merè spiritualem rem, sed corporeā, hoc est suum corpus ad edendum proponat: quis corporis mēbra à tali manducatione excludet? Si dixisset manducate iustificationem, quæ est per mortem meam: Metaphorica esset & figurata animæ manducatio. At dixit: Comedite corpus meum, corpus corpori, carnē carni præbuit manducandam. Nec ab ea manducatione spiritum & animam excludimus, sed hoc per corpus (cuius est proprium manducare) fieri cum Sanctis omnibus docemus, vt totus homo saluus fiat: vt non animarum tantum, sed corporū redemptio subsequatur: vt corpora immortalitatis futuræ semen in se recipiant: vt sicut per corporalem escam venenum concupiscentiæ & mortis ingressum est,

Qq

ita per

Manducatio est corporis animati, non animæ solius officium.

Causæ, cur corpore etiā manducatur, Christi caro,

ita per corporalem itidem cibum, amuletum
& medicina diuina prouidentia cōparetur:
vt non fide tantū & charitate, sed re ipsa cor
pori eius sanctissimo inseramur, & verè con
corporei & consanguinei Christo effecti, per
corpus diuinæ naturæ, quæ inaccessibilis est
iuxta Apostolorum Principem, efficiamur
confortes: & iuxta Doctorem gentiū, simus
verè membra Christi, & os de osibus, & ca
ro de carne eius. Quod nullo modo verè &
propriè fieri posse quisq; videt, nisi caro no
stra eius diuinissima carne vescatur, eiq;
per cibum arctissimo illi vinculo coniunga
tur & commisceatur. Qua de re Sanctorum
verba audiamus.

In primis antiquissimus Irenæus hæc scribit:

Irenæ: lib: 5. *Quomodo, inquit, negant carnem capace[m] esse donationis
D[omi]ni, quæ est vita æterna, quæ & sanguine & corpore Chri
sti nutritur, & membrum eius est, quæ admodum Ap[osto]lu
lus ait, in ea quæ est ad Epheseos Epistola: quoniam mem
bra sumus corporis eius, de carne eius & de osibus eius.*

Ephes: 5.
Non tantum
sumus mem
bra Christi
corporis my
stici, sed etiã
& naturalis.

*Non de spirituali aliquo homine dicens hæc (Spiritus enim
neq; carnem, neq; ossa habet) sed de ea dispositione quæ est se
cundum hominem, quæ ex carnis & nervis consistit, quæ
de calice (audiant aduersarij) qui est sanguis eius nu
tritur, & de pane qui est corpus eius augetur. Et alio lo
co: Quo*

Co: Quomodo dicunt carnem incorruptam deuenire & Lib: 4. ca: 34
 non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domini a-
 litur? Et infra: Quemadmodum qui est è terra panis,
 percipiens vocationem Dei, iam non est communis panis
 sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena &
 coelesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam,
 iam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia.

Quis iam tantam lucem antiquitatis refugit
 et quis calumniari tam aperta verba aude-
 bit? corpora nostra ideo esse futura immor-
 talia, quòd corpore Christi & Eucharistia
 vescantur, tam constanter tradit. Quo vno,
 & præsentissimum esse in Eucharistia Chri-
 sti corpus, & mutari in eo Sacramento sub-
 stantiam panis, ac extra illud carnem Christi
 nequaquam manducari probat. Est hoc pro-
 fectò fortissimum contra istorum contentio-
 nes & inuictum telum. Hoc vnum ad destru-
 endas omnes eorum machinas & errores, in
 hac de Eucharistia quæstione sufficeret.

Idem tradit eadem antiquitate insignis Ter-
 tulianus, omnia nimirum Sacramenta quæ ex
 rebus corporeis constant, per corpus nobis
 dari, vt & caro nostra consecretur, & vitæ
 æternæ particeps efficiatur. Plura etiam quæ
 duo enumerat Sacramenta, vt mendacijs istos

Corpora ex
 corpore Chri-
 sti ipem ha-
 bent resurre-
 ctionis.

Forte telum
 contra aduer-
 sarios.

conuincat, qui duo tantum vel nullum potius, sicuti probauimus, videntur agnoscere.

Caro, inquit, abluitur, vt anima emaculetur (en Baptismus) *Caro ungitur* (en Oleum & Chrisma, & extrema Vnctio) *vt anima confortetur. Caro signatur*

(en Confirmatio) vt anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur (en Pœnitentia & Ordo)

vt anima à Spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. en Eucharistia.

Obserua optime Lector, cum in alijs Sacramentis Doctor iste, aquam, oleum, signum crucis, manus impositionem, que sunt, tanquam signa nominasset, in Eucharistia nulla posuit signa nec dixit: Caro pane vescitur, vt anima Christi corpore saginetur: quod Caluinitæ isti infelices dicunt: sed potius ex Apostolica traditione instructus, sciens in Eucharistia permuari signa in res ipsas, saluis speciebus, iuxta Domini verba, hæc pronunciat: Caro carne Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.

Carnis enim hoc est, vesci re corporea, anima non vescitur carne, sed per corpus illius carnis, & quæ inde promanant, gratiarum omnium est particeps.

D. Hilarius de naturali cum Christo per
carnis

Plura Sacramenta quam duo.

De resurrectione carnis.

Caro corpore Christi vescitur.

In Eucharistia non posita signa à Tertulliano.

carnis eius manducationem nostra coniun-
 ctione, ita docet: Si verè verbum caro factum est, s. de Trinitate
 & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus: quo-
 modo non naturali in nobis manere existimandus est,
 qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo
 natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam eter-
 nitatis, sub Sacramento nobis communicanda, carnis admi-
 scuit. Et infra: Hæc vitæ nostræ causa est, quòd in no-
 bis carnalibus manentem per carnem Christum habemus,
 victuris nobis per eum ea conditione, qua ille viuit per
 Patrem.

Cyrilli autem Alexandrini verba sunt: In Ioan: lib:
 An fortasse ignotâ nobis putant mysticâ benedictionis vir-
 tutem esse, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq;
 facit communicatione carnis Christi Christum in nobis ha-
 bitare. Cur enim membra fidelium, Christi membra sunt?
 Et infra: Non habitudine solùm, quæ per charitatem
 intelligitur, Christus in nobis est: verum etiam & partici-
 patione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefa-
 ctam ceram alij cera similiter liquefactæ miscuerit, ut unū
 qui dext. verisq; factum videatur: sic communicatione cor-
 poris Christi & sanguinis, in nobis est & nos in ipso.

Cyrillus autem Hierosolimyta: hæc habet: Cathech: 4.
 Præbetur, inquit, corpus in specie panis, præbetur sanguis
 in specie vini: ut sumpto corpore & sanguine, euadas ei cõ-
 corporalis & consanguineus sic enim efficimur Christo pho-
 ri, id est Christum in cordibus nostris ferentes, cum corpus
 eius & sanguinem in membra nostra recipimus. sic secundū
 D. Petrum, diuine consortes nature reddimur.

Qq ij

Et Leo

Serm: de Ier
iunio.

Et Leo Papa: Sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil profus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur.

Vt supra.

Epist: 118.

D. Augustinus: Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde & ore suscipimus. quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere: & humanum sanguinem potare quam fundere. Et alibi: Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinē Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersa Ecclesie, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex eo enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruat.

In orati: Ca-
techet: ca: de
Eucharistia

Virus corpo-
re haufimus,
medicinam e
ciam corpo-
re capimus.

Gregorius quoque Nissenus illud de hac corporali Christi corporis māducatione testat: Cū venenum quo natura nostra dissoluitur gustauerimus: medicamentum quo illa contrahitur suscipiamus, ut virus illius opportuna eius vi repellatur. Quòdnam hoc est medicamentum? Nullum aliud, nisi corpus illud, quod moree prestantius declaratum est, & est nostra salutis causa. Quēadmodum enim fermentum totam massam sibi similem reddit: sic & corpus illud, quod à Deo factū est immortale, (audiat aduersarius) in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atque commutat. Nam ut pestiferum cum salutari commixtum, illud efficit perniciosum: sic & corpus immortale, reddit totum illud in quo est susceptum

natur

natura similis immortale. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur.

Quid ad hæc aduersarij? Contemnunt & dicta Sanctorum rejiciunt: sua pro Sanctis haberi commenta volunt. Quod dixit sacrosancta antiquitas, quod sensit & docuit, Caluicistis est error: quod ipsi tradunt & inueniunt, est sacræ scripturæ canon. Quæsiuit aduersarius, quid iuuet corporalis manducatio corporis Christi, cum spiritualis animæ sola per fidem sufficiat? Sed responsionem colligat ex Sanctorum Doctrina, vel hac ipsa quam proposuimus: cognoscet alios asserere: ut non Spiritu tantum, fide, & charitate, sed & re ipsa, & corporali ac naturali cum Christo coniunctione teneremur, & tanto maiori iure & strictiori, omnes Christi opes & merita possideremus: alios, ut ei concorporei & consanguinei efficeremur: alios, ut per corporalem manducationem suscipientes diuinum corpus, diuinitati eius, quæ inaccessibilis est conglutinemur, & eius essemus per corpus Christi participes: alios, ut in viscera nostra in quæ venenum hausimus, hoc remedium per cibum hauriremus; alios, ut totus homo non

anima

Corporalis
manducatio
nis causæ.

anima solū redemptionis Christi sit particeps: alios, vt semen immortalitatis corpora nostra per immortale Christi corpus suscipiant, & essent interitus expertia: alios, plures alias causas afferre discet. Ex Christi corpore omnes nobis thesauri ceu ex fonte profmanarunt, & quærit quid profit corporalis corporis huius manducatio? obturet fontem qui nō vult de riuis haurire. Qui corpus Christi verū & naturale, quod pro nobis est crucifixum, & per quod reconciliatus est mundus, habet: fontem habet, qui spiritualiter illud tantum per fidem manducat, si non contemnit Sacramentum, & ab illo ipsam expectat realem manducationem, riuulum defluentem à diuinissimo Christi corpore habet. Spiritualis Catholica manducatio aliquam habet cœlestem gratiam, corporalis in Sacramento authorem habet gratiarum. Spiritus alis habet Regis nuncios, corporalis & Sacramentalis dignè manducanti, Regem ipsum amicum non iudicem apportat. Sed hæc fide libus nostris pro concionibus vberius.

ad alia quæ restant veniamus.

Caput

CAPVT VNDE

CIMVM.

Zelum quendam simulant in amouenda indignitate corporis Christi, quæ ex reali præsentia in Sacramento sequeretur: ne vel à malis manducari, vel alijs iniurijs & contumelijs obnoxium esse videretur: cum nihil minus quàm dignitati Christi consulunt, sed meram ex humanis rationibus perfidiã, & erga ipsum Dominum eiusq; diuina verba inobedientiam seminant.*

Ars Vndecl
ma de Absur
dis.



Ertius, sicuti supra ascripsimus, ordo argumentorum Sacramentarijs, contra veram & naturalem corporis Dominici in Eucharistia præsentiam, vsitatus est ab absurdis desumptus, que cõsequi necessario putant, si Catholica hæc Confessio retineatur. Hinc illam contexunt imposturam plebeis ingenijs, & ad captum rationi humanæ accommodatam & facilem: veritati autem ac altissimis mysterijs fidei nostræ callidè insidiantem, & omnem in Catholicam religionem perfidiam inuehentem: qua non eos tantum circumuenerunt, qui ab illis didicerunt: sed & eos à quibus ipsi acceperunt. Nam Luthe

Rr

rumpat

Laqueis ab-
surdorū Lu-
therus à tran-
substantiatio-
ne resiliit.

Obſcenitates
Calumniarū.

rum parentem omnium nostri seculi schisma-
tum, hinc solis laqueis diu pro transubstan-
tiatione pugnantem, Bucerus eius discipulus
singularis auctoriae homo, cum a veritate prae-
sentiae non posset, a mutatione substantiae pa-
nis abduxit, sicuti paulo post recensuimus.
Dedecus esse summum Christi clamitant, ita
corpus eius reponi per transubstantiationem
in Eucharistia, ut a malis etiam sumatur, &
in stomachum trañciatur, & quandoq; a be-
stis deuorari dicatur, vel alio aliquo modo
indignissime tractetur: quod sequi necesse est
se ex hac pro qua pugnamus praesentia. Hinc
nobis ferocissime & impudentissime insul-
tant, & illam iam eis factam communem, &
atrocem blasphemiarum suarum turpitudi-
nem ore foetidissimo egerunt. Hinc multa ob-
scena de egestione & secessu, de muribus &
vermibus dictu horrenda in nos, vel in Do-
minu potius Sabaoth euomere non verentur:
& ad populi captum garrientes, non tantum
salibus & dicerijs plusquam Cynicis & Satyri-
cis, sed contemptu & sanctissimae Eucharis-
tiae conculcatione, et altariu conspurcacio-
ne, desaxiunt, nihilq; ad contaminanda Sancta san-
cta san-

eta Sanctorum spectans intentatum relinquunt.
 Quod cum alibi sæpius tum in Gallijs eos
 fecisse, Doctissimus & Reuerendissimus Epi-
 scopus Santesius Gallus hisce verbis queritur:
*Si nunquam es expertus, quid Christus voluerit significa-
 re, cum cauendum nobis edixit, ne committeremus mar-
 garitas ante porcos, aut sanctum canibus permitteremus:
 lege Sacramentariorum aduersus Eucharistiã & S. Mis-
 se Sacrificium, satyras, anathomias, & quacunq; scripta,
 atq; in primis Beze impurissimi Poëta Astinus libros de
 re Sacramentaria, de caninam, porcina, stercorariam sa-
 cundiam, de rebus sacris & summis mysterijs, qua vene-
 rari magis silentio deceret, quàm etiam casto & sancto ser-
 mone efferre in vulgus, magno tadio & fastidio cognoscas &
 execreris, si villo afficeris pietatis sensu. Abhorrent certè
 aures à commemoratione spurcitiarum & inuerecundarũ,
 obscenitatum, quibus Sanctum Domini, sues immundi, &
 canes, contaminant. Hoc vnum est classicum, quod ad as-
 serendam Christi gloriam, si Deo placet, latrones omnes ad
 sacra omnia diripienda & proculcanda armant, atq; ad om-
 nne flagitium impellunt. Hęc quidem sunt viri
 huius celebratissimi verba de facinorosissi-
 mis hæreticis, & maxime Beza, prolata: quę
 Volanus magnis ornat sanctitatis & innocen-
 tię titulis, breui autem ex ipsius Beze vita,
 quam se scripturum promittit idem, qui Cal-
 uini vitam in lucem edidit, Hieronymus Bol-*

Lib: 5. Repe-
ti. cap: 3.

Beza impu-
rissimus.

Beza laudas:
Volanus.

secus Lugdunē Medicus, perspecturi sumus, quamuis magnam eius partem publicis sceleribus infamem non ignoramus. Tales isti habent vt ipsi volunt Apostolicæ dignitatis Magistros, quos melius nouerunt, qui eos spectant propius. Norunt ipsimet Galli, & suis probarunt calamitatibus, quot latrones Bezaziste ad diripienda & funditus euertenda Tempia Dei, ad trucidandos & tormentis infinitis excrucianos Sacerdotes Christi, tali prædicatione, & tã præclaris libris ceu classico conuocauerit. De quorum sanguinolentis & ad perniciem hominum accommodatis moribus in Angliã & Gallia, alius erit dicens locus. Imitatur & Volanus suum Bezam, tragicè et scurriliter de Christi Domini nostri in Sacramēto adoratione multa deblaterans. Verbis etiam Saluatoris ad contaminanda Sancta Sanctorum, de eiectione & secessu abutitur, & nobis ethnicas et spurcissimorū Poëtarū Apuleiorum, nescio quas imitationes & antropophagias exprobrat. Antiquos illos hæreticos in hisce nobis obijciendis, vt illis videbatur, absurdis: cum Deum delituisse in utero fœminæ, & eius nutritum lacte, & crucifixum,

Volani scurrilis sermo de diuinis rebus

Gentiles non adeo fuere inuerecundi sicut sunt Hæretici.

cifixum, consputum, & alia his similia prædicari à Catholicis audissent: non adeò effreni dicacitate & petulantia Ecclesiæ insultasse, verum vsos maiore in rebus diuinis modestia legimus. Isti eorum perfidiam & impudentiam superare conantur. Auerroes Machometanus peragrassè se mundum, & regiones circuisse, sectasq; varias inuenisse: at Christiana deterritiorem aut etiam ineptiorem non reperisse asserit, quòd ei adhærentes, Deum suum què colerent, dentibus discerperent & deuorerent. Hoc dictum tantum abest, vt me irriter, vt etiam multò magis in Catholica sententia, quæ ethnicis etiam fuit explorata confirmet: cum infidelem illum, & nostrorum mysteriorum ignarum, nec Christi diuinam naturam & potentiam agnoscentem considero. Vulgatam etiam Saracenis fuisse tot iam ante annis nostram confessionem, qua Deum nos dentibus ipsis manducare, cum omnibus in toto orbe Christianis vno omnes consensu prædicamus. cum Christi à Catholicis sumeretur corpus colligo nò figuratum, certè (hoc enim stultū infidelibus minimè visum fuisset, cum & Poëtæ Gentilium hac dicendi

Auerrois dictum de Christianis.

Aen: 6. de
Bello civili.
libr: 5.

Tertul: de car
ne Christi.

Ab absurdis
hæreticorum
contra nostra
mysteria vfi
rata argumē
tatio.

vfi fuerunt forma, quosdam ex suis Deo, velu
ti ebrios & plenos quasi eū comedissent aut bi
bissent, referentes. Ita Vergilius Bacchari Sy
billam magnum Deum excutere pectore co
nantē, & Lucanus Phœbada plenū concepiss
se Deum, aliq; itē Poëtæ similia dixerūt. Sed
verum corpus & re ipsa Deum manducare à
Catholicis illos existimasse. Ideoq; & dentiū
& deuorationis faciebant mentionem. At i
stos qui Christum se colere & eius diuinita
tem profiteri simulant, nomenq; assumunt
Christianum, & nostrorum mysteriorū no
runt explicationem, hæc eadem Auerroica ef
futare in nos, & hanc nobis stultitiam & ab
surditatem exprobrare quis æquo animo pa
tiatur? Valentiniani, Marcionistæ, Manichæi,
& post eos Eutichiani, ideo veritati naturæ
humanæ à Christo susceptæ detrahebant, ne
in hæc absurda deduci viderētur: videlicet ne
Deum turpiter intra fœminæ viscera iacuisse
& illis omnibus quibus corpora humana ob
noxia sunt, subiectum fuisse concederent. Si
cut illi contaminari diuinitatem tali eius cū
corpore coniunctione & proprietatibus hu
manæ naturæ falso existimabant: & ad per
fidiam

fidiam potius declinare mallebant: ita Sacramentarij Christi gloriosum corpus tali præsentia in Eucharistia, & tali manducatione, quam confitemur pollui, & indignum aliquid pati putantes, ad infidelitatem et Christi abnegandam veritatem degenerant. Illis absurdum visum est Deum nasci ex fœmina, more omnium vitato, lacte pasci, conspui, crucifigi, mori: ideo ad abnegandam veram in Christo naturam nostræ carnis talem sibi sumebant, qualem ex eadem causa Calvinistæ ad inuertenda Christi Domini verba per figurasq; traducenda, sibi assumunt necessitatem.

Arriani etiam in illas prorumpēbant ab absurdis blasphemias: Si Pater filiū genuit, vel intumuit, vel sectionem subiit, vel in gignendo dilatatus & contractus est. Addunt filij Zuinglianorum Anabaptistę, vxorem habuit, ex commixtione fœminæ genuit. Eodem modo permouetur Volanus cum clamat:

¶ Quid contumeliosius dici potest in Christum, quàm ex cœlesti diuine Maiestatis folio ipsum detrahere, & in corruptibilia elementa ac ipsum ventrem humanum, cum reliquis cibus, quicunq; ore sumuntur, includere.

Nos qui

Epiph: in An
cora: & Hila
rius ad Con
stantien.

Arrianorum
argumenta
tio ab ablu
tis.

Contra incar-
nationē Chri-
sti Volantur
ba aptissima.

Nos quidem non dicimus descendere de celo
Christi corpus, nec cum sumitur misceri cū
reliquis cibis: verè tamen & proprie mandu-
care nos illud, corporaliter etiā affirma-
mus, nec quicquam absurdum timemus. Hoc
ipsum dicat de Christi incarnatione, cum hæc
eius verba rectè in eam detorqueri possent.
Eodem enim modo dici posset: Quid contumeliosius Deo, quam ex cœlesti solio eum de-
trahere, & in ventrem fœminæ, atq; in ele-
menta includere. Si hoc est contumeliosum,
non credat, sicut in Eucharistia non credit
Christi esse corpus, et illius inimici dolos, cu-
ius spiritu loquitur, cuius scopus est nō Eua-
charistiam tantum, sed Christi incarnationē
reddere propter absurda ista suspectam, evo-
cat, & ne lateant amplius prodat. Eodem spi-
ritu concitatus, in Sacrosancta Concilia in-
vehitur, quæ à Berengario eius parente, tot
ties periuro & suo iudicio damnato, hanc cō-
fessionem exegerunt: vt crederet in Eucha-
ristia corpus Domini nostri in veritate et pro-
prietate naturæ manducari, dentibus atteri,
& manibus Sacerdotum tangi. Summā hanc
scet nobis absurditatem obijcit, & ea permo-
tus ad

tus ad abnegandam Christi veritatem et omnipotentiam inducitur. Ille hunc ductum Sathanæ sequi se agnoscat, quem facile propter talia humanæ rationis, diuinorum operum modum nequaquam comprehendere valentis commenta, totam diuine incarnationis œconomiam negare compellet. Nos ad arma contra has eorum ab absurdis desumptas argutias veniamus.

Magnam indignitatem corporis Christi, summèq; rem esse absurdã putãt, si concedamus malos etiam Christi Domini nostri corpus in Eucharistia percipere. At clarissimum testem habemus Apostolum, malos non signa non panem, sed Christi corpus, quod non diiudicant, ideoq; damnationem promerentur, indignè manducare: *Qui manducat, inquit, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicã corpus Domini.* Quod bonos dignè, hoc idem manducare malos indignè, luculētissimis verbis docet. Si boni Christi corpus dignè: certè & mali idem corpus indignè sumunt. Adiungit & causam indignè eorū sumptionis, quia non diiudicant, non panem, sed corpus Domini. Addit & pœnã iudicij & damnationis,

Ductus Sathanæ in aduersarijs.

Arma contra eorum absurda:

Malorum maleductio Christi corporis.

1. Corin. 11.

Quid sit diiudicare corpus Domini.

non quòd signis & figuris afferant iniuriam, sed ipsi corpori dominico, quòd illud tractēt & se in eo sumendo gerant, perinde atq; si ibi præsens non extaret, & solo communi vescerentur pane. Vnde tanta eosdem consequitur pœna, quantam illud scelus requirit, damnatio scilicet æterna. Porro nō est tanti criminis nudum panem & signa polluisse, (quæ Zuingliani canibus quandoq; ex illis sui Sacramenti reliquijs exponunt, vel iuri carni-um commiscent) vt damnatio æterna ideo sit subeunda: tota autem criminis pœna propter contemptum nec honoratum, & quasi denuò crucifixū Christi corpus in Eucharistia, profiscitur. Quæ fraus ergo tam aperta Apostoli verba inuertet? Si putasset Apostolus malos non sumere Christi corpus: an difficile hoc fuisset vno verbo complecti: atq; hoc modo sententiam exprimere, qui volēt Christi corpus sumere, dignè accedant: indignis siquidem non dari nouerint, & quòd illi prorsus nihil accipiant. At non hoc dicit, sed accipere eos idē Christi corpus ad iudiciū, quòd bonis est ad salutē, affirmat. Nec ad hoc hortatur, vt illud possint accipere, sed vt dignè
 non & ad sat

Apostolus
 nō dixit ma-
 los non sume-
 re Christi cor-
 pus, sed in-
 dignè illud
 sumere,

& ad salutem, & cum summo iudicio & metu ac honore accipiant. Suffecisset Apostolus iuxta Caluinum, si fuisset hortatus ad fidem, vt per illam sumerent corpus Christi, quod infidelibus non datur. Sed non ad fidem hortat Apostolus: fideles enim omnes esse sciuit: sed ad honorē & summam reuerentiā & æstimationem, ac diiudicationem tanti doni, quo possint aliqui indignè illud sumentes abuti. Nec incredulitatē reprehēdit, sed neglectum & irreuerentiam. Præter Apostolū hæc Sanctorum testimonia producimus.

Non ad fidem
Apostolus inducit,
sed ad reuerentiā

Cyprianus Martyr hæc affert: *Quamdiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati, à conuescentibus Apostolis sumebantur, veteris Pasche agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem vitam pertinens, Diabolo inuadente & occupante animum eius, egredi cogebatur. sed ubi sacrum cibum (NOTA) mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, paricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exustatus est. Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vlllo modo diuina se Maestas absentat mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi & cōringi Sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideoq; alijs sunt hæc munera, odor vite in vitam, alijs odor mortis in mortem. Quia omnino iu-*

De Cœna.

Spiritus Christi, hoc est fructus spiritus, non sunt participes, sed corpus Christi in Sacramento summe mali.

sum est: ut tanto priuētur beneficio gratiæ contemptores,
nec in indignis tanta gratiæ puritas faciat mansionem.

Accipere malos cibum sacrum, & plenum di-
uinitate corpus, iudam etiā manducasse, tam
disertē affirmat. Et quod obijciunt hæretici
cautissimē sicut & nos docemus distinguit: aliud
esse rem sacram, integrum Sacramentū
& corpus Christi percipere: aliud cum fru-
ctu & gratia spiritusq; participatione idem
sumere: illud est indignorū, hoc dignē dunta-
xat suscipientium Sacramentum.

In Psal: 127.

HILARIUS Ego sum panis viuus qui de coelo de-
scendi, quem qui indignē secundum mandatum Apostoli ce-
perit, iudicium sibi acquirit.

Homil: 3. ad
Ephes.

Labijs immū-
dis Christi su-
mitur corpus
Hom: 14. &
in primā ad
Corinth.

CHRYSOSTOMVS, Quomodo comparebis ante
tribunal Christi, qui labijs & manibus immundis ipsi-
us ausis corpus attingere? Regem tuum nolles ore fetido
deosculari: Regem verò cœli animo graueolenti oscularis:
Contumelia est ista. Et alibi: Quod si hominis vestem ne-
mo temerē attingeret: quo pacto omnium Domini corpus
purum & immaculatum, quod diuina illius natura parti-
ceps est: propter quod & sumus & viuimus: propter quod
porte inferi fracta sunt, & cœlorum aperta, tanta cum i-
gnominia accipimus?

De Baptismo
cap: vltimo.

BASILIVS Si quis fratrem per cibum contristat,
& charitate excidit, sine qua magna quoq; charismata & iu-
stificationes operantia nihil prosunt. quid de eo dicendum
est, qui ociose & inutiliter edere audet corpus, & bi-
bere san-

berē san-

bere sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & hac ratione plus aliquando contristat Spiritum sanctum, dum sine sociâ charitate vescitur.

A M B R O S I V S Quomodo quisquam conculcat filium Dei? Quando eo indigne participatur per Sacramentum. Nonne grande peccatum committit? nonne illum conculcat? nonne illum contemnit.

In cap: 10, ad Hebrg.

H I E R O N Y M V S Vna est mysterijs sanctificatio Domini, & serui, nobilis & ignobilis. Quamquam pro accipientium meritis diuersum fiat quod unum. Qui enim manducauerit & biberit, reus erit, violati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quia & Iudas de eodem poculo bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnus erit cum reliquis meriti?

Lib: 2. in Io uinian.

Idem Iudas accepit quod Apostoli.

Et in Malachiam: Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est. Non quod hoc aliquis audeat dicere, & quod impie cogitat, scelerata voce proferre: sed opera peccatorum despicimus mensam Dei.

In Malach: cap: 1.

A V G V S T I N V S Quid de corpore ipso & sanguine Domini vnico sacrificio, pro salute nostra, quamuis Dominus ipse dicat: Nisi quis manducauerit carnem & biberit sanguinem meum, non habet in se vitam. Nonne & Apostolus docet, etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Ait enim: Quicumque manducauerit panem & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Dñi.

Lib: contra Crescēt: cap: 26.

Idem alio loco: Tollerat ipse Dominus Iudam, Diabolum, furem, & venditorem suum, sinit accipere inter discipulos, quod fideles nouerunt precium nostrum.

Epist: 162.

Sicut ergo non panis Petro vitæ, ita nec Iu-

Lib: 3. de Ba
pifimo

dæ panis causa mortis, sed ipsum Christi corpus extitit. Idē ipsum malos mortificat qui indignè sumunt, bonos qui dignè sumunt vivificat.

Et iterum: Iudas cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo praubit: sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est malum fit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis nihilominus erat illis, quibus Apostolus dicebat: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

In cap: 1. pri
mæ Corint.

THEODORETVS, Non solum undecim Apostolis sed etiam Iudæ proditori, preciosum corpus & sanguinem impertijt.

In Cap: 2.
1. Corinth.

THEOPHILACTVS Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non sanè ob mysteriorum naturam id dixerim, quippe quæ vitam in se habent & largiuntur: sed ob adeuntium mysteria indignitatem, quibus haud secus illa officiant, ac solet oculorū valetudine laborantibus sol ipse obiectus officere.

Hæc sancti Patres, Apostolicis maximè verbis instructi prædicant. Quid ad hæc Volanus cum suis Magistris? Figuratè, inquit, loquuntur. rem signo tribuunt. Quicquid dicitur à quocunq; ita possunt eludere, si lusum hunc minus quàm puerilè admittamus. Occurrerunt Patres eorum vanis caullis, quibus obijciunt

obſciant: Chriſti corpus ſi à malis ad pernicioſam ſibi efficit, ſicuti hi Sancti docuerūt. Illud eſt riſu dignum, quod Volani Magiſter Beza queſitus, vnde tanta damnatio malis, ſi non Chriſti corpus ſumant, proueniat. Reſpondit: quia oblatum reſpuunt corpus, alij vero non reſpuunt. At mali nihil magis appetunt & volunt, dum ad Sacramentum accedunt, quàm Chriſti corpus, quod omnes bonos accipere credunt & vident: quomodo ergo illud reſpuunt? Aut quomodo reſpuunt, quòd iuxta iſtos hæreticos in Sacramento nõ eſt? Quod ſi nos illud verè ibi & corporaliter eſſe probauimus: quomodo non illud mali etiam manducabunt? Ad illud autem, quòd omnes eorum in hac queſtione technas euertit, ne hiſcere quidem auſus eſt Volanus: Si idem Sacramentum Eucharistię mali & boni percipiunt, & non eſt aliud pro bonis, aliud pro malis inſtitutum, conſtatq; (ut & aduerſarius

Cont: Veſta:
Bezæ cauill?

Si eſt realiter
& corporaliter,
procul dubio & à malis in Sacramento manducatur.

Inenodabile
argumentū.

uersarius fatetur) re terrena & cœlesti: quomodo non rē etiam cœlestem sument, qui hoc Sacramentum sumunt? Et quidem ad fructū & spiritualem cum Christo coniunctionem, nihil malis prodesse Christi Domini corpus, iuxta D. Augustinum docemus: qui dignè sumentes re vera, hoc est, cum fructu & utilitate salutis sumere; alios autem indignos scit, Sacramento tenus manducare, non ad spiritus participationem prædicat. Hoc ipsum nos prædicamus, & hanc differentiam libenter concedimus: aliud esse re vera, hoc est ad fructum & salutem, vt ipsemet Augustinus tum ibi tum alibi manifestis verbis explicat: aliud sacramentotenus, hoc est sine salutis fructu, corpus Christi diuinissimum manducare.

Vnde & Ecclesia canit: *Sumunt boni sumunt mali, forte tamen inæquali, vite vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.*

Cum verò aduersarij alia nobis absurda obijciant: non abs re facturus mihi videbor, si ad eorum retia fugienda, hanc pio Lectori cautionem attulero. Quicquid aduersarij secundum rationem exemplorum suorum Patrum Hæreticorum, contra profundissima fidei no-

De Ciuit: lib:
22. cap: 26.

Serm: 2. de
uerbis Domini,
& tract: 26
in Ioann.

Cautiones cō
tra aduersa-
riorum ab-
surda.

fidei nostræ mysteria, absurditatis, indignitatis, stultitiæq; obijciunt: nos exemplo sanctissimorum Patrum, & Catholicæ Ecclesiæ columnarum, à stabilitate fidei nequaquam dimoti, totum illud feruentissimo erga genus humanum Dei nostri amoris tribuamus, & cū omni adoratione, pro tanta eius deiectione & exinanitione, vt inquit Apostolus, nostri causa suscepta, gratias agamus infinitas. Audiamus D. Cyprianum quid illis respondeat, qui Christianis veluti etiam iste Zuinglianus Volanus, quod humana vescerentur carne, & Thyestæas cœnas facerent, amentiam exprobrabant. *Quam præclarus, inquit, iste calix, quam religiosa potus huius ebrietas, per quam excedimus Deo, & qua retro sunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis præparatas delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsius redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusq; rubricati, à Sapienibus huius seculi iudicamur amentes. Cur non respondit Sapienibus seculi, se hoc figuratè facere secundum Caluinistas, nec re ipsa naturalè sanguinè sugere: nulla enim hæc iudicaret à seculi Sapienibus amentia. Sed potius vir Sanctus in maiore charitatem Saluatoris exardescit, in manife-*

De cœna Domini.

Amentes iudicabantur Christiani.

Cont: Marci-
onem.

stiozem prædicationem veritatis fertur: quã-
tò maior amẽtia & crudelitas exprobratur,
tãtò magis ad hunc fugendum sanguinem exci-
tatur. Idem facit Tertulianus contra Mar-
cionem spurcicias foeminei uteri De o indi-
gni exaggerantem: *Ab ipsa, inquit, o Martion, na-
tuitate exorsus perora, age iam spurcicias genitalium in
utero, elementorum humoris et sanguinis foeda coagula, car-
nis ex eodem caeno alende per nouem menses describe.*

*Et infra: Horres infantem cum suis impedimentis pro-
fusum. Et certè Christus dilexit hominem illum in immu-
ditis in utero coagulatum, propter eum descendit, pro-
pter eum predicauit, propter eum omni se humanitate de-
iecit usq; ad mortem, et mortem crucis. Non moue-
bantur isti cum hæc tam indigna & absurda
contra nostra mysteria, ab Hæreticis & Gen-
tilibus afferebantur & exprobrabantur. Sed
quãtò illi acrius hæc vrgebant, tantò illi cha-
ritatem Dñi Iesu erga genus humanũ, in tanta
deiectione propter nos excitatam, exoscula-
bantur feruentius, & ad eam omni venerati-
one prosequendam se accendebant vehement-
tius, summo illo prædicationis feruore in-*

Homil: 60.
61. 63. ad po-
pulum.

In Math: 24
& in 1. Cor:

*clamantes: Quis Pastor oues pascit proprio sanguine,
(inquit Chrysostomus) et quid dico Pastor? matres multe
sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradiderunt nu-
triciis. Hoc autem ipse passus non est, sed ipse proprio
uis pascit*

nos pascit cruore, & per omnia nos sibi coagmentat. Ipsum corpus in supremum thronum exculit, quod etiam nobis exhibuit, ut & teneremus & manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus aliquando morsu petimus. Quare Iob ut seruatorum in se amorem ostenderet, dicebat illos sæpè nimio sui amore dixisse: quis de de carnibus eius ut saturemur? O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet in ipso temporis articulo, ab omnium manibus pertractatur. (in figurato corpore nullum est miraculum, tale enim potest in multis locis sine miraculo esse (ac se tradit volentibus ipsum accipere & complecti, sic autem nullis prestigijs (licet addere Calvinistarum, qui omnia quæ de tali præsentia dictitant & tradunt, ad præstigijs, sicuti iam docuimus, vmbas, & signa reducant) sed apertis & inuentium omnium circumstantium oculis. Cum enim species panis & vini, sub quibus est diuinum Christi corpus in altari, conspiciuntur: ipsum Christi corpus, verè, licet inuisibile sit et contactu aspicitur, sicuti mox de confessione Berengarii acturi explicabimus. Hæc ad cautionem dicta sint, ut ea quæ tanquam absurda & indigna, in nostris mysterijs contemnunt hæretici: nos veluti certissima summæ erga nos charitatis diuinæ argumenta reucreamur, & nos ad grati animi significationem tantæ benefi-

46. & ad Neophi, Ipsum sustulit in cœlum ipsum, nobis exhibet corpus.

Amâtes mortu se mutuo perunt.

Manibus omnium pertractatur, qui à dextris sedet.

Videmus verè Christi corpus cum species panis sub quibus est videmus.

centiæ declarandam excitemur.

Remedia contra absurda.

Ante resurrectionem datum Christi corpus. Apostolis, eodem modo datum fuerit & nobis.

Contra ea quæ afferunt de ventre, muribus, conculcatione, vt auribus castis parcamus, neue os nostrum maculemus, & tamen infirmis succuramus: duo afferimus, & illis, si sapere volunt responsa, & nostris remedia. Primum est: cogitandum nobis esse corpus Domini nostri, non iam eius conditionis esse, vt possit ex sua natura aliquod dedecus pati, aut iniuriam: cum omnem talem infirmitatem per gloriam resurrectionis deposuerit.

Nam quod obiicit aduersarius, non iuari nostram sententiam conditionibus, quibus corpora gloriosa post resurrectionem dotantur, eò quòd institutio Cœnæ Dominicæ, omnes illas corporis gloriosi qualitates antecesserit: sciat velim, vnũ esse semper Christi corpus, vnã Eucharistiã, vnum in ea manducationis modum, eandemquã tanta miracula operanda Christi potentiam, tam ante quàm post resurrectionem: verum non eundẽ semper existentie Christi corporis modum. Sicut nunc aliter est Christi idem corpus à dextris patris in cœlis, & aliter in Eucharistia: ita & in illa nouissima cœna, in vno & eodẽ corpore:

corpore diuersam existendi rationem habuisse illud agnoscimus. Passioni obnoxium erat Christi corpus; quod in cœna conspiciebatur, idem tamen illud erat, quod inconspicuo & impassibili modo in Eucharistia manducabatur. Quantumuis ergo corpus Christi in seipso passionibus obnoxium ante resurrectionem fuerit, tamen prout se ipsum Apostolis in Eucharistia præbebat pati non poterat. Cœterum, post resurrectionem ad ea miracula de corpore Christi credenda, quod nimirum sine vlla sui diminutione, sine vllò dedecore & detrimento manducetur, ac omnibus se integrè impertiat, hoc momenti accedit, magisq; fidem nostram corroborat: quod ante gloriã resurrectionis in vltima cœna, licet ab Apostolis, sicut & nunc à nobis, absq; vllò doloris sensu manducabatur, in seipso tamen læsioni subiectum erat: nunc autem post resurrectionem, & in se ipso, & in Eucharistia nihil prorsus pati potest. Alterum illud est: non posse nos ratione nostra plenè & perfectè comprehendere modum, quo in hoc mysterio Christi corpus existit, & nobis ad manducandum præbetur: & quicquid ra-

Alterum remedium.
Existendi modus rationi incomprehensibilis.

Ignorantiam
fateri in Dei
mysterijs, nō
est pudor sed
fides.

Matth: 22.

Augustin: ad
Volusi; epist.

tio ac consideratio nostra affert, dum iudicat iuxta consuetum manducandi modū, & cursum rerum quas tractamus: scopum non attingit, nec attingere potest, cum omnem cursum naturæ & rationis superet. Nequaquam pudori nobis esse ducamus, sed hinc fidei quæramus laudem, si de his difficultatibus interrogati, nescire nos nec intelligere modū profiteamur. Non putemus detrahi ipsi veritati & existentie corporis Christi in hoc Sacramento, si modū eius plenè sicut nō comprehendimus, ita nec verbis explicare valemus. Hoc nos scire dicamus: Christum verum esse, vera dicere, omniaq; posse, & corpus eius nulli cruciatui aut afflictatiōi subiacere. Non ignoramus scripturam, sicuti Saducæi quibus id obiectum est à Domino, in qua legimus, Dominum acceptum panem benedixisse, & sic locutum esse: Hoc est corpus meum; non ignoramus virtutem Dei, qua potest quod dixit etiam facere. modum autem operum Dei ignorare nos fatemur libentissimè. Cum sanctis dicimus: Credimus Deum multa facere posse, quæ nos fatemur inuestigare non posse. In talibus rebus ratio facti est potentia facientis

cientis. Nihilominus cum D. Chryfostomo In Encensio-
 respondemus: Num panem vides? Num vinum? nū
 sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, Ne sic cogites:
 vt enim cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substan-
 tiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta, mysteria cor-
 poris consumi substantia. Confitemur cessantibus
 speciebus corpus Christi cessare, nec ibi esse
 vbi species iam corruptæ sunt, sed sicut illud
 de cælo non descendere, ita nec ascendere as-
 firmamus: verum postquam cœlesti gratia
 & vigore animam & corpus repleuerit, illic
 esse desinere. Ultra indagando progredi non
 licere putamus. Proinde quod aduersarius ex
 Glossa Decreti cuiusdam obiicit, cum omni-
 bus Catholicis reijcimus: non nulla enim talia
 glossæ illius author imperita simplicitate scri-
 psit, quæ ab Ecclesiæ Doctoribus exploduntur.
 Frustra ergo hoc nobis tribuit, quod nemo
 prudens Catholicus, nemo SS. Doctorum,
 nullum Concilium dixit: sed iurisperitus po-
 tius quàm Theologus opinatus est, corpus Do-
 mini post sumptionem ascendere in cælum so-
 lere. Nos vt descensum negamus, ita nec ascen-
 sum statuimus, sed mutatione substantiæ pa-
 nis, postea quam consecratio peracta fuerit,
 corpus

Ad Glossam
 Decreti de a-
 sensu Chri-
 sti corporis
 in cælum.

corpus Christi ibi esse incipere, vbi non erat: corruptis autem speciebus, ibi esse desinere vbi erat, docemus & credimus firmissimè. Quemadmodum manu hominis abscissa, anima quæ illi omnem vigorem sufficiebat, in ea esse desinit, sine tamen vlla loci mutatione, aut sui corruptione. Cœtera vas tuum o in dagator maiestatis, vas inquam angustum & ingeniolii tui phantasma capere non potest, nec vias altissimi comprehendere valet. Pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi sicut dixit Angelus ad Esdram, flatum venti, aut reuoca mihi diem quæ præterijt. Nec interrogo te nisi de igne & vento, & die per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis. Tu quæ tua sunt tecum coadolescencia non potes cognoscere: & quomodo poterit vas tuum capere altissimi viam. Hæc ille. Hoc responsum habeant curiosi isti. Cogitemus & illud corpus Dominicum in hoc Sacramento, licet sit verum corpus, non tamen ibi esse modo corporeo, sed soli spiritui proprio & nostro ingenio incomprehensa quæ dâ ratione. Ideo à Domino dictum est: Caro non prodest quicquam,

Opera Dei in
peruestigabi
lia.

4. Esdr : 4.

Non est cor-
poreus exi-
stendi modus.

quam, Spiritus est qui viuificat. Caro enim simplex & expers diuinitatis, hæc admirandas proprietates non habet: sed spiritui, hoc est diuinitati coniuncta, operatur tāta in Eucharistia miracula, inexplicabili diuinitatis potētia. Manducatio deniq; licet sit circa materiam corpoream, quæ est corpus Christi, modus tamen eius est admirandus: quia non per se ipsum corpus illud sentitur aut videtur, nec per extensionem quantitatum ibi est, licet omnes qualitates & quantitates corporis ibi habeat, non etiam per modum fractionis & cōmolitionis manducatur. Vnde duo illa quæ obijcit aduersarius soluuntur de interna Antropophagia, & de dictionis modo in verbis Berengarianæ confessionis, (in qua dicitur corpus Christi dētibus atteri) Hoc differre dicūt aduersarij inter Catholicos & Capharnaitas: quod illi externam, nos internam discriptionem corporis Christi, & eius membrorum laniationem cogitemus: illi aspectabilem, nos ab oculis remotam. Verūm nos etiam modo inconspicuo nequaquam discerpi & conteri Domini nostri membra arbitramur, licet verè & corporaliter ipsum

Manducatio licet circa substantiam corpoream, tamen modus eius mirabilis

De Antropophagia.

De Cæna.

es
Caro & sanguis quomodo nihil proficit.

corpus manducemus. sicut audiuit D. Augustinum libro prioris, ita nunc audiat D. Cyprianum hac de re loquentem: *Capharnaite, inquit, abierunt retrorsum, quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci humana carne, existimantes hoc eodem modo dici, ut carnem eius elixam vel assam sectamq; membratim edere docerentur. sed in cogitationibus huiusmodi, caro & sanguis non prodest, quia magister exposuit: verba hæc spiritus & vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Vniuersa ad has epulas inuitatur Ecclesia (audiat aduersarius) æque omnibus portio datur, integer erogatur, distribucus non demembratur, incorporatur (animaduertat) non iniuriatur, recipitur non includitur, cum infirmis habitans non infirmatur, fides pura, mens sincera, hunc habitatorẽ delectat, nec immensi & omnipotentis magnitudinẽ domus nostræ angustia vel offendit vel arctat. En istas quas de antropophagia opponunt Calvinistæ absurditates, sanctus Christi Martyr non timet: cuius sententiæ si se subijcerent isti, omnes tã curiosæ eorum quæstiones cederent. Carnẽ illam has proprietates à diuinitate, cum qua modo hypostatico coniungitur mutuari, rectè cum sanctis docemus, ut in tot sit locis integra, ut sine sui iactura omnibus æquè communicetur, ut sine vlla iniuria & laceratione manducetur. quò omnis crudelitas Capharnaïtica*

naitica & Antropophagia Calvinistica excludatur. Hoc modo & Nestorium D. Cyrillus repellit, qui separationem diuinitatis in Christo ab humanitate, ex manducatione corporis Christi in Eucharistia probabat. Māducat, inquit, Christi carnem non diuinitatem: est ergo separata caro eius à diuinitate. Sed respondet Cyrillus cum tota illa Synodo ^{Vt supra.} sacra, non simplicem carnem nec simplicis hominis manducari in Eucharistia, sed ipsius filij Dei, & verbi carnem diuinitati hypostaticè coniunctam. Aliter enim, inquit, ^{Infra cap: 11} antropophagiā exerceremus. Si diuinitate vacua esset caro illa, discerpenda esset & dilanianda ad manducandū, nec tot hominibus satis esset. At coniuncta diuinitati, ab ipsa hoc habet, vt sine iactura sui ab omnibus integrè sumatur, nec consummatur: & vt à dextris Dei sit, & nihilominus in Eucharistia omnium manibus & ore pertractetur.

Alterum illud expendamus: Si non manducatur, inquit, isti per modum fractionis & commolitionis, quare ergo Christi corpus dicimus dentibus atteri, manibus tangi, quod in Berengarij confessione exprimitur. Habe

De confessio:
Berengarij.

Specierum ar
cta coniunctio
cum Christi
corpore.

at responsum. Non frangi Christi corpus ipsum nec tangi per se, sicut nec videri dicimus, verè tamen illud videri, tangi, & dentibus atteri affirmamus, cum ipsæ species & signa sub quibus ipsum Christi corpus latet videntur, tanguntur, & dentibus atteruntur: quod fit propter arctam ipsius sanctissimi corporis cum speciebus coniunctionem: quæ cum sine suo subiecto ibi maneat, & à diuina virtute propter præsentiam corporis Dominici sustentetur, id quod in eis fit, in corpore ipso verè fieri dici potest: sicut diceret fieri in substantia panis, cui corpus Christi ex vi trāsstantiationis successit. Nam sicut cum panem videmus, verè nos & non figuratè panem videre affirmamus, licet ipsam substantiam panis prorsus non aspiciamus, sed sola accidentia. & cum Regem vestitum purpura tangimus, verè nec figuratè Regem tangimus. Sicut Hemeroissa tetigit verè Christum, licet vestem eius tantum tetigisset, dicente Dño: Quis me tetigit, non quis meam tetigit vestem. si figuratè tetigisset, figuratam salutem videretur fuisse consecuta. Maior autem est coniunctio specierum panis cum Christi corpore quam ipsius Christi cum veste: et si milè fere, vel etiam arctiorè, atque est accident

tium cū sua substātia, excepta inherētia specierū cū Christi corpore fieri, profiteri possum⁹. Hac dictiōis forma, qua vsi sunt Patres cōtra Berengariū, qua corpus Christi in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fideiū dentibus atteri dixerūt: alios quoq; antiquiores Ecclesiæ Doctores, ante ipsos vsos fuisse inuenimus. Nam vti supra recitauimus Chrysostomi sunt illa verba: *Qui cum Patre sursum sedet, in ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus illum accipere & complecti. Fit autem nullis prestigis, sed a pertis & intuitum omnium oculis. Et alibi: Datur nobis sanctissima caro non solū vt videamus, sed vt dentes illi insigamus.* Ab hac sententia diuersum me aliquid dixisse frustra comminiscitur aduersarius. Si asserui, species panis solas post consecrationem figuratē dici corpus Christi, eo quod contineant id ipsum: quid est à me peccatum? Ac in his verbis: Corpus Domini pertractatur Sacerdotum manibus, frangitur, comeditur, dentibus atteritur, nunquam figuras admisi: & si admitterem in corporis fractione figuram, quid istis contra veritatem præsentiae patrocinaretur? Nunquid ideo non esset ibi verum & naturale Christi corpus, sub specie

bus quæ franguntur, & dentibus atteruntur, quandoquidem substantiã panis verè in Christi corpus tranſiſſe, diuinorum verberũ authoritate & Spiritus sancti voce permoti affirmamus: nec vllius tropi aut figuræ in illis Christi Domini, circa ipsam institutionẽ Eucharistiæ, prolatis verbis: Hoc est corpus meum, vestigium admittimus. Huc spectat & illud, intelligenda esse rectè verba sanctorum, qui quandoq; corpus Domini in Eucharistia videri, quandoq; non videri docent: neq; vlla ratione contraria sentire, sed varios respectus spectare credendi sunt, sicut nec nos dicimus contraria, cum Christi corpus frangi & non frangi, atteri dentibus & non atteri affirmamus. Vnde Cyrillus *tunc* inquit, *sanctæ congregationes sunt die octauo, & foribus sublimiori modo clausis, visibiliter simul atq; invisibiliter Christus omnibus apparet, invisibiliter quidem ut Deus, visibiliter autem in corpore, præbet enim nobis carnem suam tangendam.* Quandoq; etiam exclamat D. Chrysostomus: *Quot modo dicunt, vellem formam eius videre, aspicere figuram, vestimenta, calciamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et iterum: Quod in cruce Christus passus non est, hoc iam in oblatione patitur ac sustinet, cum propter nos frangitur, ut nos Janet, fractus ut nos sibi coniungat.*

Corpus Domini & videtur in Eucharistia & non videtur.

Lib: 12. sup
Ioan: cap: 58.

Homil: 61.

iungat. Alio tamen loco videtur dicere contrariū: *Nihil hic sensibile nobis Dominus tradidit, sed in rebus sensibilibus omnia insensibilia, & siquidem incorporeus esses, nuda tibi ea & incorporea tradidisset: quia uero anima tua corpori coniuncta est, in sensibilibus hec tibi intelligibilia præbet.* D. etiam Augustinus aliquando In Psal: 98.

quidem in persona Christi loquitur: *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent.*

Alio tamen loco inquit: *Hoc accipe in pane* (id est speciebus panis, ita enim crebro panis nomen usurpari etiã in sacris literis iã docuimus) *quod pendit in cruce. Hoc accipe in calice, quod fustum est de latere.* Et idem lib: iij de Trinitate cap: x. tradit matres suo tempore autoritate grauissima docuisse infantes suos, conijcere oculos in corpus Domini positum in altari. Hæc nõ sunt pugnantia, sed à diuersa consideratione existentie corporis Christi profecta dogmata: Non hoc corpus comedetis, hoc est, non in hac visibili forma: sed hoc comedetis, in eadẽ videlicet essentia & natura permanēs. Video & verè tango Christi corpus, cum illud per species, sub quibus re ipsa latet, video & tango, siquidem Christi corpus substantie panis in ipsũ cõuersi vices gerit, porro cũ dicimus,

nec vi

Tractat: 31.
& 40. in loã.

Consideratio
diuersæ exi-
stentiæ elicit
diuersos lo-
quendi modos

non videri, nec tangi, nec frangi Christi corpus in Eucharistia, illud secundum suam naturam, quæ semper integra in singulis specierum partibus manet, consideramus: sicuti animam rationalem in corpore extensam & non extensam diuersis considerationibus, verè & absq; vlla contradictione affirmamus. Extensam quidem propter corporis vitã, cui præbet extensionem: non extensam vero secundum naturam suam, quæ sicut materiæ cõcretione, ita etiam omni extensione caret. Sed quid pluribus opus est, cum Apostolus planè testetur dixisse Christum: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Sic enim habetur in Græcis codicibus. Attributa enim specierum panis & vini, Christus per quandam communicationem idiomatum affirmavit de corpore suo. Ad confundendum magis Adversarium, subiiciam hîc Lutheri ipsius verba de Palinodia Berengarij: Errant, inquit, Suuermeri, ac Glossa in iure Canonico, cum Nicolaum Papam reprehendunt, cum Berengarium coegit ad confessionem, qua dicit se atterere dentibus verũ Christi corpus. Atq; vtinam Papæ omnes tam Christianè egissent atq; pon

In confessione
Maiores.

atq; Pontifex ille, cum Berengario in confes-
sione ista egit. Est enim vera sententia, quòd,
quisquis panem comedit, is comedit id quod,
est verum Christi corpus, non tantum modo,
panem, vt Vicleffus docet. Audiret saltem,
hunc generalem suum Prophetam, cuius lau-
des celebrat. Verùm isti etiam inter suę sectę
magistros, nullum habent cui obediant. Dis-
sident Zuingliani à Lutheranis, & horrendè
quidem idq; in præcipuis fidei capitibus: con-
cordiam tamen nobis nescio quam ostentāt,
illam scilicet, cum ad veritatem & nos Catho-
licos oppugnādos deuenitur, in sententijs autē
de rebus diuinis turpissimè & omni tempore
dissentiunt. Iam quod dicunt: si mures cor-
rodant vel in cænum deiciatur sanctissimum
Sacramentum, nunquid hoc est corpori Dñi
nostri tribuendū, res hæc sanè intollerabilis
videtur: Lutheranos quidem incogitantes &
imprudētes, hæc vnica ratio ad rudissimū illū
& omnium, qui excogitari possit, crassissimū
errorem impulit: vt abnegata transubstanti-
atione, corpus Domini etiam post consecra-
tionem non esse in Eucharistia nisi in ipso vsu
dicerent, quasi vsus rem faceret, & id quod

Nulla absurda eripere nobis fidem debeat.

De carne Christi.

Epistol: 49.

manducandum est, ipsa manducatione produceretur. Nobis autem illa duo sunt certissima, alterum nec arrodi, nec vlla iniuria aut contumelia affici ex se posse Christi gloriosissimum corpus: alterum, nulla absurda quacunq; veritatem dictorum Christi consequi videntur, eripere nobis fidem debere, aut nos à credendo auellere. Alioqui Marcionistæ iam pridem nobis fidem incarnationis labefactassent, qui mille turpitudines & absurditates in conceptu & partu fœmineo inueniri solitas opponebant: quarum rerum indignitatem ne in Deum cadere concederent, veritatē assumptæ in Christo nostræ carnis pernegabant. Quibus tam animosè illa verba Tertullianus opponit: *Sire vera, inquit, Christus de lupa, aut sue aut vacca prodire voluisset, & fera aut pecoris corpore indutus, regnum caelorum predicaret, tua opinor illi censura prescriberet?* Et D. Augustinus sic scriptum requirit: *si fides Christianorum metueret cachinnos Paganorum (addo ego hæreticorum & Calvinistarum, qui hac in re gentilium impudentiã superant) in Christum non crederemus.* Tametsi quædam stulta videantur rationi humanæ quæ credimus, malumus tamen videri stulti Christo creden-

credentes, quàm cū hæreticis in perfidia pruden-
 dentes. *Quod enim stultum est Dei, ait Apostolus, ^{Prime ad Co}
^{rint: cap: 1.} sapientius est hominibus.* Quid foedius vtero foæ-
 minæ? quid magis spurcum quàm infernus,
 in quo anima Christi pertransit? Basilius Ma-
 gnus testatur, cū Manichæos puderet fateri
 filium Dei in vtero virginis delituisse, nō ver-
 bis Catholicos, eorum stultitiam refutare so-
 litos fuisse. Radij Solis penetrantes lutum nō
 maculātur. Nos nolumus in diuinis operibus
 esse curiosi, etiamsi non omnium plenam ra-
 tionem reddere sciamus, ignorantiam cum
 fide libenter profitemur. Credo id quod De-
 us dicit verū esse: quomodo autem sit ignora-
 re vti dictum est, me fateor. Christus à Dia-
 bolo portatus, & à Iuda Dæmonis iam facto
 mancipio susceptus in Sacramento esse dici-
 tur. Hæc vt credamus nullis absurdis deterre-
 mur, sicut nec illis quibus consputum, flagel-
 latum, occisum, & Regem gloriæ cruci fixum
 homines prophani deridēt. Fatetur Volanus
 Patres antiquissimos præscribere diligenter,
 ne Christi corpus in terrā cadat, quod si ac-
 cideret, iubent honorificentissimè resumī, &
 locum eradi, materiamq; erasam comburi:

Patribus nul
lum absurdū
eripiebat fidē

Ser: de lapsis

Veritas & cha
ritas omnia
absurda supe
rat.

iubent studiosissime S. Eucharistiam recludi,
iubēt reliquias ab infantibus exedi. Quæ o
mnia declarant nullum absurdum, nullū ca
sum eripuisse illis fidem, quin semper duran
tibus post consecrationem speciebus verum
sub eis Christi corpus permanere crederent.
Et D. Cyprianus, quod euomuerat puellula,
non dubitat Christi vocare sanguinem. Su
perat autem facile omnia hæc absurda, quæ
istis ingerit Sathanas, & per quæ eorum iu
gulat fidem, tanta veritas, & tanta charitas
Christi Dei nostri erga nos, & nostra in cre
dendo obedientia, ac in reprimendo & edo
mando intellectu fides. Ista diuinæ veritati &
omnipotentiae nunquam audēt obistere, o
mnia absurda perrumpunt, omnia difficilia
frangunt. Talis mens deiectionem & amoris
Christi magnitudinem obuīs excipit vnīs,
nihil de modo curiosè sollicita. Indignum &
maximè absurdum videbatur Petro Dominū
sibi abluere pedes, obedientia tamen & sim
plicitas in mysterijs, de quibus Dominus di
xit: Quod ego facio tu nescis, scies autē post
ea, non discutiendis, vicit omnia. Et Ioanni vt
baptizaretur ab eo Dominus, non minus ab
surdum

surdum videbatur : tamen obedientiæ vicie
 minimè curiosa simplicitas. Melior est obedi-
 entia in domando intellectu, & subiiciēda ra-
 tione vt Deo dicenti credas, quàm vt illū vi-
 stimis honores, et interim eius verbis resistas,
 operumq; eius ac iussionis examen suscipias.

Honoratur
 Deus obediē-
 tia magis quā
 sacrificio.

Summè Deus honoratur, cum illi supra rati-
 onem & captum nostrum præcipienti credi-
 mus, & de eius potentia maxima quæq; sen-
 timus, promptitudinemq; ei voluntatis in o-
 mnibus exhibere discimus. Inuitat, inquit
 Augustinus, Dominus seruos, & præparat il-
 lis seipsum. Quis igitur audeat māducare Do-
 minum suum? Et tamen ait: Qui manducat
 me, viuet propter me. Imò & præcipit: Nisi
 manducaueritis carnem filij hominis, non ha-
 bebitis vitam in vobis. Manducanda ergo est
 eius caro. Imò propterea (teste Chrystos-
 tomo) paulò antequam Dominus miraculum
 conuersionis panis in corpus suum Caphar-
 naitis exponeret, præmisit aliud miraculum
 multiplicationis panum, vt per hoc illud cre-
 dibilius redderetur. Verba Chrystomi de
 Capharnaitis loquentis hæc sunt: *Abierunt re-
 tro propter eorum stultitiam. Quando enim subit questio.*

Ex ferm: de
 verb: Euango-
 citat à Beda
 1. Cor: 10.
 Idem 2. de
 Consecr.

Chrysi: hom:
46. in Ioan.
Ioan: 3.

quomodo aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ita & Ni-
codemus perturbatus est inquiring, quomodo potest homo in
ventrem matris suae iterato introire? Itidem & hi nunc:
quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducan-
dum? Nam si hoc inquiris, cur non idem in quinque panum
miraculo dixisti, quomodo eos in tantum auxit? Quia tunc
tantum saturari curabant, non considerare miraculum. Sed
re ipsa tunc docuit, inquires? Ergo ex eo & haec credere o-
portuit ei facilia factu esse. Propterea id prius fecit mira-
culum, ne per illud non essent amplius increduli his quae
post modum diceret. Pareamus ergo iubenti & ex-
amen operum eius fugiamus. Quomodo cor-
pus eius nostris iungatur corporibus, quando
& quomodo cesset ibi esse ubi fuerat, quid sit
at in tali vel tali euentu, non quaeramus. Ille
scit operum suorum modos: illius sapientia,
mea obedientia: illius gloria & veritas, mea
salus: illius delectio, mea eleuatio: illius ex-
inanitio, mea omnium copia. Hoc vnum scio
summi & infiniti esse eius amoris erga nos,
vt proprio nos ipse alat corpore, & tanta in
Sacramento propter nos faciat miracula, ac
ita se nobis submittat, vt ne malis quidem pro-
pter electos suum subtrahat corpus, & tam
admirando modo praesens nobiscum esse corpo-
re etiam velit. Terra ipsa absorbere nos de-
beret, si per impiam ingratitudinem tantum
benefi,

beneficium respueremus. Amantium est sermo, sicut dixit quidam sanctus, in quo Catholicus feruor in seruis Iobi adumbratus exarsit: quis det de carnibus eius vt faturemur. Odientium est vox illa Volanica: Horreo carnem eius manducare. Etiam præsentiam eius imò & imaginem horret. Nos verò vt cum D. Cypriano loquamur: innecti illi carni, & in latere crucifixi immergi ac inde de fontibus haurire Saluatoris desideramus, & mammillam hæc diuinissimi cibi, maiore feruore quàm infantes matrum solent, apprehendimus, & plus quam maternū hoc in nos beneficium admiramur.



Caput

CAPVT DVOD DECIMVM.

De adoratio-
ne SS. corpo-
ris Christi.

Idololatriam Catholicis in Eucharistia Christum
verum Deum adorantibus exprobrant: re ipsa
autem Christum adorare prohibent.

Ars Sathanz



ST & illa quam hic ultimo loco detegimus, impostura Sathanz, in irretiendis & capiendis istis tenebrarum filijs, magno posita artificio. Cultum in Eucharistia Christi nostri, vnicam grati animi & obseruantie erga redemptorem nostrum, magna contestatione declarandæ, suæ memorię peragendę, mortisq; annũciandæ relictam margaritã, idololatriã esse illis persuasit. At quo sine? vt scilicet & quasi per gradus, diuinos Christo honores subtraheret, hocq; ipso apud istos efficeret: vt vel illũ Deum verũ nõ esse, vel corpus eius separatum à diuinitate tali gloria indignum crederent & prædicarent. Quam eius artem ignauia ista in Ministris, & stultitia in plebe, quæ cecos sine vllõ legitimæ missionis iudicio sequitur duces, nihil bene intro

nè introspectans: mirum est quanta alacritate ad ruinā perfidiæ properat: quasi bos quādo ducitur ad victimam, & quasi agnus laevis uiens & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur. Nullus est locus in quo se magis securos putent, & ex quo magis præcípites cadant. Nullum putant tam apertum errorem inueniri, quem exprobrare se nobis posse existiment, & tamen nihil est in quo illis turpius Sathanas imponat. Omnes Sacrificium diuinum Missæ idololatriæ nomine, peius cane & angue oderunt: cum tamen nusquam tam aperta odij sui in Christum & eius salutarem passionem proferant indicia. Plenis buccis tanquam victores in nos quasi idololatrias inuehuntur, cum interim (incauti an prudentes nescio) Christum ipsum idolum & falsum faciant DEum: cuius cultum externum & adorationem sensui expositam, toto orbe proscribunt, & sub abominationis & desolationis turpissima constituant idola. Huius idololatriæ abolendæ nomine, qui verus est & soli Deo Christo no-

Prouer: 7.

Inconsideratio Nouatorum.

Classicum he
reticorum.

Petulantia cō
uictorum in
aduersario.

stro debitus cultus, quasi classico, omnes la-
trones ad diripienda Christi, quæ ipsi idolo-
rū appellatione dedecorant, templa, ad occi-
dendos Sacerdotes eius, ad Ecclesiarum inuat-
denda bona, vt suæ auariciæ colant idolum,
cōuocant. Huc respicere videtur & Volanus
fere singulis chartis idololatrie nos accusans,
& ad reliquias cultus Christi delendas in
Lithuania hostes Ecclesiæ Dei hoc modo allu-
ciens: deletaq; iam esse multa & vacua videri
monasteria ac templa, sibi ipsi suorūq; sacri-
legio gratulatur. Iisq; & alijs verbis nobis ca-
lumniosè insultat. Urbanus, inquit, Quar-
tus tandem festum illud corporis Christi in-
stituit, in quo cum magna pompa & venera-
tione crustulum illud panis adorādum omni-
bus prostituit. Didicit à Magistro suo Be-
za, & eius asinino libro tragicam facundiam,
spurcissimis probris & comparationibus cul-
tum Christi Dei nostri diuexat, & in ritus sa-
cro sanctos, per totum Catholicum orbem ce-
lebres, debacchatur: & gloriam Christi no-
stri in idolum conuertit, & turpissima quæq;
in illum egerit, Dianaq; illi & Cereris nomē
tribuit, atq; cum illorum idolorum obscenis-
simis.

ſsimis ſacris, eius intemerata myſteria com-
 parat, & petulantiffimè irridet, hancq; mate-
 riam exacuendi odij ſui erga nos & erga Chri-
 ſtum noſtrum, quaſi in theatro mulierculis
 inter cõuiuia exhibet. Quę ego legens & au-
 diens, ſumma animi acerbitate & dolore con-
 ficior, ac lachrimis perfundor, & in illas quã-
 doq; Mathathiaę prorũpo voces: *Vae mihi quid*

1. Machab: 2

*natus ſum videre contritionem populi mei, templum eius
 ſicut homo ignobilis, vaſa gloria eius captiua abducta ſunt,
 ſancta noſtra & pulchritudo noſtra & claritas noſtra de-
 ſolata eſt, & conquinauerunt eam gentes: quo ergo nobis
 adhuc viuere?* Verè enim talibus eorum depre-

Vaſtata tem-
pla in Lithua-
nia.

dationibus & vaſtationibus templorum ac Sa-
 cerdotiorum, taliq; eorum dicendi petulantia
 & furore plenis ſermonibus (quibus nobiles
 iſtos & proceres incautos in Lithuania cõtra
 nos & Chriſtum noſtrum accēdunt, armant,
 & ad exterminandam idololatriam, hoc eſt
 cultum veri Dei qui illis eſt idolũ, nobis via,
 veritas & vita, inertes quoſq; ſtolidos & aua-
 ros conuocāt) direpta, vaſtata, & deſolata
 ſunt templa: polluta ſunt eorum ſpurcitijs ſa-
 cra omnia, non à Turcis & Tartaris quod eſ-
 ſet tolerabilius, ſed à filijs eorum, qui olim
 in hanc prouinciã Chriſti nomen abdicã-

tis idolis inuexerunt: eius templa liberalitate
 maxima cultum sui redemptoris plantantes
 dotauerunt: ab eis qui Christianum nomen
 assumunt, & ipsi nobiscum eandem quandoq;
 sunt professi fidem. Qui adduci potest homo
 iste, vt nobis idololatriam adscribat, cui con-
 sciētia sua testis est: pueros, infantes, & anus,
 in nostra adoratione huius diuini corporis
 solum Christum inclamare, & ei omnem il-
 lum honorem deferre. Gentiles quidem teste
 D. Augustino, colere nos Cererē & Bacchū,
 quòd in specie panis & vini Deum nostrum
 coleremus, calumniati sunt. veniam illorum
 meretur ignorantia. At qua venia dignus e-
 rit Volanus, cui tanquam apostatæ & profu-
 go nota sunt nostra mysteria, qui confitetur
 post consecrationem nullum nos panem in
 Eucharistia agnoscere: quòd magis se nobis
 quàm omnes Ethnici illi infestum præbeat,
 ac in calumnianda & conuiciāda Ecclesia Dei:
 in effundenda tanta contra eam rabie, infide-
 les illos omnes superet. Verum ad totam hāc
 calumniandi pertinaciam prosterndam, v-
 nus etiam leuissimus ex eorum verbis desum-
 ptus ictus sufficeret, si iudex esset cui parerēt,
 & cui

Contra Fau-
 sum lib: 20.
 cap: 15. 16.

Contra suam
 conscientiam
 nos calumni-
 atur.

Vnus ictus, e-
 orum omnes
 de idololatria
 calumnias.
 prosternt.

& cui se per totū orbē quæsito subijcere vel
 lent. Ipsi fatētur & eo nomine nos accusant,
 quòd panē totū ab Eucharistia amoueamus.
 Hæc enim sunt verba Volani: ¶ Si nullus am-
 plius remanet panis in Eucharistia, vt Scoti
 stæ volunt, (ita vocat Catholicos Doctores) »
 nulla iam similitudo, nullaq; analogia inter »
 visibilia signa & res inuisibiles intercedet, atq; »
 sic tota vis et proprietas Sacramenti peribit. »
 Et alibi: ¶ Ostende Petre, quomodo signum Libr: 1.
 ab ipsa re discernis, qui totam corpoream cre- »
 aturam in hoc Sacramento aboleri deprædi- »
 cas. » Et alibi: ¶ Panem ex Eucharistia abo- »
 lent Papistæ. » Et alibi: ¶ In terram prouo- »
 luti signa pro ipsis rebus accipiunt, & non pa- »
 nem: sed Deum se conspicerere adorareq; pro- »
 fitentur. » Fatetur tam clarè nullum nos pa- »
 nem in Eucharistia post consecrationē agno- »
 scere, & non panem, sed Deum nos adorare: »
 & tamen rursus panem nos colere mentitur. »
 Si panem ex Sacramento iuxta illum abole- »
 mus: si totam corpoream creaturam ex illo »
 mysterio pro eo atq; ipse profitetur amoue- »
 mus, quomodo in illo creaturam adoramus, »
 & idololatræ sumus? Benedictus Christus
 Y y iij meus,

Libello pro
rc.

Libr: 1.

Contradicti-
ones aduersa
rij.

Obturatur os
loquenti ini-
qua.

meus, Dominus meus, & Deus meus, quem
in hoc Sacramento supplex & magna animi
alacritate adoro: quia obturatum est os lo-
quentium iniqua, & mentita est iniquitas si-
bi: quanta temeritate crimen hoc nobis dete-
standum impegit, tanta itidem leuitate ab eo
nos ipse excusat iterū, & sua condemnat men-
dacia. Quod si dicat Christum quidem colit-
tis, sed ibi ubi non est: nū illi ubiq; esse Chri-
stum secundum diuinam naturam negant?
Nos verò etiam corpus eius sub illis speciebus
esse sanctè affirmamus, & ad omnem idololat-
triæ suspicionem tollendā satis esse ducimus,
quod fatetur aduersarius, nullum nos panem
ibi credere, sed totam eius substantiam & na-
turam in Christi corpus conuerti? Expurga-
mur ergo ab istis licet incautis, inuitis, & su-
is laqueis irretitis: proditur illorum insipient-
tia, & nostra sancta, debita, & simplex erga
Christum obseruantia: illorū in ipsum Chri-
stum detestabile odium detegitur, quòd ei
hanc adorationis gloriam inuideant: noster
in eum summus amor cōmendatur, cum eum
tanto uenerationis cultu, vt par est prosequa-
mur. Non erramus sub illis speciebus præsen-
tissimū

Odium in
Christi glori-
am in aduer-
sarijs.

tissimum esse Christum confitentes Eius enim planissima verba, plenissima sequimur fide. Si erraremus, ab omni culpa longè abessemus, ea quippè in ipsum authorem verborum transferretur. Ille professus est corpus suum id esse, quod in hoc mysterio eius verbis efficitur: ipse nos ab ea idololatria premuniuit, (quod erat ad rem tanti momenti necessarium) cum sine vlla additione figuræ vel signi, adhibita etiam clara interpretatione: Quod pro vobis tradetur, dixit: Hoc est corpus meum. Quod quilibet Christi religionem professus dum audit, & eius esse corpus tanto authore dicente, vt æquum est credit: quomodo non statim corruat in terram, & cum fidelibus Apostolis, qui eum in nauicula in carne adorauerunt, proclamet: Verè filius Dei es. Et cum Thoma procubens dicat: Dominus meus & Deus meus. Absit vt quisquam in animum suum inducat mendacem esse Deum: absit, cogitet aliquis: Christum nostrum, qui ad liberandos nos ab idolis & tenebrarum operibus, Sathanæque potestate, venit: qui dilexit nos in finem, Testamenti sui verbis, quæ sicuti vltima ita & clarissima esse solent, in tantum nos
 scelus.

Qui credit esse
 se ibi corpus,
 adorat necessarium.

Matth: 14.

scelus non pertraxit, nec tantæ impietati, pietatis fundator, patrandaë exposuit. Illi potius omnem nefandam impietatem inuehunt, qui verbis eius non credunt, & eam quæ creatori & restauratori salutis nostræ debetur gloriam subtrahunt.

Consilium
Sathanæ in
auferenda a-
doratione in
Eucharistia,

Consilium autem Sathanæ, quæ iste Christi cultus in Eucharistia torquet, & quem delectum ac in se translatum vellet, istud est: ut sensim ad tollendam Christi diuinitatē progrediatur. Per Lutheranorū tot sectas agit hoc quodammodo eminus, per has autem multiplices Sacramentariorum, quasi iam alias emensus portas, fere iam cominus dimicat. Cū profiteri illos vult sicuti probamus: Christū non posse leges naturæ immutare, neque efficere posse, ut corpus sit sine apertis corporis proprietatibus, nec ut vnum pluribus in locis existat: Cū denique ad illud descēdunt, corpus eius sine idololatria adorari non posse, quod creatura sit, & adorationem omnem ad solum Patrem referri debere: quid aliorum discipulis Anabaptistis iam maiore audacia præditis, restat inferendum, quàm Christum non esse verum Deum? Torquentur acerrimè

cerrimè tanquam in obseſſis corporibus De-
 mones, Zuingliani iſti, cùm vident per plate-
 as & vicos Chriſtum in populis adorari, pri-
 mogenitum in orbem terrarum induci, & aë-
 rem vocibus illis repleri: *Adorent eum omnes An-*
geli Dei. Omne genu ſectatur illi, cœleſtium, terreſtrium,
& infernorum. Adorabunt eum omnes Reges terra. Et
 has voces non ad panē, quem ſtultitia iſta nos
 ibi negare fateatur: ſed ad ipſum Chriſtum re-
 ferri. Inde pleni furore, & oblitum quod falſi
 ſint, panem ibi nullum à nobis agnoſci, occul-
 tum illud in Chriſti diuinitatem odium euo-
 cunt, & idolū nos adorare conſingunt. Quid
 velint dicere, nullus relinquitur ambigendi
 locus. Si non eſt ibi eorum cōfeſſione panis,
 & ibi ſicuti audiunt præſens adeſt Chriſtus,
 cùm eum adoramus: ſi idololatriam exerce-
 mus, Chriſtus eſt idolum nec verus Deus. Di-
 cant quicquid velint, ſemper ex hac eorum
 confeſſione, & tantis contra adorationem e-
 orum inuectiuis, hæc, arte illorum acutiſſi-
 mi magiſtri fabricata prodibit concluſio. Niſi
 ſi publicam hanc in Euchariſtia Chriſti ado-
 rationem concedant: niſi eum quodcunq; di-
 cit poſſe ſemper & facere fateantur, hoſtes ſe

Pſalm: 2.
 Hebr: 1.
 Pſalm: 77.

Cōnexio ſen-
 tentiarū Vo-
 lani ad abne-
 gandā Chri-
 ſti diuinitatē.

eius diuinitatis, vix iam occultos prodent.
 Erupit & se prodidit iste Sathanæ dolus in eorum duce Zuinglio, à quo sunt nomen mutuati. Sicut ignis propter fumum, ita & eorū iste diu meditatus dolus cæleri non potest.

In confesio-
 ne ad Caro-
 lum 5. & de
 vera & falsa
 religione:

Corpus Chri-
 sti adorare, di-
 cit Zuinglius
 idololatriam

Eius verba sunt: ¶ Cū solus Deus, inquit, adorandus sit, & creatura prorsus nulla: ita vt etiam Theologistæ negent, puram Christi humanitatem citra discrimen idololatricæ adorari posse: quomodo non est summa impietas panem adorauisse? Quid verò est quod dicunt se panē non adorare, sed corpus Christi? an non iam creaturam adorant? ¶ Falso & impiè asserit corpus Christi adorantes creaturā purā adorare, vt & paulò post docebitur. Corpus enim Christi & Christus idem suppositum sunt, ac propterea eadem adoratione qua suppositum diuinum adoratur, cor adoratur etiam corpus illi hypostaticè coniunctum. Vnde qui adorat corpus in quantū est Christi, eo ipso adorat Christum. Adoratio enim sicut & quæuis alia actio in supposito terminatur. Audiat Aduersarius Augustinū sibi ipsi aduersariorum nomine obsecrantem. *Quid quòd carnem eius quàm creaturam esse nõ negas,*

Augustinus
 epist. 59.

negas, simul cum diuinitate adoras, atq; ei non minus quam diuinitati deseruis? Mox respondet: Ego Domini. à carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atq; Deitati vnita est, vt nõ alium atq; alium, sed vnum eundemq; Deum & hominem, Dei filium confitear. Deniq; si hominem separaueris à Deo vt Photinus, vel Paulus Samosatenus: illi ego nunquam credo. nec seruiuo. Velut si quis nostrum, aut purpurã aut diademata regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit: ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam aut nudã, sed diuinitati sua vnitã, vnum Dei filium, Deum verũ & hominem verum, qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. Hoc voluit iste eorum Magister ingerere discipulis, vt corpori Christi illa hypostatica vnio subtraheretur iuxta Nestorianam impietatem, & ipsi ad Arrianismum tandem deuoluerentur. Ideo Zuinglij primogenitus Calvinus, apertius quam ipse Magister, ad eandem impietatis prolem parturiendam se accinxit. ¶ Si corpus est inquit, (ait ille) & anima & diuinitas sunt vnã cum corpore, quæ iam diuelli non possunt. Igitur illic adorandus Christus. Primum si sua illa quam ob-

Idem dicit
Calvinus.

4. Instit. cap:
17. Num: 35

ant, si corpus ab anima & diuinitate separe
 tur: quis tamen sanus & sobrius Christi cor
 pus Christum sibi esse persuadeat? videntur
 quidem sibi suis syllogismis id conficere: ve
 rum cum de corpore & sanguine suo distin
 ctè loquatur Christus, modum autem præ
 sentia non describat: quomodo ex re ambi
 gua certò conficiēt quod volunt? Vide ser
 pentem, vide venenatam linguam: primum
 dubitat, vt apertè discipulos suos proclama
 re faciat, Christi corpus esse posse vbi non sit
 Christi diuinitas: vt Christū diuidat, & Ne
 storianam hæresim parum ab Arrij differen
 tem ab inferis reuocet, nosq; iam non artola
 tras sed anthropolatrias: non panis, sed homi
 nis adoratores vocitet. Præstant ergo disci
 puli Caluini suum officium, & oua quæ magi
 ster eorum peperit, excludunt. Hæc enim de
 illis Villagognon Eques Rhodij scripta reli
 quit: cum à Caluino Geneua ad prædicandū
 illi, eiusq; familiae, Euangelium Caluini misi
 quidam ministri venissent. Afferā eius verba:
 Huc descenderunt Petrus Richerus & Pontanus, vt carnē
 Christi diuinitatem negauerint, in Christo duas naturas di
 stinctas & differentes constituentes, quarum priuatim ra
 tionem

Discipuli Cal
 uini Richer⁹,
 & Pontanus
 daclarant Ma
 gistri mētem.

Ad articulos
 Caluinianos
 in præfatioe

tionem haberi oporteret, ne qui coniunctum Christum adoraret, creatura diuinum honorem exhiberet. Atq; huc se Minister Richerus incitauit, ut affirmaret Christū in Deo Patre non in humana carne adorandum. Addidit illum uiuos & mortuos non iudicaturum, sed Deum Patrem in filij persona ad iudicium appariturum. Multis uerborum præstigijs has insanias defendit, quas his libris impugnamus.

Idem refert eos ipsos Caluini Apostolos, Richerum & Pontanum, negasse, personæ Christi preces esse offerendas, ne humanitas eius diuino honore afficeretur: præterea eosdem scribit preces ad Christum in Ecclesia institutas omnes abrogasse: & illud quod semper cecinit Ecclesia: Gloria Patri, & filio, & Spiritui sancto, sustulisse: nec Nicænum symbolū in suis templis, diebus Dominicis recitari permisisse. Isti ergo quid in hac adorationis prohibitione uenentur, iam satis detegunt: ut si cuti diximus Christo ipsi diuinum honorem detrahant, & Nestorianam impietatem vel Arrianismum sensim quasi rorem descendentem, sed non ex cælo, introducāt. Benè perspectum habet Dux & Magister illorum Antichristus, qui in eis mysterium operatur iniquitatis, quanti referat externus iste cultus in Eucharistia, ad retinendam & radicandam

lib: 1. cap 37
Caluinistę negant Christo preces offerendas esse.

dandam diuinitatis Christi nostri confessionem, Sed ab hac impietate istis & alijs ex thesauro Ecclesiæ erutis armis nos tueamur.

Arma pro adoratione.

Caro Christi nunquam diuinitatis express.

Cōcil Ephes

Nulli orthodoxo & Catholico dubiū vnquam fuit, Christi Domini nostri corpus nec esse, nec fuisse, nec posse diuinitate esse vacuum, sed cum eo naturam ipsam diuinam ita coniungi, vt nunquam auelli inde queat. Quod vel hæc vnica ratio persuadet. Cū humana natura in Christo propria careat hypostasi, & eam sola diuina filiū Dei & verbi suppleat persona: idē est dicere, corpus Christi esse à diuinitate separatum, atq; dicere: corpus Christi in rerum natura non extare. Tota enim subsistentia eius, persona est filiū Dei. Hinc illa contra Nestoriū, qui duas subsistentias seu personas in Christo statuebat, sanctorum Patrum oppugnatio: hinc illud S. Leonis Papæ à toto mundo receptum dogma: Naturam humanam in Christo diuine operari, ideoq; proprietates vtriusq; esse vtriusq; naturæ communes. Nam etsi vtraq; natura, diuisas & sibi proprias habeat operationes: vna tamen est in vtraq; operantis persona. Actio verò non tribuitur naturæ, sed personæ.

personæ. Ideo propriè & catholicè dicimus, Deum passum & crucifixum, propter personæ cui actiones tribuuntur vnitatem: licet tantum ratione humanitatis sibi hypostaticè vnitæ, passus sit & crucifixus. Itaq; statuendum & credendum hoc firmissimè semper est: nullum nisi Nestorianum dicere posse, ibi non esse Deum & diuinitatem, vbi sit ipsum Christi corpus, cui propterea patriæ adorationem tribuimus, quòd nunquam ab eo diuinitatem separari profiteamur. Calvinistæ isti Nestorianos nobis producere conantur scorpiones, quos totus mundus exhorruit, vt deinceps etiam Arriana, sicuti iam fecerunt, producant monstra. Hoc Richerus & Pontanus aperte declarauit. Et Calvinus cum asserit Christi diuinitatem à carne separari, portam nefandæ illi hæresi aperit, suisq; discipulis inferenda reliqua commendat, quod ipsi boni scilicet Ministri impigrè præstant, & hætenus præstititerunt. Nestorius ad separationem corporis Christi à diuinitate, ab Eucharistia sicut & Calvinus depromebat argumentationem: quod in ea corpus sine diuinitate sumeremus: non est tamen ausus ille impius figuratam manducationem

Caluinistæ
Portam ad
blasphemandam Christi
diuinitatem
pandunt.

Concilium
Ephesinum.

ducationem carnis inferre, quod faciunt Cal
uiniste, tanquam minus habentes pudoris, &
illum in hoc artificij dolo superantes. Sed hæc
Nestorij stultitiam sancti Patres retundunt :
Non se carne simplici & diuinitate vacua, ve
rùm carne diuini verbi viuificatrice, in Eu
charistia vesci pronunciantes. Quomodo et
nim sine diuinitate caro prodesset & tot ho
minibus sufficeret? Patrum verba sunt : *Nun
ciantes secundum carnem mortem unigeniti filij Dei, id est
Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionē
pariter consistentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sa
crificij seruitutem (en Missæ sacrosanctæ sacrifici
cium, quod isti adeo oderunt) sic etiam ad my
sticas benedictiones accedimus (en consecratio &
benedictio, quam isti excludunt) & sanctifica
mur participes sancti corporis & sanguinis, omnium no
strum redemptoris effecti : non ut communem carnem per
cipientes (en realis præsentia & manducatio,
quam isti abijciunt) quod absit : nec ut viri sanctifi
cati & verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut
sicut diuinam possidentis habitationem : sed verè viuificat
ricem, & ipseus verbi propriam factam. Si ergo se
parant isti carnem Christi à diuinitate : si neg
gat Calvinus necessariam illam concomitan
tiam, ut vbi sit caro Christi ibi sit Christus,
imò ibi*

imò ibi sit Deus: Nestorium ab inferno susci-
 tat. Anima à carne Christi in morte fuit sepa-
 rata, diuinitas nunquam, nec ab anima nec à
 corpore. Non quidem nos dicimus carnem
 Christi esse ipsum Christum: sed vbi est ca-
 ro Christi, ibi necessario esse ipsum Christū,
 eius animam & diuinitatem. Qua de re & Pa-
 tres audiamus: *Qui carnem Christi manducat* (in
 quit Cyrillus Alexandrinus) *habet vitam aeternā,*
Habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita
est. Propterea dicit: ego suscitabo eum in nouissimo die. nō
enim ipse est alius quā caro sua. Non id dico quia natura nō
fit alius: sed quia post incarnationem in duos se diuidi filios
minime patitur. Et D. Ambrosius: In illo, inquit,
Sacramento Christus est. quia corpus est Christi. Et cum ce-
lebranda est oblatio, tunc utiq; paratus assiste, ut edas cor-
pus Domini, esu in quo remissio peccatorum est. suscipe autē
Dominum Iesum tue mentis hospitio. Vbi corpus eius est,
ibi Christus est. Et alij crebrius. Merito itaq; &
iure suo Christi caro cultu latræ adoratur,
vt merito Christus ipse adorari dicatur, cum
caro eius adoratur. Cuius nos adorationis ex
diuinis literis sumimus exempla. Hanc carnē
adorauerunt Magi in præsepio: hanc lepro-
sus ille: hanc cæcus natus: hanc in nauis &
post resurrectionem discipuli & mulieres a-

Vbi caro
Christi, ibi
Christus ipse.

4. In Ioan: 15

Lib: de mys-
ter: cap: 9.
& in Psal: 118
serm: 8.

[Adorationis
corporis Chri-
sti, & ipsius
Christi in scri-
pturis exem-
pla.

Math: 2.

Math: 8.

Ioann: 9.

Math: 28.

dorauerunt, cum Christum ipsum adorarent, & pedibus eius aduoluerentur. Ab his nos discimus honorem, non à Zuinglianis contemptum diuinæ carni, hoc est Christo tribuere. Hos Volanus reprehendat, quos ipse imitari in sua perfidia non potest. Nos non reprehendat, qui eadem cum illis fide & subiectione adoramus. illis contradicat, qui nos illos imitantes blasphemat.

Arriani exprobrabant adorationem Catholicis & idololatriam

Nec Nestorianos tantum, sed & Arrianos isti effingunt, de quibus tradiderunt sancti Patres, exprobrasse illos Catholicis, quod creaturam, hoc est Christum in carne, in mysterijs adorarent. Quibus respondet D. Athanasius:

In Arrianos oratione 5.

Nos, inquit, creaturam adoramus? Absit. In Ethnicos & Arrianos id delirium competit. sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Dei verbum adoramus. Nam & si caro per se pars sit rerum creatarum: Dei tamen corpus effecta est, quod seorsum discriminatum à verbo adoratione non prosequimur, nec verbum adoraturi id à carne seponimus, sed illud in carne situm Deum agnoscimus. Quis ergo tam vecors, ut ei ita loquatur? Absiste à corpore ut te adorem: tam impius, ut cum Iudeis propter corpus illi dicat: cur tu cum homo sis Deum te facis? Atqui non istiusmodi leprosus erat: adorabat enim Dominum in corpore, Deumque esse presentiebat. Et D. Hieronymus: Nos, inquit, hominem seorsum nec colimus quòd nefas est, nec, a-

Verbum à carne non separatur.

Matth: 8.

doramus:

adoramus: sed Deum magis incarnatum, qui proprium sibi corpus animatum vniuit, ita ut Deus caro fieret, & non in alium quemlibet, sed in semet ipsum caderet vnitatis, quia vnus & verus Dei filius temper erat. Et Epiphanius:

Adoras, inquit, Saluatorem incorporatum an non adoras? Quomodo. Verò non adorabo? si enim non adorauero, non habeo vitam. Creaturam igitur adoras. corpus veiq? Ne ingens eorum vesania qui talia dicunt. Et Rex enim purpurâ indutus ab omnibus adoratur. Num ergo purpura an Rex adoratur? Clarum est quòd Rex. Coadoratur autem cum eo etiam purpura quam gestat: quam vbi exiit, & in locû reposuit, non amplius illa vestis adoratur. Nemo dicit Regi: Surge ex tuo throno ne te adorem citra thronum: sed adorat Regem cum throno. Itaq; & Christus adoratur cû corpore sepulto, quod resurrexit. Crucifixus ergo est Dominus & adoramus crucifixum. Hæc D. Epiphanius. Multò maior est & arctior corporis Christi cum diuinitate hypostatica coniunctio quàm purpuræ cum Rege. Carnem enim nunquam deponit Christus, nec illa habet aliud subsistens esse personæ, nisi verbum. Abscedat ergo Nestorianicum istud & Arrianicum semen à Zuinglio & Caluino excitatum: fugiat à facie Domini & eius gloria Volanus, qui Christo hanc adorationem inuidet, & nobis tantæ necessitatis in exhibenda grati animi declaratione officium eripere conatur. Aut si

In Ancorat.

Non possu-
mus dicere
Christo, res-
linque carnē
ut te adorē.

Adorať Chri-
stus in myste-
rijs.

Epist.

August. epist
120.

In Psalm: 98.

potius isti nondum sunt reprobati, nec inter
filios perditionis numerati, imitentur nobis
scum, sanctissimos & summè venerandos Pa-
tres, tubas Spiritus sancti: qui hanc carnem
in mysterijs & diuino Missæ sacrificio quoti-
die adorauerunt, & nobis hoc exemplum &
præceptum, quasi testamento traditum reli-
querūt. Ac in primis sanctissimum Martyrem
Alaxandrum Papam, à beato Petro sextū do-
centem audiant. *Nihil esse, inquit, in sacrificijs ma-
ius potest quā corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hoc
potior est, & pura mente sumenda atq; ab omnibus veneran-
da. Ita potius excoli ac venerari debet.* D. Hierony-
mus & D. Augustinus in illa verba Psalmi:
Edent pauperes & saturabuntur, & laudabūt
Dominum. Et illa: Adorauerūt omnes ping-
uesterræ. *Pauperes quidem edant, inquit, & saturē-
tur, diuites manducant & adorent. Etsi quippe adducti
sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sangui-
ne eius (en malorum manducatio) sed adorant
tantum non etiam saturantur, quia non imitantur: mandu-
cantes enim pauperes esse dedignantur. aspernātur Christū
sequi, & similia perpeti respuunt.* Eandē in his ver-
bis sequitur interpretationem D. Basilius &
Theodoretus. D. Augustini nota sunt illa ver-
ba: Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorau-
erit. Inq.

rit. Inq.

rit. Inuentum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini. & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Cauillatur Volanus à suis edoctus magistris, verba hæc D. Augustini, & D. Ambrosii, (nam iisdem ferè verbis & ille quoque Doctor, à quo tanquam suo præceptore videtur hæc mutuatus esse, D. Augustinus adorationem hanc profitetur) quasi non rei præsentis adorationē diuini isti viri tradant. Sed commentum hoc iam supra iuxta vtriusque Doctoris mentem, qui veram mutationem substantiæ panis in Christi corpus docuerunt, reiectum est. Isti verò noui Euangelistici, cùm hanc quã viri sancti tradunt, in Christi corporis manducatione, adorationem eludere conantur, cum imaginibus nostris eam comparare volunt, in quibus res absentes & prototypa iuxta Concilij Niceni secundi decreta, adoramus. Atque ita inconsideratus nec vnquam sibi constans Volanus, ab illo nos crimine absoluit, cuius iniquè ac si idola coleremus, cū prototypa in imaginibus adoramus, nos accusauerat. & propter quod Ministri in nos calumniosè & nefariè debacchantur. Bene ergo & sanctè Christus in imagine etiam

Eucharisticam adorationem cum imaginibus malè comparant Caluinistæ.

adoratur. Cur ergo bella cū imaginibus que resistere illis non possunt, milites isti generosi suscipiunt? Cur nos idola colere cū Christum colamus in imagine calumniantur? ut scilicet Christum esse idolum nec verum Deum concludant. Si dicet Volanus hanc se adhuc reprehendere adorationem: quomodo iuxta suam interpretationem D. Augustinū & D. Ambrosium ac alios sanctos ab ea reprehensione excusabit? quomodo eius solutio aliquid virium habebit? sed forsan & D. Augustino vel Concilijs potius, eadem frōte idolatriam tribuere non verebitur, qua nobis hoc ipsum iniquissimè exprobrat. Cui parent isti, qui iam nec ipsi Christo & eius sanctissimis & apertissimis verbis parcere didicerunt? Audiatur & Cyrillus Hierosolymitanus hanc eandem in Eucharistia adorationem præscribens: *Post communionem, inquit, corporis Christi, accede ad calicem sanguinis illius non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis dicens, Amen.* Theodoretus etiam tradit: *Symbola sancti Sacramenti tanquam verè existentia quæ creduntur, adorari.* Porro D. Chrysostomus omnibus fusiùs hunc cultum diuinum

Mytag: 5.

2. Dial: Erastus.

diuinum in Missa inculcat: *Considera, inquit, queso, mensa Regalis est appositae. ipse Rex adest, tu astas officians? si pura sunt vestimenta, pura anime stola, mensae accumbe, adora & communica.* En tibi presentiam & adorationem, quæ isti degeneres, nescio quibus orti parentibus, impugnant. Nos hæc ab istis sanctissimis nostris parentibus, ex ipsa catholica veritate accepimus, à quibus plura de eadem adoratione & cultu tremendo audiamus. Hoc corpus (ait rursus Chrysostomus) in presepi reueriti sunt Magi, & viri barbari, longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur ergo barbaros nos cælorum ciues. Et alibi: Cū Sacerdos Spiritum sanctum inuocauerit, & Sacrificium illud horrore & reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino (notent aduersarij) manibus pertractato, per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniversus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in eius qui immolatur (en Sacrificium) honorem Angelorum choris plenus est. Id quod abundè licet credere, vel ex tanto illo quod tum peragitur sacrificio. Equidem quendam commemorantem olim audiui cum diceret, senem quendam virum mirabilem, cui multa mysteria fuissent diuinitus reuelata, sibi narrasse tali quodam visione se dignum à Deo habitum, per illud tempus repente Angelorum multitudinem conspexisse, quatenus humanus aspectus ferre poterat, fulgentibus vestibus indutorum, altare circumdantium, sic deniq; capite inclinatorum,

Hom: 47. in
1. Cor. & 69
ad Pop.

Homi: 7. in
Matth: & ho-
mil 24. in 1.
Cor: & Ho-
mil: de Phi-
logono.

Lib: 6. de Sa-
cerdot:

Angeli: Chr-
stum adoran-
tes nobiscum
in mysterijs

*de si quis milites presente Rege stantes videret. Id quod facile mihi ipsi persuadeo. Tanta suauitate Spiritus à viris sanctis hæc scripta & tradita legimus, vt non pigeat ea toties repetere, animo verfare, & memoriæ imprimere. excutiunt enim pias lachrymas et maiestatem sacrificij nostri, Deiq; ipsius dulcissimam præsentiam, & nostram felicitatem cõmendant. ingratitude verò istorum & cæcam ad fidei lumen percipiendum mentem condemnant. Audiamus & alibi os istud aureum, de nostra in Eucharistia Christi adoratione diuinè perorans: cùm docet propter quam causam & pœnitentes & Catechumeni ab hac adoratione & aspectu diuinorum mysteriorum arceantur & Engugumeni ad ea inducantur. Sicut, inquit, ad me sam veniente Domino, seruos qui Dominum offenderunt adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hic dũ profertur sacrificium & Christus immolatur & ouis Domini (Quid isti dicent: qui sacrificium nostrũ blasphemant?) Cũ audieris, oremus omnes communitè, cùm vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperi cogita & Angelos descendere. Indigni sunt & oculi peccatorum hisce spectaculis, indigne sunt & aures. Si bestia inquit, tetigerit montem lapidabitur. Ita nec ascensu digni fuerunt, licet postea & accesserunt, & viderint vbi Deus cõsiterat. licet post ea accedere & videre. Cũ adest quidẽ
*abz: non**

Sacrificium.

Hom: 61. ad
 pop. & 3. ad
 Ephel.

abi: non tibi magis astare licet quàm catechumeno. Et de Energumenis hæc: Docere vos volo, inquit, cur homines Damone agitados mysteriorum primo tempore, capita inclinare Diaconus iubeat: ut itaq; tēpore instante, quo iudex prodire, & pro tribunali sedere solitus est, custodes carceris, homines quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancellis septisq; fori collocant squallētes, sordentes, coma expletos nimia, pannis miserrimè obductos: sic Patres statuerunt, ut cum breui Christum velut pro tribunali sedere, in ipsisq; Sacramentis apparere futurum esset: homines demone agitati illi tāquam vinculis quibusdam detenti adducerentur. Non ut rerum quas commississent examen subirent, nec ut luerent pœnas: sed ut populo vniuersaq; Ciuitate presente, cōmunes pro his fierēt supplicationes. Hac nos Sanctorum diuina doctrina imbuti, tanquam filij & pietatis eorum heredes nō impedita successione ab illis descendentes, mirum in modum, in profitenda Domini nostri Iesu Christi præsentia in Eucharistia confirmamur, & ab ea necessario adorationem pro manare dicimus, sicut & per adorationem ipsam præsentiam probamus. Essemus nē brutis & bestijs ipsis, quæ & illæ suos agnoscunt dominos meliores: Cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui, dixit Esaias. Si deum nostrum quem præsentem in hoc Sacramento credimus, non omni hono

Hom: 4. de
natura Dei.
Energumeni
cur adducun-
tur.

re & debitæ adorationis cultu prosequere-
mur? Imò quid potissimum in terris inueni-
re poterimus, quod tanti beneficij magnitu-
dini par esse possit, quo in nos torrētem hūc
charitatis Dominus effudit copiosissimum,
cū & præsens corpore nobis in his myste-
rijs adesse, & ipsum corpus dare nobis in ci-
bum vitæ æternæ dignatur. O durissimos &
amentissimos Zuinglianorū animos, qui tan-
tum beneficium non modo per cæcitatem te-
merariæ mentis agnoscere contemnunt, sed
etiam per summā ingratitude respuere
non perhorrescunt.

Quibus illa Saluatoris verba conclusuri
hoc extremo capite, imposturas istas ad schi-
smaticos Samaritas directa exprobremus:

Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia

Hæretici &
Schismatici
nesciūt quid
adorent.

salus ex Iudeis est. Schismatici illi Ieroboamite
verū Dei cultum & adorationem in Sacerdo-
tio Aaronico, cuius sedes erat Hierosolyma,
relinquentes: constitutis sibi Sacerdotibus
qui non erant de semine Aaron, nec vnū De-
um, nec vnam religionem & adorationem re-
tinere poterant, sed pro vno Deo prædica-
uerunt plures: pro vna religione & adorati-
one mult

one multiplices sectas & superstitiones inue-
 xerunt: adeo vt inter multitudinem Deorum
 nescirent tandem quis verus esset Deus, & id
 adorarent quod nescirent. Vnde pius ille Rex
 Abias, animosè perfidis illis in ipsa acie mox
 eos prostraturus, exprobrat: *Eiecistis Sacerdo-*
tes Domini, filios Aaron atq; Leuitas, & fecistis vobis
Sacerdotes sicut omnes populi terrarum. Quicumq; venerit
& iniciauerit manus suas in tauro & bobus & arietibus
septem, sit Sacerdos eorum qui non sunt Dij. Noster autem
Dominus Deus est, quem non reliquimus, Sacerdotesq; mi-
nistrant Domino de filijs Aaron, & Leuitæ sunt in ordine
suo. Ergo in exercitu nostro Deus est, et Sacerdotes eius qui
clangunt tubis & resonant contra vos: Filij Israel nolite
pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia
non vobis expedit. Eadem nobis libertate Deum
nobiscum esse, eo quod Sacerdotes Domini
& Leuitas de semine Aaron, Apostolica scili-
cet successiõe Beatissimi Petri habeamus, glo-
riari licet & affirmare: verè nobis constare
adorare nos verum Deum, & ab eius verita-
te & doctrina aberrare nunquam posse. Con-
tra omnes verò Lutheranos, Zuinglianos,
Caluinistas, Trideitas, Anabaptistas, Iudai-
cos, & reliquos Shismaticos, prædicationū
nostrarum tubis clangimus: Cur reliquistis

2. Paral: 13.

Sacerdotibus
 legitimis eie-
 ctis, omnis
 Dei cognitio
 eiicitur.

Dominum Deum Patrum vestrorum : cur eie-
cistis Sacerdotes Domini, D. Petri noui Aa-
ronis filios, cui & eius successoribus in æter-
num tradita est potestas clauium cœlestis Re-
gni, in cuius pectore posita est doctrina & ve-
ritas, de cuius sacerdotij duratione, & semel
receptæ, ac in æternum propagandæ verita-
tis doctrinæq; successionem dictum est illud :

Isaia 56.

A successione
legitimorum
Sacerdotum,
non auferitur
Dei uerbum.

*Spiritus meus qui in te est, & uerba mea quæ posui in ore
tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de o-
re seminis seminis tui, dicit Dominus, à modo usque in sem-
piternum.* Cur reliquistis Hierusalem ciuitatē

vnā & sanctam: vnā, dico, Catholicā &
Apostolicā Ecclesiam? Cur scidistis Christi
inconsutilem tunicam? Cur pro Sacerdoti-
bus potestatem diuinā & paternā per ge-
nerationis successionem ad prædicandā sa-
lutarem Dei doctrinā, & administrandā Sa-
cramenta, habentibus, constituistis uobis Sa-
cerdotes, sicut omnes populi terrarum? sicut

Hereticorum
Ministri sicut
Turcorum &
Maurorū Sa-
cerdotes, nul-
lam à Magi-
stratu politiz-
co diuinā pos-
sunt recipere
potestatem.

Turcæ, Tartari, Mauri, qui sibi eligunt & sta-
tuunt Sacerdotes, talemq; eis conferunt pote-
statem, qualem habent & ipsi: politicā scili-
cet mundanā, ad corpora & res externas
curandas, non ad animas cœlestis ac salutaris
doctrinæ pabulo reficiendas: non diuinā;

aut naturæ ordinem excedentem : non miraculis inchoatam : non à Christo ipso , & eius sanctissimis Apostolis, promanantem. Quod enim ipse Ciuilis magistratus nunquam recepit , quomodo conferre alteri potest ? Vnus quidē Rex vel Vicarius eius, mille creare Palatinos, Centuriones, Procōsules, & id genus alios potest : vnū autē verum & diuina potestate præditū Sacerdotē, rerumq; cœlestium dispensatorē, mille Reges creare minimè possunt. Vnde consequi necesse est, vt illi à politico magistratu constituti Ministri iniquè, & more Ieroboamitico Sacerdotium sibi vsurpantes, tradant eam fidem, quæ nequaquam fides, sed hæresis perniciosissima est habenda: conficiant ea Sacramenta, quæ non Sacramēta, (Baptismo excepto, quem ab anu etiam & puero necessitas ipsa extorquet, licet is quoq; extra Ecclesiam collatus, fructum salutis aduultis nequaquam adferat) sed errātium & seducentiū deliramenta credenda sunt. Non habent verba Christi, sed Magistratum suorum dominorumq; , à quibus placita sanciuntur, opinionum & electionū falsarum vanissima extruuntur idola : qui tot Deos prædi-

Quales Ministri, talis & doctrina, & Sacramenta.

Ministri hæreticorum nunquam possunt prædicare vnum Deū nec vnam fidem.

b b b iij cant ,

Exod: 31.

Math: 54.

cant, quot opiniones confingunt, tot in doctrina diuersitates fabricant: qui nunquam possunt dicere: Ecce Deus tuus: sed ecce Dii tui Israel. ex quo enim vnum Deum quem in sancta Ecclesia Catholica Romana antea venerati sunt, deseruerunt: & vnā fidem quā professi erant reliquerunt: nunquam vnum Deum nec vnā fidem, sed plures prædicarunt, ita vt iam inter innumeras religiones, & (quod inde sequitur) innumeros Deos, seu veriùs idola, quæ ipsi fabricarunt, populus qui eos sequitur, nesciat quam religionē amplectatur, aut quem Deorum colat: sed miserum vulgus adoret id quod nescit. Nam licet prædicatione vnius Christi venena sua condiant præcones eorū, verè tamen quod Christus prædixit in eis impleri probamus. cum in diuersis Synagogis et sibi aduersantibus angulis seu penetralibus, & in deserto damnatarum iam pridem heresum, à quibus totus mundus profugerat, clamitant: Ecce hic est Christus, ecce illic. Lutherani dicunt: hic est. Calvinistæ, potius apud nos. Trideitæ imò inquit, nobiscum verus est. Anabaptistæ similitè, & alij itidem. Vnde conijcere licet plures si

res sibiq; contrarios Christos, plures Deos, imò potius idola eos ad colendum prostituerent. Quomodo enim vnus esse potest, qui in tot illorum adeò contrarias sectas distractus est. Si Spiritus Christi est in Lutheranis: in Zuinglianis contraria docentibus cuius erit? Quomodo verus apud illos est Christus, qui ad inueniendam veritatem, & vnã eandẽq; in ea prædicationis constantiam nullam hætenus reperit viam? Ergo non est ipsis vnus ille Deus, non est vnus Iesus Christus, nõ est eius verbum: non Sacramenta: non vlla salutis adiumenta: non fides quæ est ex auditu verbi eorum qui missi sunt: non veri Dei, sed qualem ipsi confinxerunt adoratio: eò quod eiecerint Sacerdotes Domini, qui in Aaronicũ sacerdotium ordine Melchisedechico noui testamenti proprio successerunt, & ab Apostolis non interrupte per manus impositionem generationis seriẽ descendunt. O quantæ illis ex hoc vno peccato iacturæ. Nobiscũ verò est Deus patrum nostrorum, quem non reliquimus, & quem in mysterijs etiam adoramus: quia Leuitæ & filij Aaron, & Apostolica generatio est nobis in ordine suo.

Vsurpa

Si vnũ Christum hæretici inter se disidentes prædicant, idem omnes dicent.

Quid est in
spiritu & ve-
ritate adorare

Internus &
externus cul-
tus cōiungū-
tur semper.
Rom. 10.
Psalm 53.

Matth : 12.

Vsurpare & illud contra istos possumus :
Nos adoramus in spiritu & veritate : illi nec
in veritate nec in spiritu. Nos vtrumq; cultū
adorationis Deo nostro exhibemus, & in spi-
ritu interiūs, & in veritate exteriūs. Vterq;
homini est proprius qui ex vtroq; constat.
Alter ad iusticiam corde, alter ad salutem,
iuxta Apostolum, ore : vt & cor & caro no-
stra cum Propheta exultent in Deum viuum.
Ideo in argumentum veræ adorationis, non
spirituales tantum hostias, compunctionis,
iusticiæ, laudis, mortificationis, affectuumq;
edomationis, fidei, spei, & charitatis offeri-
mus : sed externum diuinæ Eucharistię sacri-
ficium, ad externam confessionem, simulq; ad
interne protestationem, relictum & institu-
tum ab ipso Domino, habemus. Quod nō est
aliud quàm corpus & sanguis eius, qui nos red-
demit. Quem non solūm corde, quod pro no-
bis sit perpeffus tantum supplicium, colimus:
sed per externam quoq; oblationem corā v-
niuerso mundo, mortem eius annunciamus,
corporeq; in illis mysterijs eum adoramus: vt
iuxta Domini collectionē ex abundantia cor-
dis os loquatur, & quod intus radicitus, insi-
tum &

tum & in terra cordis occultatum est, in germen & frondes fertilissimas bonorum operum, sanctæq; confessionis & ædificationis fructum prodeat, vt nemo aliud de nobis cõcludere possit, quàm id quod Apostolus Iacobus concludit: ostendunt fidem per opera, cultum internum per externum, ideoq; in spiritu & veritate adorant. At contra de Zuinglianis & sectarijs alijs: cū templa destruunt, cū sacrificium, soli Deo debitum in terris honorem, per quem solum notū est, qui sint veri Dei cultores (internam enim adorationem videt nemo) exterminant: cū Sacerdotes Domini contemnunt, persequuntur, eijciunt, trucidant, & omnibus bonis exspoliāt: cum vasa sacra diripiunt, cū redditus Ecclesiarum per auariciam sibi iniquissimè vendicant, cū omnem diuini cultus desolationē afferunt: dum orationum nocturnarum & diurnarum, quibus ante vacabatur, feruorē extinguunt: dum festa & celebritates, beneficiorumq; Dei memoriam, dum imagines & externam mutamq; prædicationem rerū diuinarum, per quam obliuioni nostræ afferuntur remedia, extermināt: quis illos in spiritu

Iacob: 2.

Hæretici quo
modo suam
adorationem
profitentur,

dorare suspicabitur. Si enim spiritū adorarent, utiq; & exteriori in veritate id præstarent, (homines enim se esse agnoscunt) & quod corde premunt, id ore & factis facerent testatum. Quomodo putabit quispiam, illum hominem spiritū & corde toto Christum diligere, qui eius imaginem ne intueri quidem potest: quoniam modo persuadebimus alicui, illum Christi gloriam quærere, qui ab eius adoratione & cultu diuino abstrahere fidelis, oraque laudantium eum, summa pertinacia conatur claudere? Quomodo putabo illum pauperum curam habere, qui Magdalene liberalitatē æquo animo non ferens exclamat: Ut quid perditio hæc vnguenti facta est? potuit venundari & dari pauperibus: cum ipsemet furetur, & hæc in suos oculos reposit

Hæretici non
possunt ostē-
dere ex operi-
bus fidem.

nat? Ostendant iuxta Apostolum fidem ex operibus, amorem internū ex factis externis: ut fecisse Patriarcham Abrahamum didicimus, cum filium quem summè diligebat vnigenitum in hostiam & mortem, Dei solū & iussione eius honore commotus offerret: ut fecere alij Sancti, dum ea quæ illis fuere preciosa & vehementer chara, Deo in cultū & hono

& honorem tradere non recusarent. Hoc ipsum præstant filij Catholicæ Ecclesiæ Christi sponsæ. Tam multi siquidem inter eos inveniuntur, qui ea quæ charissima ducunt, & cum quibus vitam suam comparant, magna feruoris & spiritus promptitudine Deo offerunt. Aliquando & vnicos, quos æquè ac vitam suam dilexere, filios: & cum eis spem totius posteritatis ac familiæ, dum eos perpetuæ castitati Christo sponso seruandæ, præcipuè consecrant, ac deuouent. Alij tota se hæreditate, bonis & agris spoliant: alij aurum & argentum, preciosissimas vestes, & vim maximam pecuniarum dedicant: alij quod omnium est sicut preciosius, ita admirabilius: libertatem suam in perpetua obedientia, omnes voluptates corporis in difficillima & Deo acceptissima castitate: alij omnia quæ mundus polliceri potest, & quicquid habet, in summa Christi paupertate deuouent. Quæ adoratio in spiritu & veritate nunc etiam viget, nec iniquitas eam huius seculi nequam & corruptio extinxit. Post tot prædas & direptiones hæreticorum, quas Catholicis Templis intulerunt: tot nunc sunt nouarum oblationum in

Catholicorum
adorationis
veritas ex o-
peribus per-
spicua.

Nouus ado-
rationis fer-
uor in catho-
licis:

hac adoratione beneficia : tot in fundatis no-
 uis Parochijs, Collegijs, Seminarijs, in attri-
 butione prædiorum, reddituum, censuū, quib-
 us Christi veri serui & Prophetæ studio ru-
 inæ animarū restaurandę intenti, ali possent,
 donationes : vt vera & non fucata Christi di-
 lectio, vera in spiritu & veritate adoratio, in
 tanta piorum hominum liberalitate illustri-
 appareat. Hoc & in pijsissimi ac victoriosissi-
 mi Regis nostri Stephani triumphis, in Polo-
 sco & illa parte Russiæ, in quam est proro-
 gatum imperium, & tota Liuoniæ prouincia
 a Moschi tyrānide liberata : vt ab alia longē
 nocentiore liberaretur, vt pietas vera & Cat-
 holica inde penitus extirpata plantaretur :
 experiri nos vehementer lætamur. Qui di-
 reptiones quondam tot celeberrimorū tem-
 plorum, & nouis Episcopatum, Sacerdotio-
 rum, Collegiorum, Seminariorum, Hospita-
 lium, foundationibus : & hoc Mense Iunio,
 missa huc ad nos Rigam auri & argenti ma-
 gna copia, calicibus nimirum & alijs vasis sac-
 cris, & vestium ad Sacerdotale diuinumq; mi-
 nisterium, preciosissimarum & multarū splē-
 dido ac Regio apparatu, restaurat. Maluit
 isto splē-

Stephani Re-
 gis in restau-
 randa Catho-
 lica religione
 feruor.

isto splendore Christi altaria, & horrore ple-
 num sacrificium, quàm se, Regiamq; suam pi-
 us & prudentissimus fortissimusq; Rex exor-
 nari: plus in hac propagatione veritatis E-
 uangelicæ positum esse putat ad suam & suo-
 rum salutem, quàm in omnibus triumphis:
 quorum ille summum ducit hunc esse fructū
 virtutum omnium & honestissimarum scien-
 tiarum, quibus humanum ingenium excoli-
 tur, & barbariem feram deponit incremen-
 tum, in primisq; Catholicæ pietatis plantati-
 onē, & amplificationē. Non potuerunt tantū
 diripere heretici, quantū illa Catholica in spi-
 ritu & veritate Dei nostri adoratio potest cō-
 ferre. Hanc prædam sacrilegam quidā pres-
 si Moschica seruitute contempserunt. Quidā
 enim ex illis (ne & hoc subtriceam) qui in Li-
 uonia templa expoliarunt: cum in eis illud
 Prophetæ impletum esset: Væ, qui prædaris,
 nonne & ipse prædaberis? cum ipsimet vna
 cum Ecclesiarum spolijs à Moscho in seruitu-
 tem rapti essent: per R. P. Antonium Posse-
 uinum pacis tunc cum Moscho à sede Apосто-
 lica destinatum internuncium, vasa illa sacra,
 Cyri Monarchæ exemplo, restitui nobis, qui

Esaiæ 33.
 Quid a Liuo-
 nes spolia Ec-
 clesiarum ra-
 pri in seruitu-
 tem restituūe

bus iam hic Rigæ vtimur, curarunt. Edocti sunt miseri illos omnes seipsos et sua perdere, qui diuina et Deo consecrata inuadunt, nec aliter illos, quos non deuorauit gladius, sp̄e libertatis, nisi dum rapta per sacrilegium restituerentur, sibi polliceri posse. Eodem ferè temporis momento Liuonia (o rem ad saxea ista frangenda pectora summi exēpli) quo fidem Catholicam et eius sanctissimos Sacerdotes in exilium condemnauit, ipsa patriam, libertatem, et vitam amisit. Catholica tamen veritas etiam hinc obruta cineribus pullulat, et nunc Rigæ et per totam Liuoniam beneficio et zelo nostri Iozix, de terra profert germen: iam verus ille adorationis spiritus, ex sepulchris istis prorumpit, et nunc caput erigit, breui, quæ spes est nostra in Christo, omnia restauraturus, ac corda parentum in filios conuersurus. Harum Apostolicarū virtutum non in Regibus tantum, sed in alijs in Lithuania illustria habemus circa cultum diuinum, à rapinis istorum vindicandum, monumenta.

Liunionē pro-
pter hæreses
interitus.

Valeriani & Radiuili pie-
Hinc nostri Valeriani Episcopi: hinc Illustriissimi Duces Olycæ, Nicolaus Christophorus,

phorus, et Georgius, Radiuili: qui nunc et Antistes est Vilnæ religiosissimus et optimus, ac in plantanda hic in Liuania Catholica pietate, (Regis tenens locū) se declarat studiosissimum, quorum nunquam potest satis laudari pietas: hinc alij inferioris fortunæ homines, qui non tantum ex his quæ supersunt; sed ex his quæ suis suorumq; vsibus videntur necessaria, in restaurandum cultum Christi proptissima conferunt voluntate. Imitentur Zuingliani et alij sectarij si possunt. At non est eorum naturæ et complexionis: spoliare, diripere, lupos et accipitres exprimere, aliena diruere sua stabilire didicerunt: at verò propria in Christi gloriam elargiri, mutata ex hæresi natura, nesciunt. Causa im promptu est: quia nec in spiritu nec in veritate adorant. Ostendant hic isti affectum erga Deum, prodeat ista spiritualis erga Deum & interna, si est vera & Christi amore accensa, adoratio. Non prodit: ergo nulla est. Non loquitur os: ergo cor non abundat. At inquit Volanus: Catholicici ideo aurum & argentum templis conferunt, vt Deum Maozim, hoc est Demonem, de quo est apud Daniele, colant in argento

catris antiquæ
restauratio.

Probrum Vo
lani de Maoz
zim.

Danielis 110

gento & auro, & rebus preciosis: Zuinglia nos verò quod aurum & argentum ad cultū Dei non adhibeant, ideo Deum verum adorare. Hæc est eius in nos grauissima contumelia, nam Catholici Maozim ignoramus, nec quisquam ex popularibus, quid sit hoc nominis cognoscit. Christus autem est in corde & voce omnium. Antichristo, Maozis est Deus proprius & eius præcursoribus: Catholici Christum in mysterijs semper adorant, & propter eius honorem aurum, argentum, & preciosa quæq; contemnunt, in cultum ipsius ea conferunt promptissimè. Si Zuingliani eundem Christum colunt, & in spiritu ac veritate adorant: quæramus vtri hoc verius præstent: an nostri, qui propter Christū aurum, argentum, & omnia preciosa, possessiones, agros, & redditus, & quicquid charum habent contemnunt, & ea cum populo illo in deserto religiosissima voluntate, & cum Davide ac Solomone, addo etiam, cum Constantino Magno, & alijs gloriosissimis Principibus, inter quos & Stephanum nostrū numero ad rēpla exornāda & firmanda, alendosq; Christi seruos & pauperes, ipsi Christo ac publico vsui,

Veri verius Christum colant, an qui aurū in eius adorationem conferunt, an qui dedicatū Deo diripiūt.

vsui, dedicant: an qui ea iam dedicata diripiunt, & sacrilega manu ad proprios vsus, & vxorum filiarumq; suarum ac domus suæ ornatum & subsidia cōuertunt? Vtrum illi qui hæc quæ sunt illis charissima, & in quæ naturalis propendet affectio, propter Christū relinquunt, & eius gloriæ deputant: an verò isti qui his ad quæ vis naturæ impellit inhærent, & suæ cupiditati satisfaciunt, ac non modo sua retinent, sed aliena quæ Christi sunt, & Ecclesiarū, atq; pauperū rapiunt & exspoliant? Colunt Christum Catholici, argentum & aurū, & preciosa quæq; et fructuosa, Deo mente sancta dedicando: Colunt Zuingliani Maozim aurum, argentum, preciosa quæq; et fructuosa, Deoq; iam dedicata diripiendo. Iste Maozim persuasit illis, tot templa depopulari in Flandria, Gallia, Germania, Anglia, & alibi tot Monasteria vasta reddere, tot seruos Christi exilio & morte mulctari, totidē Christo dicata patrimonia priuatis destinasse voluptatibus. Huius opus hīc etiam in Litonia, quæ omnium opulentissima habuit templa spectamus. Hoc est Maozim in auro & argento, in direptionibus & sacrilegijs priuato

rum bonorum, in publicorū & maxime Christi templorum rapinis colere, & huic turpissimo Deo auariciæ, quæ est iuxta Apostolū idolorum cultus seruire. Hæc idola eijcite o desertores, non Christum in mysterijs, qui non est idolum, sed verus Deus, adorare prohibetote. Hæc idola ex scrinijs vestris, non Christum ex Sacramento exterminate. Non imagines ex templis, quæ sunt mentium obliuiolearum subsidiū: sed rapinas ex promptuarijs vestris, si nondum vnà cum illis perijstis, eijcite. Reliquistisne tantum auri & argenti et possessionum in vestris Zuinglianicis Synagogis propter Christum, quantum reliqueret, dum omnia huiusmodi bona propter Christum contempseret patres vestri Catholici? Imò relicta diripuistis, iubente vestro Maorze. Sacrilegi isti nec pœnam in Baltazarum Regem à Deo pronūciatam timuerunt, illoq; Rege magis se crudeles, barbaros, atq; cupidus exhibere non reformidant. Ille non diripiebat vasa Domini, quæ ab alio rapta post liminio tandem Deo sunt restituta: sed ad suas voluptates illis in potando abutebatur. Isti calicis portitores sanguinis Christi: vt cū

B. Optat

B. Optato Donatistas compellente verbo isto utar, suffurati, suæ eos auariciæ dedicati uerunt. Ille Daniele hoc facinus sibi improbrantem, & pœnam diuinam denunciantem, honorauit: isti nos reprehendentes tanta eorum sacrilegia, verbis, factis, & scriptis persequuntur, & sanguine etiam nostro in Galilijs & Anglia, & ubicunq; nos viribus superant, satiari nequeunt. At eodem cultu & ritu Christum honorant Catholici, quibus Ethnicus suos honorarunt Deos, inquit Volanus. Quid tum? An quia Ethnici animo & corpore adorauerunt, ideo nos animum & corpus ab hac adoratione veri DEI nostri subtrahemus? An non cõmune cum illis corpus & animam habemus? An non potest id, quod seruituti dabatur Diaboli, seruire Deo? Quid ergo dicit Apostolus: Sicut exhibuistis membra uestra seruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem? Quid profert Dementia ista? quasi hæc non sine & usu discernantur: quasi ex Aegiptiorum diuitijs Deo tabernaculum extruere, & ex præda gentilium Dauidi pro fabricando

Rom. 6.

bricando templo multū auri & argenti ærisq;
 copiam, qua in cultum suorum Deorum E
 thnici abutebantur, offerre non licuerit. Ve
 tus & antiqua fuit hæc obiectio Vigilanti hę
 retici Catholicos accusantis: quod ad hono
 rem sanctarum reliquiarum, cereos accensos,
 & alias religionis ceremonias, more gentili
 um adhiberent. Cui quidem egregiè Hiero
 nymus his verbis respondet: *Hoc pro honore
 Martyrum faciunt. Quid inde perdis? Causabantur quon
 dam & Apostoli quod periret unguentum: sed domini voce
 correpti sunt. Neq; Christus n. indigebat unguento, nec Mar
 tyres, lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Chri
 sti hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur. Et quicunq;
 accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem,
 dicente Apostolo: Vnusquisq; in suo sensu abundat. Ido
 lolas appellas huiusmodi homines, nõ diffiteor omnes nos
 qui in Christo credimus, de idololatria errore venisse.
 Non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quõ
 dam colebamus idola, nũc Deum colere non debemus? ne
 simili eum honore videamur cum idolis venerari? Illud
 fiebat Idolis & idcirco detestandum est. hoc fit Marty
 ribus & idcirco recipiendum est. Hæc Hieronymus. Nunq;
 quid Volanus non eadem quæ Vigilantius sent
 tit & loquitur? Eodem nunc ore Christum &
 eius sponsam blasphematur, quo cum Catholi
 cus esset, Christum nobiscum celebrabat. Si
 iterum, quod opto ex animo ad mentem re*

deat: nunquid aliud os ad laudandum nobis
scum Christum quæret? sed hæc hæctenus.
Iam postquam imposturas istorum & mera
figmenta deteximus & repulimus: ad cautio-
nem tuam, optime Lector, nihil puto deside-
rari, quod ad rem hanc Sacramentariam per-
tineat. Restant aduersarij vagæ digressiones,
turpissima conuicia, horrendæ calumniæ, &
impudentissima figmenta: vel vt modestè di-
cam, crassa nimis mendacia, quibus totâ Ec-
clesiam Dei onerat, & õnes eius ordines cõta-
minat nec quicquã aliud pposuisse sibi in suo
animo, dum librum illum scriberet, videtur:
quàm vt cultores Catholicæ & orthodoxe
fidei in summum omnium odium & contem-
ptum adducat. Quod ne apud aliquos rerum
nostrarum ignaros consequutus esse videa-
tur, aliquid breuiter hac sequenti Appendice
addere istis, quæ dicta iam sunt, cogimur:
prius tamen contradictionum eius & Antilo-
giarum vanissimam leuitatem, summa-
tim spectandam Lectori.
damus.

CONTRADICTIO NVM ET ANTILOGIARVM SCHOLAE CALVINISTICAE

Andre. Volani index.

Veritatis cuiusuis, Diuinæ præsertim, simplex est sermo, nec est in illo iuxta Apostolum est, & non: Falsitas autem multiplex est, & dolos suos prodens: nunc est, nunc non est, usurpat. Quod in hac tabula, ex his quæ dicta sunt, collecta, tuus, optimè lector, expositum esse oculis volui. Et in re quidem Sacramentaria, de qua certamen susceptum est, hisce contradictionibus Sacramentarij irretiuntur.

fol. 4.

I. Prima est insignis illa & omnium oculis exposita contradictio: In titulo libri, & ipso suæ dictionis vestibulo. veram præsentiam se Christi corporis in Eucharistia profiteri aduersarius agnoscit, & hisce verbis me compellat: Demirari non possum, quæ tua ista est in fingendis calumnijs impudentia. Quero quanam est ista? Respondet: Quæ ego nec sensu nec scripsi vnquã, tu sine òni fronte attribuere mihi audes. Narratio & titulus & præfatio libri tui crassissimi nec ferendi in Ecclesia Dei erroris, à quo omnes mei abhorrent sensus, me insimulât: quasi ego hic sim, & cû homine eo certamen sit susceptû, qui præsentiam Corporis D. N. I. Christi ex sacramento Eucharistia auferat. Egone tibi istud sentire videor? Hæc sunt eius verba. Sed audiamus alium eiusdem oris flatum: quoniam non Petrus Scarga Volanû, sed Volanus Volanû, non satis sui cõpotem impudenter oppugnat. Recordetur quæ infra dixit: Diuinum, inquit, Christi corpus, corporea sua præsentia non amplius in mundo versatur, neq; ex cœlo vt in Sacramento incipiat esse euocatur. Et alibi: Naturalem, inquit, Corporis Christi præsentiam in terris absen-

fol. 318.

fol. 337.

absentem esse, verè prædicamus. *Et iterum: Sequitur,* fol. 153.
inquit necessario, nullum in Sacramento reali & cor-
porali manducationi Corporis Christi relinqui lo-
cum.

*Si ergo corporea Christi corporis præsentia non est
in Sacramento: Si naturalem corporis Christi præsentiam ab-
sentem esse prædicat: Si realem corporis Christi manducatio-
nem nullum in Sacramento habere locum affirmat: ergo nul-
lam veram præsentiam corporis Christi in Sacramento consti-
tuit. Nam illa signati in signo vera præsentia non est. Nec
corpus Christi vere est aliquod aliud quàm naturale, cuius ille
prædicat absentiam. Fallit ergo & simulat, est & non est
dicit. Et cum me impudentem calumniatorem vocat, seipsum
hanc in se dixisse ignominiam probat, nosq; assertores verita-
tis suis contradictionibus, crimine falsitatis absoluit, & tur-
pem palinodiam incautus cantillat.*

2. *Ad cognoscendam hanc fucatam, & fraude ac circum-
uentione plenam ab eis concessam in Eucharistia præsentiam
& alia facit contradictio. Dicit volanus in Pane verum se cor-
pus Christi percipere, sicut nos sub accidentibus panis perci-
pimus. Videtur iam cum Luteranis sentire. At fallit &
nos & Luteranos. Si enim dicamus sub accidentibus panis re-
aliter & substantialiter nos Christi corpus sumere, & illuc
realiter illud esse: num idem ille credat & sumat? Absit re-
spondet. Nullus reali corporis Christi manducationi* fol. 153.
in sacramento relinquitur locus. Et iterum: Omnis fol. 164.
*imaginatio de corporis Christi, reali cum Symbolis
coalitione abiicienda est. Quomodo ergo in pane verum
Christi corpus manducat, quod ibi esse tam manifestè abnegat:
quid hac leuitate & pugna sententiarum dari potest turpius?*

3. *Iterum eandem secum ipse suscipit pugnam. Libello pri-
ore dixerat: Nisi Sacramenta verè istas res Diuinas ad
emortuas animas nostras viuificandas exhiberent: &
sine fructu perciperentur, & frustra essent instituta.*

At nunc

- fol. 85. *At nunc profert contrarium:* Sacramenta, inquit, non
 & fol. 339. continent re ipsa gratiam. *Itemq.* Sacramenta sic
 semper cum suis rebus significatis sunt coniuncta, vt
 res cœlestes quas representant procul à terris positas
 in cœlesti illa gloria quærendas insinuent. *Turpissima*
contradictio: verè cœlestes res exhibent, & tamen quærendas
in cœlo insinuant Sacramenta. Velut si quis dicat Passionem
Christi verè fuisse exhibitam tempore veteris legis, eò quòd
per eius legis Sacramenta in futurum expectanda significa-
retur.
- Fol. 402. 4. *Similis est leuitatis & illud: Malos fatetur vera ade-*
oq; integra percipere, ex duabus rebus terrena et cœlesti con-
 Fol. 115. *stantia Eucharistiae Sacramenta. Contrarium rursus statuit*
simplicia tantum illos symbola manducare asserens.
- Fol. 218. 5. *Affirmat eundem esse modum manducandi corporis Chri-*
sti in simplici verbo & prædicatione quæ in sacramento, cum
 Fol. 218. *tamen mox inferat contrarium: In Sacramento & sacra-*
menta, non nudam reque vacuum significationem corpo-
ris Christi proponi. At in verbis hominum nuda & re-
vacua est significatio. Ergo est nuda & non nuda mandu-
catio.
- Fol. 219. 6. *Adhæc eadem vanitate & impostura docet ita verè cor-*
pus Christi in sacramento exhiberi. Sicut verè symbola ex-
terna ac visibilia ore corporis percipiuntur. At sensibilia sym-
 Fol. 153. *bola re ipsa ore corporis percipiuntur: Ergo re ipsa illic cor-*
pus Christi exhibetur. Quod cum ille non admittat, conse-
quens est eum sibi esse contrarium.
- Fol. 176. 7. *Nunc iudicio sensuum præsentiam corporis Christi in Sa-*
cramento committit cum inquit. Ego, quia panis acciden-
tia video, & quia reliqui omnes sensus proprietates esse
panis mihi renunciant; panis substantiam non lapidis
(voluit dicere non corporis Christi, nec enim nos la-
pidem ibi esse dicimus) sub illa forma delitescere credo.

- Nunc rursus Sacramenta cursum naturæ superantia nec ullis legibus naturæ subesse affirmat. Si naturæ legibus non sunt Sacramenta, non igitur à sensibus sumendum est de illis iudicium. fol. 317.
8. Præterea corpus Christi locorum spacijs à pane terreno ita distitum esse dicit, sicut coelum à terra, & tamen verè illud & re ipsa exhiberi in sacramento asseuerat. fol. 334. fol. 218.
9. Insignis est & illa contradictionum leuitas. Libello priore sacramenta nouæ legis simplicissima esse & nullis insignita miraculis dicebat: Nunc verò omnem naturæ ingenij sum superare ostendit. pag. 105. fol. 318.
10. Illa etiam est atrox sententiarum in hac inconstantia pugna, quod nos idololatriæ accusatos, rursus idem ipse excusat. Affirmat nos totam naturam panis & totam corpoream creaturam in hoc sacramento abolere, atq; ita totam vim & nomen sacramenti auferre. At contrarium effutit, cum nos panem ibi adorare, (qui tamen ibi eius confessione nullum panem statuimus) calumniatur. fol. 209. fol. 339. fol. 361.
11. Nec minus ex illo perspicui potest, animi istius hominis mobilitas qua etiã idololatriæ accusati, eiusdem ab eodem excusamur. Imagines nos pro Deo colere conuiciatur, cum dicit nos stipites arborum & truncos pro Deo adorare. Adorationem tamen prototyporum in imaginibus improbare non audet. fol. 371. Libello priore pag. 130.
12. Ad eandem opinionum instabilitatem denudandam & illud pertinet. Antea malos ne nomine quidem Ecclesiæ donare voluit: Nunc verò ex malis etiam constare Ecclesiam turpissime recantillat. Libello priore pag. 147. fol. 384.
13. Ecclesiam suam Berengarianam scilicet passam interitum & superatam esse à Concilio Lateranensi fatetur. Alio verò loco inde suæ veritatis pro Ecclesia capit argumentum quod in Gallijs superari non possit. fol. 304. fol. 20.
14. Dogma de transubstantiatione sumpsisse initium ab Innocentio 3. fol. 04. centio 3.

centio 3. ipsumq; huius authorem fuisse prædicat. Alio vero loco ducentis ante Berengarium annis hanc de transubstantiatione sententiam sparsam esse in Ecclesia affirmat. Multum est sibi contrarius & turpiter in Historijs sicut in reliquis ab
 fol. 41. errat. Innocentius 3. vixit circa annum Domini 1198. Berengarius circa 1000. Hoc modo inuitus non mediocrem antiquitatem, hoc est 900. prope annorum dogmati Transubstantiationis tribuit.

Plures adhuc cōtradictiones ex eius doctrina decerpi possent: sed hæc ad faciendum de alijs iudicium, fatis erunt.

APPENDIX

DE CONVICIIS, CALUMNIIS, ET QVIBVSDAM DIGRESSIONIBV8 ADVERSARI.

Vaga & effreni dicacitate Andrea Volani ad metas & cancellos perducta, imposturis etiam sacramentarium detectis, armisq; Catholicorum impetu eorum represso, confirmata deniq; præsentie corporis D. nostri Iesu Christi in Eucharistia veritate: præter turpissima in omnes Ecclesie Dei ordines conuicia, execrandas in Christi sponsam calumnias, extraneas ad multa digressiones, restabat nihil in illo eius libello, quod opera nostra eguisset. Præsertim quod R. P. Franciscus Turrianus sua, ad que Volanus, ut ipsemet fateatur, obiter, id est, leuiter respondit (Quid enim aliud, homo ut ipse iactat, in aula educatus contra summum & in scripturis exercitatissimū Theologum attentaret?) reseruari sibi voluit. Quod si in eius digressionibus, extra Eucharisticum conflictum factis, aliqua propter lumen obscuratæ veri.

In titulo sui
libri.

tæ veritati exhibendum, responso nostro digna putabimus, il-
 lud alio in loco Deo duce præstabimus. Cum enim hisce scri-
 ptis finem ponerem, incidit in manus meas eiusdem aduersarij
 Parænesis ad Ebionitas in qua Anabaptistas oppugnat Calui-
 nista. vtiliter itaq; me & oportune facturum arbitratus
 sum: si de illa pugna inter istos dissererem, & Ecclesiæ ex-
 bellis hisce triumphum, ac pacem quietemq; conscientiarum in
 Catholicæ matris filijs confirmarem. Quo in loco, eadem ope-
 ra aliqua etiam, quæ extra rem Sacramentariam temerè inges-
 sit aduersarius, quæ ædificationi potissimum subseruient, in
 conspectum adducam. Nam ad turpia eius maledicentiæ conui-
 cia respondere, vel aniles, futileq; quibus ille suam gloriam
 quærit, verborum pugnas cum eo suscipere, grauitas & mo-
 destia Catholica prohibet. Cum me ex tota Europa (quantū fol. 2.
 spacij eius licuit mihi peragrarè) ad scribendum contra se
 conduxisset operas, quibus eius insignis & inaudita doctrinæ
 ac ingenij partus confutaretur, confingit: (tanti enim se facit
 superbia, & illud prædicari de se cupit: Tantæ molis e- fol. 1.
 rat Volani prodere nugas) cum se promptum & celerem
 scribam, in summis & Diuinis mysterijs iactitat: vt illud
 etiam prædicari de se velit: Dilexisti omnia verba præcipita- Psal. 51.
 tionis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem etc.
 quis hæc nostrum responso digna iudicet? Cum mihi præterea
 quòd biennio ad respondendum eguissem, Cego verò promptus
 ad audiendum, tardus ad loquendum, decennium etiam si licu-
 isset ad meditandum: vt de tantis mysterijs recte loqui possẽ:
 assumpsissem) tarditatem ingenij exprobrat. quasi sim illi si-
 milis, qui de gloria in scribendo: & non de honore Christi Do-
 mini mei, eiusq; Diuinæ veritatis testimonio, certamen susci-
 perem: cum me hominem imperitum, stupidum, insolentem,
 asinum Cumanum, belluam, extremè delirantem, & quiduis
 sine iudicio deblaterantem, sceleratum, impium, maliciosum:

ducem latronum, socijs humano sanguine partam prædam di-
 uidentem, & alijs quibusdam blandioribus verbis compellat:
 ego ne cui hæc propter Christum non solum æquo: sed etiam lu-
 bentis animo ferenda essent, in ijs refutandis operam ponerem?
 Cum deniq; R. P. Turrianum, doctrina & religione admiran-
 dum, totq; scriptis grauissimis Ecclesiam Dei illustrantem:
 stupidum, insanum, falsarium, adulatorem, ambiciosum, mali-
 corui ouum, belluam, veteratorem, ineptum, delirantem, & ali-
 is similibus titulis exornat: cum omnes Iesuitas, mendaces, sine
 ullo pudore Diuinæ veritati oblatrantes, belluas, helluones, om-
 nis laboris expertes, turpi ocio disfluentes, sine labore quæsi-
 tas opes possidentes, & beato ocio vitæ fruentes, gratis alie-
 num panem tanq; mures deuorantes, ociosos ventres, lasciuia
 & insolentia tanq; effrenes equos magno orbis malo exultan-
 tes, & per tot terras, oberrantes, vocitat, & iniquè traducit:
 quis Christi religionem professus, maledictum pro male-
 dicto referat, & non potius maledicenti benedicat, & pro
 persecutore suo oret? Quis aliter ex nobis seipsum soletur:
 quam illis Saluatoris nostri verbis: Beati eritis cum maledixe-
 rint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint om-
 ne malum aduersum vos mentientes. Et illis Dauidicis respon-
 sis. Dimittite eum vt maledicat, si forte respiciat Dominus
 afflictionem nostram & reddat nobis Dominus bonū pro ma-
 ledictione hac hodierna. Sed & illud vsurpabimus Zacha-
 riæ: Videat Dominus & requirat. Iudicet & totus mundus
 in cuius oculis versatur Societas nostra, veraciter dicat volamus.
 Videant & illi qui nos pauperes, & vagos, propter Christū,
 suis hospitij & nouis quotidie, excipiunt. Probet ex me Vilna
 subito in Liuoniam translato, & inde nescio in quam terram,
 illam scilicet quam mihi Dominus per obedientiæ S. leges cum
 Abraam monstrauerit, transferendo: & ex alijs qui quoti-
 die etiam in extremas Indias & ignotum orbem transferun-
 tur: an

Conuicia in
 Iesuitas
 fol. 23. 110.
 155. 197. 198.
 284. 282. 208.
 286.

2. Reg. 16.

tur: an Vilnæ vel in alijs Collegijs aliquis nostrum sicuti dicit iste, nullo labore quæsitæ opes possideat, & beato ocio vitæ lætus fruatur. Sed ferenda sunt hæc. Illud mihi non maiorem tantum sed summum affert dolorem: quod hæc illius male dicentia à nobis initio sumpto tanquam fœtidus torrens in omnes ordines Ecclesiasticos, in Dei summi sanctissimos Antistites, Sacerdotes, Prophetas, & Monachos exundet, & omnia nefandis blasphemijs contaminet. Abominandum esse & execrandum Monachismi institutum, monachum, hoc est, hominem extreme impudentem & impium dici, & omnes in tota Ecclesia nostra Monachos esse nefandos, facinorosos, ingurgitationi tantum, & fetidissimis libidinibus vacantes (eius verba affero) à nullo flagitio corpus cohibentes, nec in vlllo genere hominum maiorem flagitiorum omnium regnare licentiam, nec ullibi fœdiora ventris & gulæ reperiri mancipia, affirmat. Denique lingua hæc impudica talia contra totum clerum Catholicum, Sacerdotes omnes & Episcopos effutit, quæ nõ dico scribere: sed ne audire quidem aut cogitare, homo aliquid frontis aut ingenui pudoris retinens, in animum inducere possit. Cui tandem hæc lingua adeo præceps & mendax pepercit: de totius orbis Episcopis quasi è caelesti quodam throno eorum vitam omnium speculatus fuisset, & corda nosset, pronunciat: in illos etiam quorum doctrinam & sanctitatem totus miratur orbis debacchatur. Non est reueritus in regno isto Poloniæ (nam quid alibi fiat, nihil verum explorat ista domesticæ quæ ex Polonia nusquam protulit pedem ignorantia & malitia) Hostios, Herbortos, Cromeros, Carnkouios, Volscios, Radiulos, Rozrarszeuos, Valerianos, & alios insignis eruditionis & summæ sanctitatis Christi Antistites, quos omnes flagitijs omnibus coopertos conuitiatur: cum tamen eorum virtutes & doctrina ceu lucernæ in candelabris positæ omnibus alijs luceant, hanc tantum noctuam abdere in antro oculis nubent.

fol. 443.

In monachos
fol. 312. 313.
314. 376.In clerum
fol. 6. 49. 56.
14. 15. 18.
185. 378.

beant. Putat amentia ista nihil summos Pont: nihil agere Epi-
scopos, si non publicè populum è suggesto doceant, aliter eos
nec pastores esse nec Doctores. Quasi Rex nihil agat, cum per
præconem mandata sua subiectis promulgat, nec ipse clamat.
Quasi Dux exercitus ocietur, si non cominus pugnet nec vulne-
ra suscipiat: quasi sedens ad clauum in naui ex pers omnis sit
laboris, cum ipsemet remum manibus non verset. Nisi Vola-
nus aratrum tractet, metat & trituret, nihil agit in re famili-
ari sua, nec gubernat subiectam sibi domum. At q̄ vtinam hoc
sibi proprio munere contentus, docendi & de Diuinis myste-
rijs decernendi non vsurparet officium. Sicut ergo ille etiam si
è suggesto non clamatet cum tamen oppugnat Ecclesiam Dei,
Hereses impias defendit, disputat, docet, instruit, libellis suis
venena spargit, verè ministri Zuinglocaluinistici munus exer-
cet: imo cum in Lituania totam Synagogam Zuinglianicam di-
rigit Ministros constituit, proceres synagogæ in ordinem co-
git, verum se Archiministrum esse probat: ita Episcopi nostri
etiam si non concionentur publice è suggesto, cum sint Ecclesie
legitima capita, cum omnia gubernant, dirigunt, instruunt, do-
cent, monent, disciplinæ inuigilant, scriptis & exemplis præ-
lucent, munus Episcopi felicissimè obeunt. Quis nocentius
pestè Zuinglianicâ diffundit, Stanislaus ne Sudrouius, homo
ignarus & imperitus, coram imperitis militibus & muliercu-
lis in vno angulo garriendo & quòd nunq̄ carnificis ministerio
sit usus probando: an Volanus in procerum conuentibus obstre-
pendo? Cuius vox longius penetrat, illiusne in Vilnensi conci-
liabulo Ecclesiam Dei blasphemantis, an Volani scripta pesti-
fera per Poloniam spargentis? Sed probrum putat Volanus
Ministri nomen sibi tribui: at officium Ministri præstare, &
pestilentem doctrinam propagare nullum crimen arbitratur.
Si non est vocatus ad concionandum, vnde est vocatus ad do-
cendum: imo unde illi ad promulganda in rebus fidei decreta
quæ

Volanus ve-
rus Archimis-
nister.

quæ scriptis edit potestas? Sed nec desunt inter Episcopos qui pro talento à Domino accepto publicè etiam Magistros se & Doctores exhibent, nunquid illis credent isti? Nobis enim mercenarijs vti dicit (nec enim & hunc ordinem à suis conuicijs reliquit immunem) qui offam tanquam famelici canes obiectam habentes, à latratu prohibemur, nullam se habiturum fidem affirmat: Ergo si Episcopus Vilnensis Raduilius noster quod breui futurum speramus è suggesto publicè doceat, habituri illi estis fidem? etiam si infinitos docentes hoc modo audiat: temeritatem vestram nunquam deponetis: sed ipsdem eos probis & eodem afficietis contemptu, ô filij Belial & sine iugo. Sed quid facietis sanctissimi Antistites? Hæc est hora illorum & potestas tenebrarum. Nec Cardinalibus parcit furor iste Caluinistica maledictiæ, purpuratos ardeliones, Sibarietas vocat, luxu Iouem superantes, ingenti sumptu lupas fouentes: quos quidem vir linguosus & summè mendax, vel non vidit vnquam vel in vitam moresq; eorum non introspectit. Si cognouisset Moronos, Hosios, Boromæos, Comenses, Carafas, Comendonos, & alios insignes viros summè sanctos & excel lenter doctos, quorum stupenda virtus cum in alijs eorum præclaris gestis: tum in Gregorij huius electione enituit: cum virum sanctitate & summa prudentia plenum Pontificem intra paucas horas designassent, similes similem sibi quærentes, dignum qui doctissimis & integerrimis præset, non hæc de illis affirmare ausus fuisset. Quæ porro in sanctissimos Pontifices & in sanctissimum Gregorium ac in Pium eius antecessorem summæ & miraculose innocentia virum, in alios itidè istis pares, imo in ipsos Christi gloriosissimos Martyres, probra egerit: omnem conuiciandi superant libidinem. Nō me grauius quæq; ex Hæreticis contra hanc sacrosanctā Petri sedē fuerentè audisse aut legisse memini, atq; istū qui insatiabili maledictiæ, mille effudit conuitia. Ad quæ aliud mihi sumo respondendi

In conclonatores fol. 276

In Cardinalibus fol. 276

In summos Pontif. per totum librum

dendi tēpus. Si quid probitatis & ingenuæ mentis habet, quia Polonus est, non agat conuicijs & contumelijs sed libro meo Polonico contra Russorum schisma hac de re scripto respondeat, illa confutet, & alia interim tela contra hanc mētiendi peruersam voluntatem expectet. Respondeat & ad illas nouem de Antichristo quæstiones quas illi in fine secundæ columnæ in Polonico meo de Sacra Eucharistia hoc anno ædito libello proposui.

Apertas autem huius Volani in Ecclesiam Dei calumnias seu crassa nimis mendacia, recensere, quod & refutare est, hic me aliquorum quibus nostra non satis sunt perspecta, iubet periculum, ne aliquis hoc ita esse credat, quod homo iste nugarur, & nos constantissimè negemus.

fol. 7. **I** Prima est illa horrenda calumnia. Nouum inquit Christum quoties volunt creant, & prædicant, minimi cuiusq; Sacerdotis maiorem esse potentiam quam ipsius Dei, quod nimirum Deus intra sex dies vniuersam condiderit creaturam: Sacerdos vero quinque prolatis verbis creat ipsum creatorem. Tales sunt, inquit, in ista Ecclesia Doctores, & talibus sententijs eorum omnes ferè referti sunt libri. Hoc est turpissimum commentum, & abominandum in Ecclesiam Dei mendacium. Quis hoc ex Doctoribus Ecclesiæ S. Rom. dixerit aut scripserit neminem potest proferre. & tamen talibus sententijs nostros omnes libros refertos esse confingit. ô tuam Iesu Christe patientiã.

fol. 12. **2.** Sed & illud eiusdem est figmenti. Docent, inquit, habere Ecclesiam potestatem statuendi quippiam contra Dei verbum & novos fidei articulos condendi, & in scriptura traditos abolendi. Hoc ne cognouit quidem aliquis Orthodoxorum in Catholica Romana Ecclesia. Tua est hæc calumnia ô Heretice. Nos Ecclesiam cum Dei verbo pugnare nunquam posse docemus: & hoc ipso non esse Ecclesiam fatemur si quid verbo Dei contrarium statueret.

3. Pontifices Romani, *ideo inquit sunt Antichristi*, quia fol. 50.
 idola in templo constituunt, DEVM Maozim auro &
 argento colunt. Sacrum coniugium interdicunt, spur-
 cas & obscuras libidines nulla animaduersione dignas
 iudicant, *En omnium probationum summa cur. S. Rom. Ec-
 clesia abominando Antichristi nomine comaculant, seipso po-
 tius præcursores Antichristi (qui tam apertis nituntur men-
 datijs) declarantes. Quæ enim idola in templis nostris conspi-
 ciunt? Quis Maozim istum apud nos adorat, cuius nomen eti-
 am nulli ex popularibus est cognitum? Quis coniugium apud
 nos interdicit? Quis non obscenas libidines execratur? ô tole-
 rantiam tuam sponsa Christi Ecclesia. An alia doctrinæ suæ
 isti habent fundamenta?*

4. In Rom. inquit, Ecclesia omnis cultus & honor fol. 14.
 mentis interior foli DEO debitus ad creaturas est im-
 piè translatus. *Negamus, & esse hanc turpem in nos calu-
 mnam profitemur.*

5. Crustulum, inquit, panis albicans pro DEO ado fol. 14.
 rant & ad adorandum prostituunt. *Ipsamet insigniter se
 calumniari nos testatur cum alio loco nullum nos in Eucharis-
 tia panem agnoscere confitetur. Non panem nec crustulum
 panis sed Christum & eius sanctissimum corpus omni cultu
 diuino dignum in Eucharistia adoramus.*

6. Sancti, inquit, tanquam Dij bonorum omnium
 & vitæ æternæ largitores à Romana Ecclesia inuocan-
 tur. *Non est ita fingit hæc calumniator hereticus. Vt pro no-
 bis preces suas Deo offerant imploramus: hoc solum ab il-
 lis obtinere contendimus, quod idem à viuis etiam nobiscum de-
 gentibus petere solemus: Dei autem honorem nunquam eis tri-
 buimus. In orationibus Ecclesiæ illa est perpetua regula, vt
 omnia per D. nostrum Iesum Christum petamus, etiamsi pre-
 ces Dei genitrici vel sanctorum exigamus: vnus tamen illius*

Mediatoris nostri IESV Christi nomine collectas (vt vocant) omnes concludimus. Tua est hæc ô Sathana, in Christi sponsam calumnia.

7. Omnes Papisticorum sacrorum mystæ in omnia scelera effrenes ruunt, & si dicant singulis diebus Ave MARIA vel Salve Regina, omnibus flagitijs cooperati, etiamsi nihil vnquam boni gesserint, salutem se prædicant consecuturos: Nihilq; tam fædum auditu aut
- fol. 378. obscænum factu, quod non patrocinate MARIA coram iudicio Dei abolitum isti nebulones impudentissimi mentiantur. *O nefanda mendacia. Hæc se dicit in Discipulo de Tempore legisse. Etiamsi hæc falso dicat, sicut & alia quæ ibidem subijcit: querimus tamen ab eo in quo sermone huius authoris hoc legerit. Deinde esto ita dixerit Discipulus (vt reuera non dixit) nunquid vnus obscuri & anonymi libri testimonium, toti Ecclesiæ obijciendum erat? En quales nobis Thomas, Albertos Magnos, Alenses, Bonauenturas obijcit: in quorum grauium Doctorum scriptis imo ne in Discipulo quidem imposturam istam licet reperire.*
- fol. 370. 8. Non solum Diuos Papistæ adorant: Sed ad idolorum longo terrarum spatio dissita cõfugiunt, ipsaq; viuere & preces exaudire stolidi putant. *Mera est calumnia, & mendacium.*
- fol. 371. 9. Stipites, arbores, & truncos Papistæ opera manuum hominum adorant. *Est putidum figmentum.*
- fol. 54. 155. 10. Docent semel tantum in anno ad sacram Eucharistiam accedere debere. *Non est ita: sed contrarium semper prædicamus, & faciunt fideles, qui in anno sæpius communionem sacra reficiuntur. Lex autem illa, vt semel ad minus in anno Christi à singulis sumatur corpus, in negligentissimos lata est.*
- fol. 350 II Excommunicare Sacerdotem reliquum populum ab illo

illo conuiuio quo se vnum pascit in altari. Hoc esse falsum hactenus quilibet probat, Liberum est enim paratis, illo ipso sacrificio sanctissimo uti, & semper eius esse per summptionem participes.

12. Docere nos, fidem sine vllo Spiritus S. adiuumento haberi. *Figmentum est aduersarij. Nihil minus docemus.* fol. 100.

13. Docere nos, non à scripturæ sanctæ autoritate, sed ab anonymis & obscuris quibusdam rabulis fideles dependere debere. *Hoc nunq̃ nec à me nec à Catholico quoq̃ est dictum.* fol. 8.

14. Prohibent, inquit, leges Pontificiæ ne cuiquam coniugato ad honores Sacerdotales pateat aditus, quæ tamen impurissimo scortatori minime intercludunt. fol. 190.

Nec hoc est verum. Nam & coniugato castitatem ex consensu vxoris profitenti, aditus ad omnes Sacerdotij honores patet, volentes autem matrimonio uti, Ecclesia Romana iustus de causis ab ijs muneribus arcendos censet. Quod vel ex vno Hieronymo licet agnoscere, cuius verba sunt hæc: Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes, Episcopi, Presbiteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici. Et alibi. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Aegypti & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt. Scortatoribus itaq̃ eos conferri honores, intoleranda est in Ecclesiam Dei calumnia. Quod si aliqui non præstant quæ Deo vouerunt, hominum est, non legum sanctissimarum culpa. Eodem modo dicat, quod multos iniquissimos iudices occupare tribunalia videat, Magistratus istos perditis quibusq̃ patere.

15. Docere nos, grauius quoddam onus sustineri à nobis, quam Christus ferendum suis imposuerit: Falso affirmat. *Nam si de consilijs res est: ea quidem imposuit Christus,* fol. 319.

In Apologia
ad Pammachium
pro libris
contra Iouinianum

Libro 2. contra
Vigilantium.

stus, sed non omnibus: verum illis tantum qui ea proprio arbitrio assumunt. Vnde illa Caluini eius Magistri amplissimo Christi verbo aduersa heresis, à Volano prædicatur, idq̃ cum insigni maledicentia: Nemo, inquit, nisi Monachus homo extremè impudēs & impius istud dicere præsumat, aliquid à Christo traditū esse quo non omnes ex æquo astrictos esse velit suos discipulos: & quæ consilia isti vocant Christi, serua ipsius sunt mandata quibus omnes obtemperare necesse est. Nos Christum consuluisse Paupertatem illis verbis: Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me, affirmamus: Similiter & Castitatem perpetuam illis vocibus: Sunt Ennuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei: qui potest capere capiat.

Quod Apostolus confirmat, inquit: De virginibus præceptum Dei non habeo, consilium autem do. Si consilium Christi de colenda castitate & virginitate est Volano præceptum: seipsum & suas uxores condemnavit & præuaricatorè præcepti constituit. Audio dicentem D. Augustinum: Aliud est consilium, aliud præceptum: consilium datur vt virginitas conseruetur, vt à vino & carnibus abstineatur, vt vendantur omnia & pauperibus erogentur: præceptum verò datur, vt iusticia custodiatur, omnis homo diuertat à malo & faciat bonum.

August. 61.
de Temp.

Contra Iouinianum & Eustochium.
pist. 22. ad Eustochium.

Sermone de Natiuitate Christi.

D. item Hieronymus, inquit: Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum, necessitas seruientis: Sed maioris est mercedis quod non cogitur & offertur. Et D. Ambrosius: Non præcipitur, ait, quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio & quod tutius est demonstratur: D. quoq̃ Ciprianus, Bona sunt & à Deo instituta coniugia: melior tamen est continentia & Virginitas excellentior, quam nõ cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium. Idem tradit Basilius lib. de Virginitate, Epiphanius Hæresi 58. & alij innumeri: Qui omnes vna cum Apostolo
adeò

adedò clare loquētes de consilio & præcepto, Volano sunt Mo-
nachi extremè impudentes & impij ac (sicuti infra eodem lo-
co eadem vtitur verborum modestia) mendaces, suo pudori cū
Scarga non consulentes, impudentes circulatores, veteratores,
qui ne teruntio Volano & Zuingliani ista venderent somnia,
quibus longo tempore (mille scilicet quingentis annis) miserum
populum ludificarunt & quæstuosissimas mundinas exercue-
runt. Hæc sunt eius verba in Apostolos & omnes sanctos
Doctores Ecclesiæ, impudentissimè egesta: qui omnes consi-
lia quædam data esse à Christo Domino nostro ex eius euidē-
tissimis verbis ostendunt. Sed plus authoritatis apud istum
habent Caluini deliria, quàm apertissimæ Christi voces, &
sanctorum eius dogmata.

In sanctos
Dei quantæ
contumelia

Prætereo, alia eius figmenta, quibus iniquissimè sponsam Chri-
sti conuiciatur. Illud inter eius commenta merito recensē-
dum est, quod dicit quodam in loco. Helueticis Ministris
in disputatiōibus de rebus fidei, toto orbe celeberrimā
Parisiensium sorbonam nō obstitisse: Sed omnibus ex-
armatam suis telis, succubuisse. Si in Pisiaco vel Pos-
siaco colloquio hoc factum putat in Gallijs, decipitur & de-
cipit: Mos est hæreticorum etiam post acceptam cladem, tri-
umphū sibi arrogare. In illo colloquio Beza & Petrus Mar-
tyr duces Caluinistici bellum inferre Catholicis volentes, ipsi
se miserè conficiunt. Cū enim Beza corpus Christi in Eu-
charistia reipsa quidem non esse, reipsa tamen in illa mandu-
cari probaret: ac pro sua parte exclamaret Martyr, neq̄ reip-
sa in Eucharistia esse, neq̄ reipsa sumi: dissensio eorum faci-
lem Catholicis præbuit victoriam, ex Bezana præsertim, quā
Volanus sequitur, adedò stulta & circulatoria opinione. Quid
enim potest magis à ratione alienum esse, quàm aliquid rei-
psa māducari vbi reipsa nō est? Poterant ne hæc deliria & ta-
les discordiæ (quæ statim etiam Martyrem contra Bezam ad
scriben-

fol. 198.

Espescus in
Apolog. Et
Genebrardus
in Chronol.

In responsio:
ad Bezæ Apo-
log. contra ex-
amen Do-
ctrinæ Calui-
niana.

Lindanus in
Dubit: Prate-
olus in Elen.
Ioan: vetus.

scribendum se componentem absorbuerunt, non sine suspitione veneni illi à Bezanitis propinati) Parisiensibus Doctoribus obfistere? Inter quos cum fuerit Doctissimus ille Sanctesius, totum illud colloquiū graphice ipsumq; Bezam depingit suis coloribus, vitam eius spurcissimam, simoniacam (vt qui sacerdotia Ecclesiastica quibus abutebatur sceleratissime vendidit) tyrannicam, seditiosam & sanguinolentam omnibus manifestam reddit. Et eundem Bezam Hessusius Luteranus Epicureum & blasphemū scurrā vocat, vt qui publicus matronarum haberetur maritus. Quo etiam in colloquio Possiaco dicente Bezæ, tantū Christum distare ab Eucharistia, quantū distat cælum à terra, commilitones eius responderunt: mirum videri non debere, illum à Sacra Eucharistia Christum exturbare, qui nec DEVM esse in cælo credat. Eundem enim sæpè cum Ludimagister esset in scholis occinere solitum meminert: illum esse Beatum qui iuxta Vergilium, metus omnes & inexorabile fatum: Subiecit pedibus strepitumq; Acherontis A. uerni. Iste est Propheta diuinus & magister cælestis Volano. Gaudeat tali cum suis Propheta.

Diuehat & Cracouiensem Academiam, omnium in hoc Regno ingeniorum excultricem, & vnicum huius Monarchiæ decus, in qua & nos tyrocinia iuuentutis deposuimus, & ex eius vberibus disciplinæ suauitatē hausimus. At quod nā cæpit eius lacerandæ argumentum? Testatum est, inquit, ad quam mansuetudinem & pietatem ab egregijs istis Rom. Ecclesiæ Theologis iuuentus informetur, quòd quidā eorū discipuli Synagogæ Caluinisticæ Cracouiæ nuper erectæ, quies tem perturbarint. Hoc quidem, si verum est, ab illis optimis præceptoribus præceptum eis fuisse dicere homo iste non audeat. Ad omnes autem prouehi virtutes ab illa ingeniorum & probitatis matre suos alumnos, tot piorum & doctissimorum virorum per Poloniam propagatum germen testatur. Ceterum

rūm Calvinistarum ipsosmet Ministros in expoliandis innumeris Catholicorum templis, in perpetrandis horrendis sacrilegijs, in committendis execrandis Sacerdotū homicidijs in Gallia & Flandria, duces se & auctores exhibuisse plurimæ testatur historia. Ad hancne mansuetudinem de qua paulò post aliquid dicitur, & probitatem vestros ô Ministri informatis non est quod quæramus: quandoquidē ipsosmet præire, & exemplis quid suis faciendū sit discipulis ostendere videamus. Nec solum sacros omnes ordines maledica ista lingua diuexat sed Illustrissimos etiam Principes Radiuitos quod Catholicæ religioni nomina dederint audacissimè traducit, permotos esse, ornatu & sonis Musicis templorum nostrorum, in quibus omnia, inquit, ad voluptatem & demulcendos humanos sensus sunt composita, quæ facile iuuenilem capiunt ætatem: postquam autem eis iudicij maturitas accesserit, ubi vana corporis oblectamenta reiecerint, & de quærenda salute animæ curam susceperint, reddituros esse iterum ad Christi pascua. (Hoc est Zuinglianicum & Calvinisticum Euangelium) & doctrinam quam cum lacte hauserunt. Hac ratione non ad Calvinisticum sed ad Lutheranicum Euangelium redeundum illis esset: hoc enim tum eis ingerebatur. Contumelia est insignis, corporis oblectamenta, voluptatē, sensuumq; titillationem sine vlla salutis cura illos secutos dicere, qui iuuenili puro & innocentiæ pleno ad Spiritus S. motionem apto pectore, Christum & eius veritatem, complexi sunt, ac Volanum senem, iuuenes, multosq; ei similes prudentia sua insigni condemnauerunt. Sed quid iam ad maturitatem iudicij in eis requirit, quibus Ecclesia & Resp: summus concredidit magistratus? Veniat & Prophetiæ suæ de illis prolata veritatem accelerare faciat. Persuadeat illis ad sectas & schismata infelicem regressum: dicat coram, id quod scribit absens, mentiri Iesuitas, & diuinæ veritati oblatrare:

Surius in comment. in anno Dñi. 1566. & sequentibus.

Radiuitos exagitat Volanos.

fol. 22.

trare: iactet de vrbe Romana ea quæ ipsi in orbis illo theatro eruditi, falsissima esse probauerunt: proferat mugas illas hereticas, audiet & perferet tali propheta digna responsa. Quod si prophetare coram ipsis præsens non audeat, ac responsa vtriusq; generis recipere formidat: res & facta ipsorum respondent. Spectat omnis Ecclesia Dei, Nicolaum Christophorum totum esse in gloria Christi promouenda, in veritate Catholica plantanda, in extruendis templis, in fundandis Collegijs, in ruinis patris errore inductis restaurandis occupatum. Videmus Georgium in felicissima Episcopatus Vilenensis administratione & hæresum extirpatione defixū, pijs vsibus paterna bona attribueret, ex eisdem seminarium Clericorū institueret, & magnum ad alia animum gerere. Albertum Regiæ aulæ Marschalcum pacis cum Moscho internuncium tanto zelo in Christi Evangelio proficientem & summè hæreses execrantem cōspicimus. Stanislauum pietati & Catholicæ deuotioni immersum, magno gustu veræ Christi religionis suauitate oblectari probamus. Veniat Volanus & dicat: Patris vestri religionem reducite, illius vos permoueant exempla. An non æquissimè & magna prudentia, non Volano, qui alijs est responsis dignus, sed illis qui honestè rationem facti eorum cognitam sibi esse volunt, responsuri sunt: Facta parentum bona: imitanda esse, mala corrigenda. Nihil se iniuriæ patri suo afferre, sed honorem potius illi & eius maioribus tribuere, cū ad a-uorum & atauorum, plura, antiquiora, & Catholica prouocet exempla. Se ab vno patre, imò à parte quadam eius ætatis (vixit enim & ipse ab incunabilis multis annis Catholicus) recedere: patrem verò à tot antegressis patribus recessisse. eandem libertatem æquissimè ab illo sibi concedi, quam ipse à multo pluribus ad dissentiendum sibi vsurpauit. Nec inuitus hoc concedere filijs videbatur nam paucis ante mortem diebus Nicolao maiori natu filio, qui hæc refert: absenti in Germaniam scripsit,

Paterna ex-
pla quomo-
estimanda.

scripsit, se tot sectarum in Ministris & nouarum semper mō
 struosarumq; de rebus diuinis opinionum ac disensionum mul-
 tum pertæsum, vix scire quidnam sequendum sit, nunq; se tan-
 tos discordiarum tumultus post relictam antiquam religionē,
 in ea quam sequebatur expectasse. Duo à longē prudenti incul-
 cans, et se, si tot discordias præuidisset, nunquā Catholicā reli-
 gionē fuisse relicturū. & ipsum ne se iisdem salutis periculis
 cōmitteret cautū esse debere. Præstitit suū officiū oculata pru-
 dētia, relictis schismatibus et hæreticorū synagoga ad vnā san-
 ctā Catholicā et Apostolicā Ecclesiā vna cū alijs tribus ger-
 manis redijt. Sicut Ioas in scriptura S. non Ochoziā, nec Eze-
 chiaz Achar, nec Iosias Amonē parentes suos imitati sunt,
 sed potius parētum errata corrigentes, ariquisimū patrē suū
 Dauidem, & alios auos ac ataus in cultu veræ religionis ad
 imitationem sibi proposuerunt. Idem istis erat faciendum. Et
 patris quidem maximi illius viri, iusticiam, prudentiam, gene-
 rositatem, munificentiam ac in patria tuenda & illustranda,
 fidem exprimunt. religionē autem & casum qui illi cū mul-
 tis anteq; doli istorum & discordiæ detegerentur, fuit commu-
 nis, doplorant, & corrigunt. Quod verò sua domo synagogam
 Zuinglianam exturbasse, culmen turris Babilonicæ quod Vil-
 næ eminebat demolitos esse Radiuilos queritur: ac aliam sibi
 ab eorum patruo Illustr: Palatino Vilnensi, viro gloria bellica
 clarissimo ex ædificatam gratulatur Volanus: illud summam
 Illustrissimorum Radiuilorum continet laudem, hoc magnam
 inconsiderati Volani arguit vanitatem. Nihil enim minus co-
 gitauit vir ille qui bellum pro patria gerenda sumptibus ma-
 ximis iuuit, & singulari prudentia promouit, quàm vt in sy-
 nagogam non tantum non necessarias sed etiam supersticiosas
 expensas faceret. Flandri mercatores de media plebe Calui-
 nistæ, Zuinglianis hoc præstiterunt quod Volanus tanto viro,
 non ita sectæ eorum addicto tribuit. Nacti sunt hanc synago-

gam Vilnæ Zuingliani: sed quibus artibus, qua veritate, quo iure, qua obedientia? ipsi viderint, & nos fortassis alio opportuniore loco ostendemus. quamuis res ipsa notior sit quam ut Volani loquacitate contegi possit, aut nostra expositione indigeat. Opponebat certè iura sua Episcopus: Babilonycam illam struere, & turā pientissimus impediēbat Valerianus: cautū esse legibus patrijs Ecclesiæ Catholicæ quæ est in Lituania, ne sine consensu Episcopi templum vllum extrueretur aut scholæ aperirentur, ostendens. Quid curarunt Evangelici? Illud quod Evangelij sui caput est, respondere solent. Si ius violandum est, religio, hoc est superbæ hæreseos causa, violandum est. Pientissimus etiam Rex compellatus ab Episcopo fabricam illam suis publicis edictis interdicit, cessare ab opere iubet, vrget ius Episcopi, vrget ius suarum Ciuitatum, & si nobilium hæreticorum oppida hanc auferunt libertatem Catholicis, ut non liceat illis sua ibi templa extruere: multo æquius Regias Ciuitates hanc libertatem hæreticis negare contendit. Sed decepit, inquit, Volanus sacer ordo Regem, qui non vidit exoritura ex tabulis edictis pericula. At non sacer ordo sed Calvinistæ suos Reges & Principes in Gallia, Flandria, Germania, Hollandia decipiunt, & contra eos impia arma mouent. Quod idem exoriturum auguratur Regi non satū scilicet prudētī Volanus. Porro quis obsecro Regem suum circumuenit vtrum sacer ordo id est, Episcopus (ipse enim fuit qui in synagoga negotio literas ad Regem dedit) iustissimis rationibus propositis, quibus ipsemet sapientissimus & prudentissimus Princeps in prohibenda Synagoga fabrica vsus fuit: An verò Zuingliani qui in dandis nominibus scribendisq; tabulis nomen Illustrissimi Palat. Vilnen: (quasi is in suos vsus domum illam priuatam emerit) posuerunt, ut tali fictione si ab Episcopo, Rege, & legibus impedirentur tutiores redderentur? Quin etiam illam iniquitatem addidisti senio & morbis diuturnis confecto, nec
ius il-

ius illud prosequi valenti Episcopo, cum de vestra bonitate confisus in manus vestrorum decreta illa Regia traderet: nunquam ea more Euangelij vestri restituere voluistis. Sed res huius Euangelij plantari aliter & prouehi nequeunt. Glorietur ergo cum suis Volanus, & tali iure extractum esse suum Calvinisticum delubrum gaudeat. Nos in Domino & tribulationibus, atque persecutionibus quae nobis quotidie ab eis afferuntur gloriabimur. Illud interim contra eos in clamantes: o viri stulti quid edificatis super arenam: quo nam modo iudicium Dei & vestrae domus ruinam a Christo praedictam non reformidabitis? Descendet, inquit ille, pluuia, & venient flumina, & stabunt venti, & irruent in domum illam, & cadet, & erit ruina illius magna.

Matth 10.

Quodam loco iactare videtur Volanus spem concordiae Lutheranorum cum Zuinglianis quin etiam factam eam concordiam in margine adscribit, annumque 1577. & locum Vilmam apponit. Memini huius Volanici conatus & successus. Cum sua prodi in dies deliria Vilmæ praesertim, & superari se numero & merito à Catholicis cernerent Zuingliani, & discordiae pugnaeque haereticorum mutuae, sectis inter se turpiter certantibus, vires eorum contra nos debiles efficerent: non ut illud Apostolicum implerent, ut ananimes vno ore DEVM honorificarent: sed ut collectis contra Catholicos viribus atrocius eos impugnarent: imitatus Bucerum & Calvinum Volanus, inter suos Zuingianos & Lutheranos pacem componere tentauit. usus est quibus potuit artibus: conuocat ex utraque parte Ministros: statuuntur arbitri, Palatini in bellicis & civilibus rebus non in scripturis exercitati: prima fronte quemadmodum, & in titulo sui libri fecit Volanus: veram praesentiam corporis Christi in Eucharistia, contestis illis imposturis Calvinisticis, quas nos deteximus promulgat Lutheranis: putant illi ex animo id dici, inclinant ad foedera, rumor fit illos iam conuenisse. Catholicici perterriti ruinam infirmiorum metuumt, & grauiorem

Pax inter Lutheranos & Zuingianos qualis.

Arbitri rerum diuinarum apud Zuingianos.

sibi imminere persecutionem ominantur. Quos ego pro meo munere animaturus, vadē me pro concione obtuli, pœnasq; mihi irrogandas proposui: vt probrosē & publicē flagellatū, ipsi me hereticis, quorum in me furorem aestuare nouerant, traderent: si conuenire eos & pacem inire contigisset. Sciebā enim inter superbos esse semper iurgia, & dolos Caluinistarum diu calari non posse intelligebam. Ventum est ad questiones cōcludēdas. Minister quidā Luteranus in Vest phali puo scriptis versatus, dolos Caluinisticos deprehendit: fucatam et præstigijsam eorum præsentiam Christi corporis in Eucharistia coarguit: simulationes & verborum strophas detegit: Capitur Volanus, discedunt irati, multoq; magis quā ante dissidentes: refertur hoc Catholicis: gratulantur mihi & Ecclesiæ Dei. Ad hodiernum vsq; diem, nihil potest esse magis dissentiens: quā Vilnenses, & alij in Lituania Luterani à Zuinglianis dissident. Probet qui volet. Attamen isti, veritatis amici, factam esse illo anno concordiam iactant. O infamem mendaciorum turpitudinem: cuiam vultis hæc iactando imponere, cum insipientia vestra nota sit omnibus hominibus, nec iam calari à vobis etiam potest. Quippe ipse Volanus iterum parum sibi constans, dissensiones & spiritum illum vertiginis in suo Euangelio agnoscens: illa, exorta tempore Apostolorum de circumcissione questione exempli loco adducta discordias suorum excusat. Sed aliud est querere ac dubitare, vel per ignorantiam peccare: aliud pertinaciter aliquid tueri, & in temeritate persistere, nec vllis remedijs aut patrum sententijs acquiescere velle. Illi mox à Concilio Apostolico edocti, & sententia qua circumcissionis tollebatur necessitas, perspecta, conquieuerunt: istos nulla, nec verbi Dei, nec conciliorum, nec Apostolicæ cathedræ, nec vocis Spiritus sancti authoritas edomat. Nullus iudex, nullus diuinus magistratus in ordinem & obedientiam eos reducere valet, sua tueri, furere, nulli cedere,

Frustra discordias suas excusant Zuingliani.

dere, inter se ipsos dissidere, & mutua fouere bella, nec contentionum & seditionum vllum facere finem didicerunt.

Sed regerit in nos Volanus hanc reprehensionem discordias nobis etiam obijciens. Quas nam verò quod scilicet diuersas solutiones, & verborum D. Augustini aut Tertulliani interpretationes afferamus. Vnde nos, illis modestiæ plenè & blãdis verbis compellat. Gaudeo istas belluas mutuo se

fol. 54.

Discordiæ Catholicorum
qualcs.

fol. 264.

conficere: & cum ad veritatem obruendam conspirauerint: ita tamen in mendacio dissentire, vt omnium iudicio homines nugacissimi, videantur. Gaudeat Volanus sed ita sicut ille gaudet, qui à duobus vel pluribus diuersis telis vulneratur: & alter quidem illum gladio ferit, alter hasta confodit, tertius sagittis configit. Non mutuo sese isti, sed mutuo hostem diuersis telis conficiunt. Tali nostra discordia, nõ se credant victuros hæretici. at nos eorum discordia triumphamus: nec vllam hominum animis magis efficacem, ad eorum falsa, & à patre superbiæ & apostatarum principe, profecta dogmata diiudicanda, regulam ingerimus: quàm eorum discordias: nec vlla re magis qui sapiunt, ab eorum delirijs: quàm cum eos pugnas inter se, de intimis fidei nostræ partibus, suscipere contemplantur, auersos gerunt animos. Nos autem nunquam ostendet Volanus, in dogmatibus ad fidem spectantibus dissidere: cum in omnibus Ecclesiæ iudicium, non nostrum sensum sequamur.

Catholicam religionem & Romanam Ecclesiam nullas pati persecutiones quibus ego illam crescere dixeram, affirmat: & à Zuinglianis alijsq; sectarijs nullam nos debere persecutionem

fol. 221.

De persecutio
nibus Romanæ Ecclesiæ.

timere pollicetur: nec ad Papatum exturbandum aliquam suorum extraneam vim adhibituos spondet: quòd scilicet, mendacium sua sit sponte ruiturum. At candorem huius fallacis animi quis non desideret? quis nõ dolum & tantam simulationem execretur? Tale ne est Zuingliani stis ingenium, vt nullas

contra

In Polonia &
Lituania.

Persecutio-
nes linguæ.

contra nos moueant persecutiones: vt nos tolerent: vt disputan-
do tantum & inquirendo rationibus & argumentis, & DEI
verbo nobiscum agant: vt parcere nostris & eos ad suas opini-
ones minime cogere, & libertatem credendi quidquid libeat
concedere velint? Sumamus exordium à Polonia & Lituania
amplissimo isto Regno. Quot calumnijs sanctam Romanam
Ecclesiam quotidie Ministri cum suis appetunt? quas non ido-
lomanias, turpitudines, scelera, nobis apud vulgus adscribunt?
Iam quædam ex ipsius Volani verbis audiuimus, quanta contra
S. S. Rom. Ecclesiam & clerum confingat: quantis probris
contumelijs & calumnijs illam oneret, & odiosam omnibus
reddere cupiens eam meretricem Babilonycã, diuini & huma-
ni iuris violatricem, idololatriæ deditam: imo ipsum Pontificem
Antichristum esse conuiciatur. Quid hoc est aliud, quàm clas-
sicum ad eam exterminandam canere? An parua hæc est per-
secutio? Ego verò vulnera mihi infligi: quàm hæc & mihi &
omnibus Catholicis & S. S. Ecclesiæ Romanæ, tanta calumnia
attribui, facilius & libentiùs tolerarem. Quid faciunt illi
Volano similes, qui vna cum ipso ita permouerunt animos ho-
minum: vt quidam ex Nobilitate Lithuanica, Sacerdotes Do-
mini, Parochos in suis oppidis & villis carcere enecarent: alios
nudatos & spoliatos rebus omnibus ex suis bonis expellerent:
Templa iam plusq; trecenta in Lituania spoliarent, & totidẽ
Sacerdotes DEI mulctarent: bona Ecclesiarum & redditus si-
bi vendicarent. Quid faciunt illi qui populum Catholicum ad
sua delubra & Sacramenta compellunt: qui nullam in suis bo-
nis, oppidis, & villis libertatem profitendi religionem Catho-
licam permittunt: qui multis pænis propositis Catholicos ad
Caluinismum vel alia sectarum dogmata amplectenda cogunt?
Quid illi faciunt Nobiles Caluinistæ qui Sacerdotes Dei quo-
cumq; loco inuentos contumelijs afficiunt, colaphis & baculis
ædunt, Monachis multa probra & vulnera inferunt? Quid
faciunt

facit Volanus, qui nos peius cane & angue odit, & apud omnes præsertim Lituaniæ Procere inuisos & odiosos reddere conatur: adeò vt quibusdam nostrum sæpius mortem & mille contumelias minati fuerint. O feros leones qui cum ultra progredi Ecclesiam Dei persequendo non possunt, tum demum mansuetudinem simulant: cum crudelitati animi, virium debilitas modum statuit: cum patrocínio potentissimi & pientissimi Regis Stephani cedere coguntur: cum plebis Catholicæ metu reprimuntur. At ubi feritas eorum, scelerum & simulationis ac mendaciorum auxilio vires acquirit, non Magistratibus tantum Catholicis: sed Regibus & Principibus resistit: imò arma contra illos impia sumunt: quæ ubi succedunt, infinitis tormentis & supplicijs Catholicos & S. Romanæ Ecclesiæ filios afficiunt, ac sanguine nostro prædag; templorum nunq; satiantur. Afferamus eorum in Gallijs mansuetudinis exempla: quæ Ministrorum Caluinisticorum tubis & prædicatione Beza præsertim illius sediciosissimi, & impy ductu ediderunt. Galli cuiusdam verba ponit in suis commentarijs Surius anno 1573. publicis characteribus excusa. Ruinæ, fol. 758. inquit, & crudelitates quas hæretici in nostros exercuere vix à posteris credentur. Altaria destructa, imagines comminutæ, templa multis locis incensa, multis diruta. quid dico multis? Sanè numero incredibili: vt pote ad decem millia & supra. Quæ residua fuere, ad vsu eorum, commutata, aut in speluncas latronum conuersa. Aureliæ Augustæ Crucis templum mirabili opere & cælatura, Lugduni fanum Iusti supra fori Veneris situm, actis cuniculis & incenso puluere corruerunt. Sanctorum ossa aut concremata aut in profluentem deiecta. Sic D. Martini apud Turones, Irænei, Iusti, & Bonauenturæ apud Lugdunenses, Hilarij apud Pictauros, apud Engolismenses diuorum omnium qui
ibi se-

ibi sepulti erant corpora amissimus. Monasteria supra 600. solo æquata, plurima incensa: quam calamitatem pertulit magna Chartusia Allobrogum, tercio lapide à Gracianopoli. Vasa aurea & argentea, partim ab hæreticis per sacrilegium rapta, & in pecunias versa, partim à præfectis prouinciarum in vsum belli accommodata. Eucharistia porcis obiecta, pedibus protrita, oleo sacro cocta: cùm eam vocitarent irrisorio apud Gallos nomine, Irannè album. stultum appellantes Christum, quòd sub figura panis corpus suum occulisset. Preciosa vestis, aulæa omnis generis, & gemmata sacrorum ornamenta amissa: ex vasis æneis tormenta conflata. Bibliothecæ quæ in nostra Gallia instructissimæ atq; antiquissimæ fuere, passim arserunt. *Post pauca.* Veteres crudelitates hæretici partim renouarunt: partim nouas exercuerunt. Tyberio voluptati fuit, miseris è præruptis locis deorsù agere præcipites quo genere supplicij etiam cæteri plurimù vfi. Ad Petram Fortem cohors præsiaria: quæ accepto iureiurando venerat in deditioem, tali mortis acerbitate integra interiit. Oppidum est in comitatu Venetico Moruasium, ad litus Rodani situm: cui imminet altissima rupes. Oppidani metu compulsi, arcem rupi impositam: in quam præsidij causa confugerant dederunt: è vestigio contra morem militare, ducenti crudelissimè necati. Reliqui quorum magnus erat numerus, ex fastigio rupis acti præcipites. Duo ibi tum memorabilia acciderunt. Quidam Oppidanus, inter cæteros datus in præcipitium, arduculæ, in media rupe prominentis, felici casu ramum arripiens suspensus hæsit: Mille dehinc spectantium hostium telis impetitus, nihil læsus est: qua re illi attoniti, iterato iureiurando, ho-

do, hominem se seruaturos, funes demiserunt. At ille renuens, cælitumq; omnium implorans opem hostium crudelitatem euasit. Eum hominem Rex Carolus: quo tempore salutari consilio singulas regni prouincias lustraturus adiit, illac iter faciens videre voluit: filiaẽ dotem, illi annuas pecunias in alimenta constituit. Puella quædam sedecim annos nata, per medias hostium acies, virili animo transiens, cum patrẽ occisum putaret, sola arcem petijt: in qua alijs super alia iactis cadaueribus, multis audacter euolutis, ægrè patrem inuenit, cõfossam quidem multis vulneribus, sed tum leuiter adhuc spirantem. Humeris ergo impositum, spectante hoste, domum tulit, neq; solum vitæ, verum & sanitati restituit. *Item aliquando post:* Apamenses hæretici festis Pentecostes signo dato, supra ducentos ex gente Catholicorum interfecerunt: consulis domum incenderrunt: cuius incendij ardentibus flammis cum duobus liberis vir constantissimus est extinctus. Mulieribus grauidis vterus ferro cæsus, infantes ad saxa acti, antè mortem accepere, quàm uitam. Ad fanum Macarij (v̄ paulo supra habetur) in Vasconia ab hæreticis Catholici aggesta humo obruti, pueri medijs ferro secati, Sacerdotum viscera fuste intorta sensim extracta. Quis hæc credat, qui ipse non viderit? & tamen verè ita acciderunt. Constat supra quinquies mille Sacerdotes omnis generis vtroq; tumultu & lentis & crudelibus supplicijs esse peremptos, quibusdam eorum pellem detractam, qui octauo aut nono demum die quasi ad insaniam redacti spiritum exhalabant. Multis caput amputatum: alij militari supplicio minoribus tormentis expositi, aut ænearum machinarum ori alligati, emissio

igne in frustra distracti, plurimi vno summo gutturi affixo, dolore & inedia confecti, non pauci in templorum crucibus suspensi. Plurimi etiam sulphureo pulvere instructi, lardoq; peruncti, misso igne arserunt. Alij candentibus veribus viui per partes posteriores infixi, alij clavis ferreis, in abrafam capitis partem adactis, extincti: nonnulli exenterati, quorum viscera frumento respersa in alimentum porcorum cesserunt. Ad castrum Longumellum Sacerdos vir sanctissimus ab illis capitur: qui cum fratris pecuniæ ducentis aureis sese redemisset, tale supplicium pertulit: Pedem fune stricto alligarunt, ad tertium vsq; lapidem incitatis equis, fratre eiulante & sequente traxerunt, ad focum suspenderunt, vt subiecto fumo extingueretur. Deniq; instar porci, linea recta in partes dilaniarunt. Coloni eius hominis sanctitatem vsq; hodie lugent. Multi supersunt adhuc mutili, dissectis naribus, amputatis auribus, pedibus scissis aut adustis, vnguibus extractis, caecati, vulnerati, sensibus spoliati, qui harum crudelitatum præferunt vestigia. Sacræ virgines innumeræ violatæ: etcæt. Hæc omnia adeo sunt vera, vt hæretici etiã multo plura, & his acerbiora se fecisse & si non sine diuina interdum vltione gloriantur. *Hactenus ille. Hæc tum patrarunt cum secunda etiam vice Reges & Principes suos oppugnantes, superiores facti essent non armis sed fraude & seditione & multas occupassent ciuitates. Nã quæ primo tumultu in Catholicos præcipue Sacerdotes crudelitatis ediderint exempla, ab alijs describuntur. Hæc est istorum mansuetudo, tanta in Clerum præsertim Catholicum feritas. Frustra ergo nobis pollicetur Volanus nullam Zuinghianos et Calvinistas ad extirpandũ Papatum externam vim adhibituros. Tantum dabimus eis fidei, quantum illos imminutos viribus viderimus.*

Et multi, inquit Volanus, Calvinistæ & Sectarij in Gallijs propter religionem sunt extincti. Concedimus. Sed illi erant conuicti & contestati hæretici, quos Reges & Principes per legitimum magistratum, ab animarum inferenda lue, à turbis & seditionibus excitandis, à noua & toti orbi incognita ac pestilenti religione proferenda, ab antiquis & damnatis hæresibus excitandis, cõercuerunt. Pænas illas in scripturis sanctis contra falsos Prophetas decretas, antiquissimis temporibus in hæreticos toto orbe Catholico prouulgatas, & in Regno etiam Poloniæ discriptas ac obseruatas, cum legitimus Magistratus exequitur: quid non nisi iustum & sanctum exercet? Calvinus quid fecerit Serueto non ignoratur. Volanus capitalem etiam pænam in Ebionitas seu Anabaptistas decernit & gladium si non conuertantur vibrari iubet in sua Paranesi. De qua commodius alibi. Interim tamen intelligat ipse non solum de Ebionitis: sed de Zuinglianis & quibuscunq; alijs hæreticis iustissimum posse sumi supplicium. Audiat Augustinum de Hæreticis sic loquentem. Mirantur quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestãdos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo mouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo? Et tandem concludit dicens. Videtis qualia faciunt, & qualia patiuntur, occidunt animas affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, temporales se perpeti conqueruntur? Item alibi: cum adulteria, inquit, legibus puniantur sacri-legia permittentur? An leuius est fidem non seruare DEO quam feminam viro? Si qui hoc nomine supplicio afficiuntur Martyres sicut iuxta Volanum: iam fures & adulteros & prædones eodem titulo dignabitur. vtrum enim maioris criminis, sit existimandum furari aurum an furari animas? adulterio alterius coniugem polluere, an Dei verbum adulterare? de prædari agros an spoliare templa Dei tum mystica tum eterna? Merito ergo Cyprianus sanctissimus & antiquissimus

Iusta in Hæreticos Magistratū animaduersione:

August. tractatu II. in Ioannem.

Epist. 50. ad Bonifacium.

Ciprianus li-
bro de veritas
te Ecclesie.

Lib. 10. con-
tra Parmen:
cap. 7.

martyr de his qui ab Ecclesie unitate separati patiuntur, scri-
ptum reliquit: Ardeant licet flammis & ignibus traditi vel
obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona,
sed poena perfidie: nec religiose veritatis exitus gloriosus, sed
desperationis interitus: occidi talis potest, coronari non potest.
In qua etiam sententia legat si voluerit Augustinum lib. 3. contra
Cresconium cap. 47. & in Psal. 34. & 68. in epist. 61. ad Dulci-
cium, & 167. ad Festum. Sermonem quoque 15. de verbis Apostoli.
Hieronymum in caput I. ad Gala: & in Epist. ad Philemonem,
Chrysostomum etiam in oratione I. contra Iudeos, & Optatum
Milevitanum lib. 30. contra Parm. Neque aliud quod respon-
deat, habet Volanus quam Zuinglianos aut Calumnias he-
reticos non esse quales sunt Anabaptistae. Sed in primis quo
iure Anabaptistas damnat hereseos, cum illi se Evangelicos
Zuinglianos vero hereticos appellent? Deinde huiusmodi com-
munis hereticorum responsio his verbis Augustini de suppli-
cio hereticorum agentis refutatur. Quin etiam audet conque-
ri Parmenianus quod eos Constantinus ad campum, id est ad
supplicium duci iusserit. Respondet autem. Quid enim non
isti iuste patiuntur & merito criminum & ordine potestatum?
Prius enim probent se, non esse hereticos vel schismaticos: tum
demum de indignis poenis suis liuidam emittant vocem. Hec
& plura alia Augustinus. Ad extremum Concilium Tri-
dentinum, sacrosancta vox Spiritus S. eos esse hereticos pro-
nunciavit, & iam antea damnatas hereses sequi conuincuntur.
Cuius ergo iudicium verius, plenius, magis proprium & fieri
sepius solitum requirunt? De hac igitur contra hereticos le-
gibus Diuinis & humanis constituta poena, si quando publice
pro concionibus loqui nos oportet: isti suo damnati iudicio, he-
reticos se agnoscunt, indignantur, & sediciosos esse nos con-
cionatores, qui turbas excitare cupiamus dicuntur. unde &
Volanus hoc me etiam nomine reum agit. Sed quibus obsecro
hoc

hoc nomen congruit? Illisne qui Magistratum ad leges iustas
 & sanctas seruandas hortantur: an illis qui cum subditi sunt
 & contra leges peccant ex hac legum obseruatione secuturas
 turbas minitantur? an non hoc ipso testantur contra leges &
 Magistratum arma se sumpturos atq; dicturos illa rebellium
 verba: Dirumpamus vincula eorum & proiciamus à nobis iu-
 gum ipsorum? Nam vnde turbæ exorirentur si & præpositi
 suum præstarent officium: & subiecti legibus obedirent? Ma-
 gistratus legitimus persecutionem aliquam excitare potest se-
 ditionem nunquam: Subiecti verò & ciues non parentes Ma-
 gistratui ac rebelles sediciosorum nomen in scriptura cum Cho-
 re, Datan. & Abiron scelusq; obtinent execrandum. Sed fol. 20.
 iactat Volanus, nullam persecutionem in Gallijs attulisse Cal-
 uinismo perniciem, atq; inde probari eam esse Ecclesiam, quæ
 persecutionibus crescat & extirpari nequeat. Quis sit nunc
 in Gallie antiquissimo & semper Catholice religioni addi-
 cto Regno, Rerum status, absentes & multa temerè narrari
 audientes non tam certo agnoscunt. Illa tamen certissima sūt
 maximas persecutiones in Gallijs passam esse ab hæreticis S.
 Catholicam Ecclesiam, nec tamen extirpatam esse, sed post tot
 clades & ruinas sub Rege Catholicissimo Hærico acceptas ita
 ab impietate hæretica esse alienam, vt præcipue ciuitates nul-
 lum perferant hæreticum, & ne hiscere quidem Parisijs, Lug-
 duni, Tolosæ, & in alijs primis vrbibus si qui fortè latenter
 irrepsissent alienæ religionis homines audeant. Hinc Volanus
 falsus esse Propheta (nam & Propheta honorem sibi assump-
 sit) deprehenditur cum inquit. Non falsum me Petre fu- fol. 20.
 isse agnoscis vatem, dum in quodam colloquio ante tri-
 ennium tecum habito confidenter fore prædicabam,
 non exiturum integrum quinquennium donec Gallia
 cælesti lumine perfusa triste ac scuum Antichristi excu-
 tiens, iugum Christi regnum latè ibi propagatum con-
 spiceret.

fol. 20.

Signum Ca-
tholicæ do-
ctrinæ quod
est.Non posse ex-
tirpari nec pe-
rire quomo-
do Zuinglia-
nis cōueniat.

fol. 20.

spiceret. Antichristi iugum vocat, Christi Domini Dei no-
 stri in S. Romana Ecclesia Catholicam professionem. Ego ve-
 rò illum falsissimum vatem agnosco, cum non tantum quinque
 sed septem iam sint exacti anni, nec tamen impletam suam
 prophetiam cernimus: sed potius Rege piētissimo Henrico
 imperante, respirat & post crudelissima supplicia immanesq;
 ab hæreticis inductas ruinas, vires resumit Gallicana Ecclē-
 sia. Animo suo isti cum Beza & alijs Ministris, Regum
 Christianissimorum sceleratis suis fraudibus & sediciosis ar-
 mis interitum ac extirpationem totius Regij sanguinis concepe-
 rant: sed irrisit Dominus consilia eorum: & Beza dux con-
 iurationum proferre pedem ex illo antro Geneuensi, nō audet,
 & alij sceleris conscij diuina sunt ultione deleti, atq; Volanus
 mendax esse propheta conuictus est, in eo quod per tumorem
 animi sui, vt inquit scriptura, confinxit. Habeat ergo hono-
 rem prophetae cum Lutero & Dauide illo Basileæ post mor-
 tem exusto. Nam & ille prophetauit: Viuus eram pestis
 moriens tua mors ero Papa. Ille sepultus est in inferno:
 Papa autem in Christi regno quod est Ecclesia eius vnicus Vi-
 carius viuit & viuet ad seculi consumationem. Ille & viuus
 & mortuus falsum se declarauit, Volani quoq; senis cum ter-
 tia vxore delicijs operã dantis, mors vicina plura eius cōmenta
 et falsa deliria prodet. Quòd si impietas ista hæretica in ali-
 quibus angulis Gallie latitat, & arces quasdam Regi suo ere-
 ptas obtinet: nondum Arianicum seculum exæquarunt, non
 canant triumphum. Si trecentis annis in extirpando Arria-
 nismo laborauit Ecclesia: quid mirum si nunc propter peccata
 nostra per 30. vel amplius annos negocium nobis isti exhibeat.
 Euelli autem radicibus Calvinismum & Luteranismum &
 omnia hæc inimici hominis semina posse, testatur Hispanicus,
 Italicus, Venetus, Bauaricus, Pedemontanus, & aliorum prin-
 cipum & rerumpub. Zelus atq; in exercenda seueritate disci-
 plinae

Posse extirpa-
 ri Caluinismū
 & alias hære-
 ses.

plina diligentia, quæ tempestiue & sine detrimento tritici
Zizania necdum cum tritico satis permixta euelli curauit.
Cur in Bauaria, Saxonia, Italia, Sicilia, Sardinia, Hispania,
& Indijs tam Orientalibus quam occidentalibus non seminas
Beza vel Volanus? Si semen verbi Dei habet, non trepidet.

Sed habere illos adulterinum inimici semen trepidatio eorum
nullo etiam hic Vilnæ Catholicorum facto strepitu declarat,
& quantum sint suæ sibi imbecillitatis conscij, ostendunt. At
nostri in Anglicam ad Martyricas coronas tot & tanti viri
conuolant quotidie, sicuti infra proferemus. Illustrissimus et
Reuerendissimus Vilnensis non nisi comburere publicè eorum
libros cæperat: quantus timor eorum secutus est? non ad soli-
tam Martyribus patientiam, sed ad arma, non ad orationem
sed ad seditionem, Nobilitatem etiam scriptis contra legitimū
Magistratum & Dei ordinationem concitantes, concurrerūt.

Atq; eo primum tempore ferrea porta suam Synagogam com-
munierunt. At non sic ille verus Martyr qui dixit: Non est
Dei Ecclesia custodienda more castrorum: aperite ostium, ego
pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Sed hoc Euangeli-
um non potest aliter rebus suis consulere. Ab incestu turpissi-
mo Luteri cæpit, seditionibus contra Magistratus sepius ex-
citatis creuit, armis, tumultibus, fraudibusq; & infinitis men-
dacijs propagatur.

S. Thomas
Cantuarien-
ses Archiep.

Iam spectamus qua Calvinistæ mansuetudine vtantur in An-
glia, an iuxta sponsonem Volani nullā extraneam vim ad ex-
tirpandū Papatum adhibeant: imò quantam in cogendis ad su-
um dogma Catholicis crudelitatem exerceant, quam inauditā
& ipsis etiam temporibus Diocleciani incognitam tyrānidem
in homines innocentissimos & sanctissimos auitæ religionis
cultores præferāt, ex edito quodā hoc anno de persecucione
Anglicana Romæ libello quē puto iā esse Cracouæ denuo ty-
pis mādaturū, et in linguam etiā nostrā conuersū, quodā profer-
re li-

Persecutio-
nes in Anglia

*re libet. Videantur primùm leges contra Catholicos latae, de-
mum legum illarum horrenda executio. Et leges quidem aliæ
sunt quæ in bona fortunæ & corporis, aliæ quæ in vitam ipsâ
seuiunt. Primi generis sunt tales.*

Quicumq; ad Ecclesias protestantium venire recusaue-
rint, officij diuini persoluendi aut auscultandi causa, si
ætatem annorū sedecim exceßerint, soluant quoq; men-
se suæ absentiaë libras Anglicas 20. hoc est aureos 66,
qui autem soluendo non sunt, carceribus omnino deti-
neantur donec soluendi facultatem habeant.

Qui conuictus fuerit audiuisse Missam, etiamsi id secre-
tò factum fuerit, patietur carceres per integrum annū
& tamdiu postea quousq; persoluat 211. aureos.

Sacerdos verò qui Sacrum fecerit, non exibat carcere,
post expletum annum, nisi solutis aureis 422. atq; hoc
toties, quoties fuerit in hoc genere ab eo peccatum.

Omnis vir Ecclesiasticus qui non publicam fecerit re-
ligionis Romanæ detestationem, & auctoritatem Pon-
tificis Romani palam non abiurauerit, amittet omnia
beneficia, omnemq; dignitatem quamcunq; Ecclesia-
sticam.

Nemo Magistratum publicum gerat aut vllum officiū
in Republica retineat, nisi hanc ipsam summi Pontifi-
cis abiurationem publicè præstiterit.

Si cuiquam infra conditionem Baronis constituto, hæc
abiuratio bis oblata fuerit, & ipse hanc eandem secun-
do recusauerit: amittet omnia bona, & possessiones suas
& corpore condemnabitur ad perpetuos carceres.

Qui negauerit Reginam esse supremum caput Ecclesiæ
Anglicanæ in causis Ecclesiasticis: eadem pœna plecter-
tur, amissionis bonorum omnium & incarcerationis
perpetuæ.

En nobis Calvinisticus Papa vel potius (vt ita dicam) Papiſſa: Papiſſa Cal-
 en eorum Episcopus & Doct̄or imo iudex in cauſis? quibus nā? uinifica.
 de lana, lino, & fuſo quod ſeminarum eſt? non, ſed in cauſis
 Eccleſiaſticis, diuinæ religionis, myſteriorum fidei, reuelatio-
 nis cæleſtis. Fœminam etiam loqui in Eccleſia A poſtulus ve-
 tat (curant A poſtolum iſti & ſacra eloquia ſcilicet,) hæc in
 Calvinistica Eccleſia non modo loquitur ſed iudicat & arbi-
 trium ſuum propriaꝝ placita Miniſtris omnibus in rebus Di-
 uinis, promulgat, imo caput eſt Eccleſiæ. O monſtroſam tali
 capite Eccleſiâ. Sine tutoribus in rebus ciuilibus, ne de ſuis qui-
 dem rebus quicqꝫ ſtatuerè poteſt fœmina: et in Dei ſupremis
 myſterijs decreta promulgabit Calviniſtis? Promulget verò, nō
 alio ſunt iudice & Papa & Episcopo & Doct̄ore digni. Prin-
 cipibus adulati, eos iudices eſſe rerum Eccleſiaſticarum & re-
 ligionis profitentur: ad quos vtiqꝫ Deus principatum ſpiritua-
 lem deſerri noluit, ne ad tot abſurda delabi Eccleſiam ſit ne-
 ceſſe. At vero illi nullis abſurdis refrenantur. Proteſtantur
 imò iure iurando affirmant (O miſeros Calviniſtas) pro capite
 Eccleſiæ in cauſis Eccleſiaſticis habere ſe fœminam. Nihil
 ad ſuum de propria religione ſtultiſſimum oſtendendum iudi-
 cium, nil ad obſcurum intellectum declarandum, ædi ab eis
 clariùs & illuſtriùs potuit: nil in pœnam reciprocam inſtiit,
 quàm quòd Sacroſ. Concilijs, ſanctiſſimis Pontificibus, vene-
 randis Eccleſiæ Episcopis & Doct̄oribus in cauſis Eccleſia-
 ſticis parere recuſarint: pareant ergo fœminæ, quam ne loqui
 quidem in Eccleſia A poſtulus permittit. Habeant Eccleſi-
 am in qua verè ſedet meretrix Babilonica, ſanguine ſanctõrum,
 vti mox apparebit, ebria: vt illud quod per calumniam in ſum-
 mum Pontificem egerunt ipſa rei veritate, in ſua ſe poſſidere
 confeſſione cognoſcant. Libet hîc Athanaſij de Tyrannide
 Conſtantij Imperatoris conquerentis verba referre. Quis, in-
 quit, videns Conſtantium in dicendo principem ſe facere Epi-
 ſcoporum,

Reciproca
 pœna in obe-
 dientiæ in
 Calviniſtas.

Athanaſius in
 Epiſtola ad ſo-
 litariam vi-
 tam agendam

scoporum, & praesidere iudicijs Ecclesiasticis, non merito dicitur illam eam ipsam abominationem desolationis esse quae à Daniele praedicta est. Nam cum circumamictus sit Christianismo, & in loca sacra penetret, & inibi constitutus deus sit Ecclesias, abrogans canones, vi cogens ut sua obtineant: quis unquam audebit dicere, tempus Christianis pacatum esse, & non potius persecutionem esse, talemque persecutionem qualis nequa antea fuerit & qualem fortasse nemo unquam fecerit, nisi filius ille iniquitatis. Haec ille. Quid dixisses o Athanasi si non iam Imperatorem, sed feminam pro tribunali in iudicijs Ecclesiasticis sedentem vidisses? Sed ad leges Anglicanae Ecclesiae redeamus, inter quas & illa est.

Quicumque Agnos Dei (ut vocant) rosaria grana, benedicta, medalias, crucifixos, aut aliam rem quacunque benedictam à summo Pontifice & in Angliam adductam receperit aut retinuerit: eandem poenam sustinebit, amissionis bonorum omnium & incarcerationis.

In eum autem qui inferret quascunque haereses, Ebionismum, Anabaptismum, & ipsum Machometismum, gentilismum, atheismum, vel qui pro crucifixi Christi nostri imagine omnium Deorum simulachra & idola in Angliam induceret, nulla est decreta poena. Omitto id genus alia eorum decreta: quae lector ipse ex illo libello ad Gerardum inscripto cognosceat.

Sunt aliae leges sanguinae quae inductis omnibus exquisitissimis tormentis & torturis in vitam ipsam saeviunt. inter caeteras sunt istae.

Si quis Agnos Dei (ut vocant) rosaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut quacunque rem aliam à Pontifice Romano benedictam in Angliam importaverit, criminis laesae Maiestatis reus erit. Poena autem quae illi crimini debetur, huiusmodi est. Primum ut condemnatus terraque protractus ad locum supplicij in maiorem crucia-

cruciatū semi stranguletur laqueo: deinde vt redeuntī ad se amputentur virilia, & igne comburantur: tunc vt cultro aperiatuſ venter, & erutiſ illiſ etiam cor & viſcera ſpitanti adhuc & reluctanti, manu carnificiſ euellantur & in ignem iuxta poſitum proſiciantur. Deniq; vt elixuſ & in parteſ diſſecatuſ ad variuſ Ciuitatiſ porteſ ſuſpendatur. Bona autem ſua & poſſeſſioneſ omneſ ad fiſcum tranſeant: nec eoruſ quicquam ad vxorem, liberoſ, aut conſanguineoſ. deſcendat, ſed vt ipſi prætereā huiuſ vnuiſ ob cauſam æternaſ notenter ignominia & õniſ mortui poſteritaſ degradetur ſanguine.

Hæc pœna tam crudeliſ, in omneſ decernitur qui non tantum Catholicos ſe poſſententur, ſed qui vel minimam ſanctæ ſi dei ſuſpicionem de ſe præbent. Hac pœna anno ſuperiori quidam ex Societate noſtra & aliquot ex Alumnis Pont. eneſti ſunt: imo & hoc anno multo plureſ quàm præcedenti iſdem tormentiſ ac ſuppliciſ publicè extinctoſ eſſe, præter plurimoſ alioſ, in carceribuſ fame, ſiti & aliſ innumeris calamitatiſ abuſumptoſ certū eſt. Sic creſcit in dieſ manſuetudo quinti Euagelij in Catholicos. Hæc pœna in omneſ exeritur, qui hiſce ſequentibuſ iniquiſſimiſ legibuſ capiuntur: vt & aliſ pluribuſ ſimilibuſ, quaſ longum eſſet interim percuſſere.

Cuiuſcuq; infra dignitatē Baroniſ conſtituto ter oblatum fuerit iuramentum, ſeu abiuratio contra Pontificiſ Romani authoritatē, & pro ſuprema poteſtate Regiſ in cauſiſ Eccleſiaſticiſ, & ſi ille tertio iurare detrectet: eandem pœnam læſæ Maieſtatiſ ſuſtinebit.

Qui vllō modo dixerit, ſcripſerit, ſignificauerit, vel rogatuſ conſeſſuſ fuerit Regiſ Angliæ hæreticam eſſe aut ſchiſmaticam, eidem pœnæ læſæ Maieſtatiſ erit obnoxioſ.

Si quiſ aliquem Eccleſiæ Romanæ vnitati & commu-

nioni reconciliauerit, eandem p̄nam læsæ Maieſtatis patietur.

Quicumq; fuerit ab aliquo ſciens & volens ad eandem vnitatem & communionem reconciliatus eandem p̄nam ſuſtinebit.

Si quis diſuaſerit alicui religionem illam quæ nunc publicè in Anglia tenetur, vel procurauerit vt diſuadetur, ea intentione vt ille cui diſuadetur ad obedientiam Romani Pontificis & Romanæ fidei trahatur: reus erit etiam criminis læsæ Maieſtatis & eadem p̄na pleſtetur.

Omitto alias eiſdem crudelitatis plenas leges: verba eiſdem authoris Angli ſubijcio: Suntne hæc ſeuera ſatis? ſuntne ſatis aſpera? in auitæ, paternæq; religionis profeſſores & tamen miniſtri noſtri, nouatores iſti noſtri, euangelicæ doctrinæ buccinatores noſtri, & Chriſtianæ (ſi Deoplacet) manuſuetudinis imitatores, clamant in dies è ſuggeſtis, libris ſcriptis peringeminant, ſermone quotidiano magiſtratus & principis auribus inculcant: nimiam eſſe lenitatem, periculoſam eſſe clementiã, culpandam, & non ferendam totius regiminis in Catholicos tolerantiam. Sed vide præcipitatum hominum inuidorum & furioſorum amentiam.

Eſtne vllum ſcelus aut flagitium quod acerbioribus poſſit coerceri p̄enis, quàm eis quas deſcripſi. eſtne vllum genus facinoroſorum hominum, quod pluribus poſſit ſepiri legibus, includi p̄nis, patere periculis, exponi damnis, quam Catholici in Anglia his legibus exponuntur? & quid tandem deliquerunt iſti? aut quodnam crimen eſt fides auorum & patrum noſtrorum? Aduerſarij aliquando communionis noſtræ, nunc arrepta fide Caluini, Lutheri proieſta, noſtraq; contempta, dominos ſe noſtros conſtituerunt, & ſedibus expulſos,

omni nos dignitate & loco mouerunt. Non querimus: fruamur liberrimè. Atquid vltius progrediuntur mi felli? cur etiam animas nostras expetunt? quare sequuntur in sanguinem? cur non exsaturantur nisi morte, vel extrema calamitate nostra? Si de fide solùm decertatur, sunt aliæ sectulæ non minus Caluino, quàm nos inimicæ: & tamen vtuntur perbeneuolis his ministris. Si aliud autem suboscure lateat, & si Verres legem repetendarum timeat: liberamus eos hac molestia, securitatem facimus, cedimus iuri nostro. Tantùm petimus, ne exitio nobis sit, & odij causa sempiterni, quòd aliquando patria fuerimus potiti: nisi. n. hoc ipsum fuisset, ipsi iam nullam Rempublicam haberent.

Atq; hæc de legibus: quarum prætextu, quantum in nos possunt aduersarij, tu vides: quantum autem volunt, res ipsa demonstrat, cum hac asperitate minimè contenti, duriora, & acerbiora quotidie deposcunt. & tamen equidem non arbitror tam durum esse posse, aut ferreum cuiusquam hominis Christiani pectus (si humanitatis sensum cum fide non exuisset) quin ijs, quæ nostri patiuntur, commoueatur.

Neq; enim fingi potest quicquam in vllò ferè genere calamitatis luctuosum quod indies non perferant: neq; cogitari aliquid, in vlla conditione hominum, acerbū, quod indies non sustineant. Verissimè possunt cum Apostolo dicere: *In tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus.* Et cum eodem Christi milite alio in loco. *Periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus in labore & ærumna.* Imo illud & licet addere quod addit Apostolus. *In mortibus frequenter.* Deniq; neq; illud ab eis alienum est. *Ludibria & verbera exper-*

ra experti, insuper & vincula, & carceres, distenti sunt, se-
 cti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Postre-
 mo & illud propriissimè conuenit: Spectaculum facti su-
 mus mundo, & Angelis & hominibus. Maledicimur, & be-
 nedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur:
 & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsa vsq; adhuc.

Vt autem hæc omnia manifestius appareant, non erit forsan alienum à proposito, si particulatim adhuc magis singula quæque oratione perlustrauero.

Ac primùm de supplicio quidem extremo, nemini opinor esse posse dubium, quot, & quales viri acerbissimæ morti propter religionem sint traditi, hoc est, strangulati, exenterati, dissecati, elixi, & per aëra dispersi, quibus etsi (ad maiorem contumeliam) maiestatis crimen aduersarij affinxerint: tamen res in manifesto est, nec ipsis etiam diffidentibus solam religionem in causa fuisse necis.

Non loquor hic de illa sanctissima multitudine Præsulum, Doctorum, Sacerdotum, aliorumq; Christi Confessorum, quos vel carcer squalore confecerit, vel mærore aut inedia cõsumpserit, quorū causas solius Christi tribunali deferrimus: tantùm de illis sermonem facio, qui publicè & vniuersorum in oculis, veritati testimonium suo sanguine dederunt. Qui præter ipsos supplicij cruciatus, & illam communem contumeliam, qua non vt Catholici sed vt reipublicæ proditores (opinionione vulgi) moriuntur: habent etiam (vt plurimum) hoc honoris & meriti, post mortem adiectum, vt disseminatis libellis infamentur, proiecta in mores aut doctrinam, insigni aliqua eumentita calumnia.

Sic nuperrimè cum Euerardum Hansium pium & Ze-
 losum

Iosum Christi præbyterum, patibulo publico suspendissent, veriti ne quisquam innocentis forsan martyrio commoueretur, nescio quæ errorum & paradoxorum monstra, duobus contrarijs impressis libris, & alterum altero impugnantibus, homini mortuo attribuerint. Quale est illud: *Pontificem Romanum non posse peccare*: cum Hansius errare solum non posse dixerat, expressè de fidei doctrina vniuersæ Ecclesiæ proponenda loquens. Item illud: *nullum Principem (excepto Romano Pontifice) primatum vllum, suis in dominijs tenere*. Cum ille solum de primatu Ecclesiæ Catholicæ in causis Ecclesiasticis affirmâret. Item illud. *Nullam proditionem contra Reginam Angliæ peccatum esse*. Cum ille iam morti proximus, iterum atq; iterum repetitis verbis apud turbam assereret, se non de omni proditione, sed de illa sola locutum, ob quam immeritò moriebatur, & quâ aduersarij iniquissimè proditionem appellabant, cum verè non esset aliud quàm fidei Catholicæ necessaria Confessio. Iam enim ex superiori legum Catalogo manifestum est, quàm multa nostræ fidei capita ad lætæ maiestatis crimen attraxerint.

Hoc ergo aduersarij nostri, ad antiquorū persecutorū improbitatem adiungunt, vt ne causam quidem ipsam martyrij (quâ tamen illi fatebantur) patefaciant. Quamquam sanè, huius etiam iniquitatis nonnulla semina primis illis temporibus à Cacodæmone sint iacta, cum Paulus tanquam *pestifer & seditiosus*, Christus autem Saluator, *vt plebē subuertens & Cæsari prohibens tributa*, traducti sunt iniustissima calumnia.

Nunc vero quantis opprobrijs, quibus vociferationibus, quot irrisionibus, quàm amaris salibus, quàm acerbis & virulentis conuicijs, quo strepitu frementiu, atq;

maledi-

maledicentium, hi nostri martyres strangulentur, & inspectantibus omnibus dilanientur: non est, opinor, operæpretium describere: res atrox est aspectu, & narratu truculenta.

O miseros nos, qui in hæc tempora fumus delapsi, vt in Christianos ob fidem exerceri tantâ rabiem à Christianis cernamus.

Hæc de supplicijs: dicamus pauca de precedentibus ante mortem contumelijs: sed res est infinita, paucis non potest explicari: nec enim ipsis Mauris, Getulis, Tartaris, Saracenis, Turcis, aut quibuscunq; Christi coniu-ratis hostibus, tam esse ludibrio Catholicos existimo quàm sunt istis nouis Euangelicis, contemptus, & omnis contumeliæ plenissimis. Si in Sacro faciendo sacerdotem offendunt, incredibile est, quàm impiè & contumeliosè se gerant. Sacerdotem ipsum prius domi malè mulctatū, educunt in publicū, & eisdē prorsus vestibus indutum, quibus ad altare steterat, per plateas, & uillas circumagitant, inspectantibus omnibus, irridentibus vniuersis, nonnullis autem inspuentibus, plurimis verò conuiciantibus, & singulis ferè Christi seruo iniuriam aliquã particularem inferentibus. Inde condunt in carcerem, ferris ligant, compedibus onerant, si videtur, torturæ subiiciunt: sin minus, verbere conuiciorum omnium diuexatum protrahunt ad iudicium, & ibi simul cum omnibus ad Missam eius præsentibus, condemnant, ad carceres & ad solutionem illarum pecuniarum, quas supra soluendas ob hoc auditæ Missæ flagitium demonstraui.

Postea verò si commodum quouis modo suis rebus existimant, hominem perimere, interrogant de quibusdā præcedentium legum capitalium articulis, quæstiones ponunt

ponunt captiosas & subtiles, vrgent vt directè & perspicuè respondeat. Quid plura, facile eliciunt quod reo sufficiat: *In promptu enim baculus, quo cædas canem.*

Atq; hoc loco quoniam de carceribus facta est mentio, & tu id literis nominatim requiris: adijciam etiam nonnulla de carceribus.

Quorum illud erit primum, omnes esse refertissimos Catholicis, ita vt vix sit latronibus locus. Multi recen-ter exædificati non sufficiunt: turris Londinensis, proditoribus assueta: nunc abundat Sacerdotibus: imo Bri-duelo nostro, meretricibus proprio, & scortis infami, non deest sua pars. Nuper enim virgo quædam gene-rosa & tenera: ob fidei confessionem paulo constantio-rem fuit in eum locum à Superintendente Londinensi protrusa.

De internis inclusorum necessitatibus & angustijs ni-hil audeo affirmare, ne afflictis conciliem querela mea, maiorem afflictionem: illud tamen commune est, pro-hiberi amicorum aditu, excludi sermonis & literarum commercio, aduentantium fieri obseruationē, ne quis illis possit, aut elemosynas largiri, aut alia pietatis ope-ra sine periculo præstare. Narrantur tamen & duriora multò, maxime in ergastulis, Eboracensi, & Hultonēsi, circa victus rationem. Sed quia de Custodum peculi-ari quadam proteruia proficisci illa possunt: non attin-gam his literis tanquam communia.

Illud tamen de Lanfonensi Carcere Cornubiensis pro-uinciæ, & certum est, & indignum. Cum enim sex o-piñor aut octo in eandem speluncam compingerentur, licet perhonestæ conditionis essent magnaq; ex parte, generosis è familijs: cibus tamen nec dabatur, nec per-mittebatur nisi putidus, & ostiatim emendicatus, nec
vsus

vius aquæ preterquam corruptæ. Secesus verò non alius ad corporis necessitates, quàm illa ipsa, in qua discumbebant area.

Sed illud ex omnibus caput est: quod cùm isti tandem de hac inhumana sæuitia cepissent queri: minatus est ulterius Ergastularius, ad equorum præsepia colligatos, se instar iumentorum, deinceps pasturum. Denique tamen, amicorum assiduitate & industria factum est, vt ab hoc carcere ad Londinensem, milliaribus plus minus ducentis, custodia publica transmitterentur. Cuius quidem peregrinationis, hæc erat ceremonia.

Imponebantur equis cùm macris, tum miseris: sine freno, sine calcare, cæterouè apparatu equestri: equi longa seric alter ad caudam alterius subnectebantur. Equitantibus pedes sub equorum pectore, brachia à tergo reuinciebantur. Cùm ad vrbes, & oppida appropinquabatur, erat qui præcurreret, renunciaturus incolis, aduentare Papistas, hostes Euangelij, & inimicos Reipublicæ.

Qua voce populus excitatus, & gregatim ædibus effusus in plateas, excipiebant aduentantes, quibus poterant contumelijs.

Simili planè pompa ad opprobrium & omne genus ludibrii composita, duxerunt nuper per Cuitatem Londinensem duodecim viros Orthodoxæ fidei: quorum erant quinq; Presbyteri, reliqui conditionis bonæ & fortunæ. Horum illud erat crimen: quòd in eadem domo cum Edmundo Campiano, Societatis Iesu viro doctissimo, & innocentissimo, orantes & Sacra Catholica facientes sint inuenti: Cui tanquam seditioso obæquissimam suæ fidei Ministris oblatã disputandi defensionem, aduersarij volebant infamiam concitare, in
cumq;

eumq; finem, spaciosam chartam maiusculis literis odiosissime descriptam, in illo triumpho gestare capita compulerunt. Quod ille non aliter tulisse dicitur, quam Christus suæ Crucis inscriptionē pertulit, pacatè modestissime & animo læto, vultuq; sereno.

Tandem cum peracta Tragedia in arcem Londinensem peruenissent: sicut reliquis antea Dei seruis, maxime vero Sacerdotibus fecerant: ita nunc Campiano cruciatus & tormenta crudelissima subiecerunt: quibus elicere volebant, quibus in locis commoratus fuisset: quorum in ædibus hospitio receptus, quorum beneficio, & liberalitate sustentatus: ad quos diuertisset, apud quos Sacra & diuina peregisset: quibus Consilia sua communicasset, quorum opera & industria fuisset usus: & vt verbo dicam: quinam per Angliam Catholicæ fauerent religioni & quinam animis Calvinismo repugnarent. O grandia piacula, de quorum vel sola suspicionē, homines liberi exerceantur tam exquisita quaestione.

Quando hoc vspiam factitatum prius est? Inqua vnquam scythia, vel relatu auditum: vt homines ingenui literati, liberaliter instituti, Sacris functionibus Presbyterij dicati, more seruorum in catasta distendantur, doloribus diris & cruciatibus distorqueantur, ob solam conscientiam religionis auitæ: nisi ad pœnam velint prodere suæ fidei participes, quod iure gentium, & naturæ officio, & communi honestate, omniq; religione prohibentur facere? Estne hæc torturæ iustissima causa? estne hæc satis efficax ad quaestionem ratio? præsertim tam immanem, tam crudelem, tam feruilem de liberis? hoc ne vnquam egerunt Orthodoxi vel in perditissimos, aut in peruerfissimos hæreticos?

Certè

Certè si nihil aliud esset, quod virum oculatum, & attentum de fraude hæresis admoneret, & de latente sub hypocrisis perditissima nequitia: Si opinionum nouitas, opinantium contrarietas, pronunciatorum inconstantia, viuendi licentia nihil quicquam proloquerentur: tamen, hoc vnum satis vniuersam dissimulationis machinam retereret, quòd ipsi qui tam recenter humanitatem omnem professi sunt, & qui Ecclesiam Christi Catholicam, ob æquissimam disciplinam, legibus iustissimis, & antiquissimis descriptam, tam atrociter infectati sunt, nunc tantam scæuitiam in rebus suo pondere leuissimis adhibeant, quantam vix barbari in atrocissimis exercent.

Plura Caluinistica mansuetudinis exempla ex illo libello petantur. Nos actis Domino gratijs. finem dicendi faciamus. Sacramentariorum imposturas optimè lector, agnosce, & fuge laqueos ad te capiendum compositos. calumniandi tantam in eis pertinaciam perhorresce, & quæ sit confessionis nostræ integritas atq; puritas inquire, dissensionem inter illos et Babilonicam confusionem execrare: & in vna stabili & immota Catholica sententia conquiesce, vt nunc in bona & sancta conscientia & tandem in cælesti illo regno quiescas. Per IESVM Christum Dominum nostrum qui vtinam omnes in tenebris constitutos illuminet, & ad suum ouile reducat, cui cum Patre & Spiritu sancto vni in Trinitate DEO, honor & adoratio in secula seculorum. Amen.

AD LECTOREM.

Admonitum te, candide Lector, esse volumus de Ty-
pographi in numero foliorum errore. inuenies liqui-
dem vbi perueneris ad folium 399 sequi numerum
381. post 382. & sic deinceps suo ordine vsq; ad 399.
ita vt à folio 381. ad folium 399. bis idem numerus
continuò repetatur. Curauimus igitur in Indice ea
quæ sub iterato foliorum numero continentur si-
gnare litera B vt eò faciliùs inueniantur.

Index.

- A
- Abrahæ fides & meritum* 42.
Absentia corporali nil odiosius a-
mani 184.
Absurdis posse omnem fidem eri-
pi 320. & *hereticis eripitur* 314.
 318.
Ab absurdis vsitata argumentatio
hereticorum 318. 319. 330. *contra*
absurda cautiones 328. 332. 345.
 348.
Academiam Cracouiensem Vola-
nis calumniatur 386. B
Accidentia panis in Eucharistia
vtiliter manent. 226. *per miracu-*
lũ subsistũt in Eucharistia 221.
posse hoc fieri etiam quidam phi-
losophi concedebant 222. *quomo-*
do nutriunt vel producant ver-
mes 223. *Zophisma Caluinistarũ*
de illis 225.
Adorare in Spiritu & veritate
quid sit 384.
Adorationem suam quomodo hæ-
retici profitentur 385.
Adorare Deum corpore & animo
non est illicitum 395.
Adorationis Christi in corpore e-
xempla 359. & 369. *Doctorum*
testimonia 370. & 371.
Aeneus murus Caluinistarũ 116
Agni paschalis figura impleta 142
Amor Christi potens & ad ma-
nendum & ad discedendũ 185.
Amor fucatus præsentam non o-
ptat 186.
Amphibologijs vt hereticis est
commune 172.

Index.

- Anima humana in pluribus locis* 65. 66.
- Angelorum religio non congruit hominibus* 267.
- Antropophagia non est in Catholica manducatione* 337.
- Apostoli Patriarchis feliciores* 182. 183. *Eorum ad præsentiam corporalem affectus* 182. *Cur non interrogant verborum expositionem: Hoc est corpus me.* 85. 86. *Nullum in cæna beneficium iuxta Calvinistas receperunt* 167.
- Articuli fidei nostræ non sunt figuratè instituti* 75.
- Arriani eisdem sermonibus ex scriptura diuinitatem, quibus veritatem Christi corporis Calvinistæ, impugnabant* 97.
- Arrianizant Calvinistæ* 98.
- Ascensus Zuinglianus in cælum.* 288. 290. 291.
- Augustinus in verbis Cænæ simplicem sensum agnoscit* 108. 109. *Et in illis verbis, Nisi manducaueritis* 110. *non duo sed septem statuit Sacramenta* 167. *ore Christi corpus sumi fatetur* 110. 111.
- Qualitates à substantijs DEUM au ferre posse credit* 64. *Concilijs multum tribuit* 14. *Et eis se subijcit. Regula eius de figurata locutione* 107.
- Auerrois & gentilium contra fidem blasphemix* 317.
- B
- Baptismi aqua eleuatur supra naturam* 157. *tollit peccata, reficit animas* 158. *Copus tangit & animam abluit* 158.
- Baptismi necessitatè tollunt Zuingliani* 168.
- Baptismus quid differt ab Eucharistia* 295. 228.
- Baptizari, idem Calvinistis quòd Christi corpus manducare* 294. & contra.
- Benedictionis Diuinæ vis* 205. *Operatur mutationem* 207.
- Berengarius pater Sacramentarium* 258. *Eius confessionis sensus* 340. 344.
- Bertramus quis fuerit* 258.
- Bezæ qualis* 315.
- Bezæ & Petri Martyris dissensio de Eucharistia in colloquio Possiaco* 393. B
- C
- Calvinistæ non habent expressam pro suis figuris scripturam* 101. *Sacramentalis eorum regula* 115. *Volant in cælum vt alteram partem Sacramenti sumant* 135. *Unitas eorum in interpretanda scriptura* 28.

Index.

- Calvinus verba Domini irrisit* 103.
Asylum Papistarum vocat Christi verba 11. *Corpus Christi sine diuinitate esse putauit* 384. *Eius discipuli Christum adorandum negant* 365. *Nestoriani zant Calvinistæ* 367.
Caluinistarum crudelitas in Catholicis in Anglia 404.
Caluinistarum leges sanguinariae in Catholicos in Anglia 416.
Camelus transire potest per acum Dei potentia 59.
Capharnaitis quomodo figura Dei verba 111.
Caro Christi ibi manducatur vbi est 303.
Caro non prodest quidquam, quomodo accipiendum 196.
Catholicae doctrinae signum quod sit 409.
Cena Christi omnia habuit aperta 84. *Ad Caesarium epistola, falso tribuitur Chrysostomo* 257.
Coelibatus Sacerdotum ex D. Hieronymo asseritur 391. B
Christus mansit in fractione panis 43. *Voluntas eius ex verbis cognoscitur* 38. *non est figurate locutus. Hoc est corpus m.* 87. *aliter fuit in Manna, aliter in Eucharistia* 137.
Christum aliter veteres manducarunt nos aliter 147.
Christum verius colunt qui aurum in eius adorationem conferunt, quam qui dedicatum Deo eripiunt 392.
Circumstantiae in comparationibus spectandae est 96.
Concilia pro Transubstantiatione 214. 215.
Confessio de S. Eucharistia Catholica 56.
Consecratio Sacramentorum necessaria 214.
Contradictiones aduersarij 51 129 131 156. 160. 357. & *fusus. sub finem libri.*
Corporealis praesentia Christi quanta affert solatia 190. 191 192 196.
Corporealis absentia quid pariat Zuinglianis 193. 194.
Corpore sumimus Christi corpus & cur 305. 307. 309. 311.
Corpus vnum potest esse in pluribus locis 63. 66. 67.
Corporum substantiae sine suis proprietatibus 70.
Corporis Christi existentiae modus in Eucharistia 333. 336.
Corpus Christi in Eucharistia abstractum 43 *Non tantum ibi est vbi videtur & palpatur* 45. *ascendit*

Index.

- die & relictum est nihilominus nobis 331. Verè videtur cum species videntur 331. potest esse in pluribus locis 65. 68. 69. semper impatibile in Eucharistia & ante resurrectionem 332. non separatur à diuinitate à qua mutatur proprietates 66.
- Crucis signum execrantur aduersarij 210. Traditionem habet apostolicam 211. per illud consecrantur Sacramenta. Ibidem. Dæmonibus & hæreticis est execrandum 212.
- Curiosi à sanctis reprehensi 61.
- Cultus internus & externus coniunguntur 384.
- D
- Dauidem Achis insaniantem putat & Christum Caluinistæ 113.
- Disparatorum prædicatio non est in Christi verbis 99. 100.
- Discordie Catholicorum non sunt de rebus fidei vt sunt dissensiones hæreticorum 401.
- Ad Diuinitatem Christi abnegandam connexio sententiarum 361.
- Doctores suo iudicio subiiciunt Aduersarij 241. reos eos faciunt 242. adulteratæ scripturæ crimen illis tribuunt 243. de illis D. Augustini sententiæ 240. Ab eorum consensu firmum est argumentum 247. Sine eorum interpretationibus erratur ibidem. Verba eorum clauis in altum defixi 248. Doctrinæ eorum in hærendum 249. Humiles in suis scriptis 252.
- Doctores ad suam regulam reuocant Aduersarij 259. horrendè illos calumniantur 265.
- Doctores ante annos 500. vel 400 & 300. maiore sunt digni fide quam Caluinistæ 262.
- E
- Ecclesia non potest contra scripturam agere nec aberrare 24. Ignoratur ab hæreticis 5. 7. Tria illi repugnant 7. Magnam esse et vincere est illi proprium 216. Amissa illa, veritas amittitur 20. & scriptura 7. Pro qua testatur 20. decreta eius nõ diiudicanda 26
- Ecclesiæ nomen apud Ezechielem præsentie corporis Christi respondet 188.
- Energumeni cur adducuntur in præsentiam Eucharistiæ 377.
- Epicureorum argumenta imitantur Zuingliani 204.
- Est pro Significat õnes articulos fidei demolitur 97. 98.
- Euangelistarum in verbis consecrationis consensus 83. mos illustrandi quæ obscurius sunt dicta ibidè

Index,

*Eucharistia ad normam Baptismi
Examinari non potest* 118. *Magna habet fidei exercitia* 42. *Eius contemptum inducunt aduersarij* 303. *Terram facit nobis calū* 134. *Eutichij magni de Eucharistia sententia* 65.

Exemplis Deus ad operandū non indiget 230.

Exhibere reuera quid sit 156.

F

Facere p offerre in sacris literis 25. *Fœdus sanguine firmatur* 79.

Fidei exercitiū in Eucharistia 42.

Officium eius 291. *Iactatio eius in Caluinistis* 30. *Iactant eam qui sensum quærent* 41. *Peruersa potest haberi, integrum habens Sacramentum* 162.

Fide manducare corpus Christi quatuor absurda 282. *quid sit manducare fide apud Zuinglianos* 281. *Tribuunt robur Sacramentis à fide* 161.

Fide corpus Christi non fit in Sacramento. 287.

Ad fidem spectantia simpliciter sic dicuntur in scriptura 75.

Figurati sensus multi & varij simplex vnus 76.

Figure in notis rebus adhibentur & vsitatis 82.

Figura in illis verbis Nisi manducaueritis: qualis 111.

Qua figura emolliendi Zuingliani 113.

Fractionis nōine quid signetur 220

Fundamentum Theologiæ Zuinglianiæ 2:

G

Gentiles Christianos amentes vocarunt sicut & Caluinistæ 317. 329. 356.

Gelasium frustra pro se torquent Caluinistæ 178.

Gerasenos imitantur Caluinistæ 178.

Gigis annulus 46.

Glossæ Decreti errores 335.

Græci hæreticos nostri temporis damnant 263.

H

Hæretici & Schismatici nesciunt quid adorant 378.

Hæretici si vnum Christum prædicarent, omnes idē docerent 383.

Hæretici non possunt ex operibus fidem suam ostendere 386.

In hæreticos iusta est animaduersio Magistratum 407.

Hæretici malunt in erroribus proficere quam priores corrigere 50.

Mos eorum in figuris 73. *In discipulis reciprocā habent penā* 19

Index.

Non semper sui magistri scopum
intelligunt 49. Mores eorum 172
Vocibus a phibologicis vtuntur 124
Hæresis duo habet propter quæ er
rat 60.
Hierarchie tres diuinas res conti
nentes 126.

I

Iamuis clausis corpus Christi in
gressum 67.
Idololatriam quam iniquè tribuunt
Catholicis 353.
Impostura Caluinistica 300.
Imaginibus quid tribuant Caluini
stæ 371.
Indigna manducatio si esset pro
pter signa quæ absurda sequun
tur 284.
Indigna manducatio nulla est, si si
de tantum est manducatio 283.
Ignorantia in Dei mysterijs confi
tenda 334. 336.
Infantes sine Baptismo saluari di
cunt Caluinistæ 169. 168.
In Isaaco figura quedam nostri Sa
cramenti 47.
Ioannes Scotus hæreticus 257.

L

Libertas Caluinistarum qualis 17. 18.
Liouoniæ propter hæreses inseri
tus 390.
Liouones spolia Ecclesiarum rapti

in seruitutem restitunt 389.
Luterani figuras & argumeta Cal
uinistarum effugere non possunt
100. 101.
Lumina in honorem Martyrum ac
censa tēpore D. Hieronymi 396

M

Mali, corpus Christi manducant
321. 322 testantur Doctores 323
Non ad spiritus participationem
manducant 328.
Magdalena ad corporalem præ
sentiam Christi affectus 181.
Manducatio Caluinistica in sim
plici verbo 297. 296. 299. 293.
Manducare per votum & realiter
non est idem 277. 279. spi
ritualiter hoc est solo spiritu non
corpore 280. Reipsa quid sit
275. Qualis sit Zuinglianis 271
273.
Manducatio Christi Corporis non
est per confractionem & commo
litionem 337. Quæ est figurata
297. quæ propria 305.
Manducare spiritualiter & per
fidem quid sit 274. 276.
Manducare non est idem quod cre
dere 282.
Manducationem Corporis Christi
spiritualiter in voto non habent
Caluinistæ 275.

Non

Index.

Non manducatur Christi corpus realiter extra Eucharistiam 301.
Manducare corpus Christi in ministerio verbi quantæ nugæ 203.
Manichei & Marcionistæ plus habuere occasionis ad figuras 102.
Manna habuit accidentia rerum sine earum substantijs 223. *Figure eius impletæ* 141. *nobilius est iuxta Zuinglianos quàm Eucharistia* 139.
Ministri Hæreticorum sunt sicut Sacerdotes Maurorum & Turcarum 380. *Nullam à Magistralu publico potestatem diuinã possunt accipere. ibidem.*
Quales Ministri talis doctrina et Sacramenta 381.
Ministri hæreticorum nunq̃ possunt prædicare vnum Deum & vnã fidem 381.
Mosaici Patres quomodo manducant Corpus Christi & quid à nobis differabant 176.
Moses noluit Angelum ducem sed ipsum Dominum 190.
Modi quibus incipit res esse vbi non erat 19.
Mutatio Sacramentalis Caluinistica quàm vana 208.
Qualis in Eucharistia agnoscenda 209. *requirit permanentiam ac-*

cidentium 229.
Mutatio vini in Chana non erat Sacramentum 230.
Mystici sensus varij hæreticis profugium 74.
Mysteriorum nostrorum probatio vnde 57.

N

Naturalia Christi membra sumus non tantum Mystica 306.
Naturæ author leges naturæ mutat 52.
Nesuisensis Catechismus plus habuit pudoris quam Vilmensis 300

O

Obedientia fidei magis honoratur Deus quàm absurdorum decinatione 349.
Omnipotentis articulus in Symbolo cur primus 62.
Odiū Aduersariorum erga Christum proditur 358.

P

anis cur dicitur post consecrationem 217.
Panis vnus omnes sumus quomodo accipiendum 221.
Patribus Mosaicis cur sola per fidem manducatio sufficiebat 154.
Patres fuisse ante Christi passionem beatæ vitæ participes, affirmant Caluinistæ 150.

Patrum

Index.

- Patrum antiquorum peccata Christi sanguine ablui debebant* 151.
Paterna exempla quomodo aestimanda 296. B
Pax inter Lutheranos & Zuinglianos frustra Vilnæ tētata 399 B
& à Volano mendaciter prædicata Ibidem.
Papissa Calvinistica caput Ecclesiæ in Anglia 413.
Persecutiones quas passa est Ecclesia à Zuinglianis & Calvinistis in Polonia, Lituania, & Anglia 402.
Philosophiam Catholici ancillam Theologiæ faciunt heretici contra 53.
Pœna inobedientiæ reciproca in Calvinistas 413.
Posse DEum omnia & quid non possit 62. 63.
Potest Deus alium mundum facere cum hac lege vt vnum corpus sit in pluribus locis 63. 64.
Probatio dogmatum qualis adhibenda 17.
Petri ad præsentiam Christi affectus 179. eius fides circa Eucharistiam 57.
Præsentiam corporalem nolle, est odij signum 186.
Præsentia corporis Christi in Eucharistia non est visibilis 197.
Eius utilitas 179. 189. varia præsentia 198. Qualis est Calvinistis 291. simulatè eam profitentur 173. 176.
Præsentia Diuinitatis Christi non est singulare noui Testamenti pignus 189.
Prudentia & simplicitas Catholicorum 25.
- R
- Radiuulos exagitat Volanus* 395 B
Radiuulorum heroica & Christiana facta 396. B
Regula difficultates scripturæ intelligendi 50.
Regula Caluini 115. 106. 117.
Romana Ecclesia sola fideliter scripturas conseruauit 9. 23.
Antichristi eam vocantes sedem scripturas in discrimen adducunt ibidem.
- S
- Sacerdotibus legitimis eiectis omnis Dei cognitio eijcitur* 379. A
sacerdotum legitimorum successione non aufertur Dei verbum 380.
Sacramentalis regula Caluini quàm inepta 118. 119. Mutatio sacramentalis quàm vana 208. 228.
Sacramenta non sunt figurato sensu instituta 77. Mosaica non confe.

Index.

- conferebant gratiam* 133. 143.
 137. *Pociora Ecclesiæ quàm Synagoga* 140. 145. *Habent suas distinctas naturas* 123. *Divini sunt iuris mutari non possunt* 302. *Per corpus dantur animæ* 303. *Male Evangelica à Mosaicis distinguunt Calvinistæ* 136. 148.
- Sacramenta omnia Zuingliani profligant* 124. 170. *illis præstant id tantum quod verbi prædicatio* 160. *Verum eorum usum auferunt* 159. 160. *Vnum videntur statuere* 165. *Commiscent duoque confitentur* 166.
- Sacramenti definitio non est in scriptura* 119. *Vnius norma non est alterius regula* 122.
- In Sacramentis miracula prius negata ab aduersario* 129. *Coniunctio in illis rerum celestium mira sed vera* 130. 129. 131. *Illorum effectus* 157. *Pura de eis doctrina præsentia confirmat* 171
- Sacramenta Evangelica de latere Christi fluxerunt* 140. 149 *Quid eorum natura requirat* 44. *E& duabus rebus constant* 126. *quid sit in eis aduersarijs mystica coniunctio* 131.
- Sacramenti vi saluatur paruuli* 62
- Sacramenti nomine abutuntur Aduersarij* 125.
- Sacramentalis & spiritualis manducatio quid differat* 12.
- Sacramentarij discordes in figuris suis* 89. *à naturæ legibus contra fidem argumentantur* 52.
- Sacrificium in Eucharistia* 376.
- Sensuum iudiciū fallax* 46. 48. 47
- Scripturæ S. variæ translationes pariunt contemptum* 12. *unde sit non possunt probare hæretici* 21. *Quatuor ad eam contemnendam hæreticis viæ* 5.
- Scripturas interpretari permittunt cuiq; hæretici* 14. *Congerunt eas impertinenter* 95. 99. *aputant* 10 *Theaurū eius non conseruant* 22 *Probationem scripturæ permittunt plebi & de ea iudicium* 15.
- Scripturæ S. nisi sit vna autentica translatio nil certi haberi potest* 23.
- Scripturæ sine Ecclesiæ interpretatione Schismata & hæreses nõ reprimerent* 24.
- In scriptura tuenda Catholicorum arma* 19.
- Simeon ad corporalē Christi præsentiam affectus* 84.
- Stephani Regis in Catholica religione restauranda feruor* 388.
- Sursum*

Index.

- sursum corda nostrū quid sit* 133
Synagoga Zuiglianica Vilnensis
quibus artibus extructa 397. B
- T
- Tertuliani et Irenæi locus insignis*
contra Sacramentarios 3. 2 308
Tertuliani locus de figura 143.
Testamenti hæreditas ex Testa-
mento probatur 103. *Duæ acce-*
ptiones eius figuras non admit-
tunt 78. 80.
Theodoretum frustra pro se tra-
hunt aduersarij 255.
Traditiones humanas sequuntur
hæretici 4.
Traditio pro scripturis 21. *eam*
contemnentem nesciunt vnde sint
scripturæ 21.
Transubstantiatio murus præsen-
tia Corporis Christi in Euchari-
stia 199. *Sine ea cadunt Lute-*
rani 200. *Argumentatio pro ea*
201 Cœcilia 215 *Doctores* 233
In transubstantiationis tantū sen-
tentia proprietatem verborum
Christi retineri fatētur aduer-
sarij 100.
Tropus in verbis institutionis nun-
quam concessus aduersario 88.
- V
- Valeriani & Radiuili pietatis an-*
tiquæ restaurationes 391.
- Verba Dei expresso non credunt*
Zuigliani 3.
Vitis generatio cur dicta in cæna
219.
Vnctio extrema Sacramentū 164.
Volani probrum in Catholicos de
Maozim 391.
Volani contradictiones circa Eu-
charistiā 398. & *sequētibz fuse*
Volani conuicia in Petrum Scar-
gam. in Iesuitas omnes, in Mona-
chos, in Cardinales, in Sanctos
Dei 383, & *sequentibus* B
Volani tetra & impudentissima
mendacia in Catholicos 388. &
sequentibus B.
Volani in Cracouensem Academi-
am calumnia 386. B
Volanus verus Archiminister in
Synagoga Zuiglianica Vilnæ
186. B
Vsus rem non facit 345.
- Z
- Zuinglius à Dæmone eruditur* 105
Zuingliani iure dicti Sacramenta-
rij 124. *A sinino vtuntur iudicio*
33. 34. 36. Cur ad figuras con-
fugiunt 50. 51. 114. *Non confi-*
tentur solidè Christi diuinitatē
49. Non consecrant 214. *falsa*
opera Spiritui S. & Christo tri-
buunt 132. *Saduceis similes* 60.
A Chri.

Index,

A Christo ad Moysen transire velle videntur 152. totam nouam legem deprimunt 153. Opera Dei sub iugū suæ rationis mittunt 60 Eorum cum Anabaptistis Societas 54. Tria eorum contra Eu-

charistiam propugnacula 31. Zuinglius corpus Christi tanquam creaturam non esse adorandum docuit 362. Zuinglianis quomodo conueniat nō perire vel extirpari 409.

Errata sic corrige.

- Folio 59 versu 11. conferuari pro conferuare.
Folio 86 versu 2. quam pro tanquam.
Folio 95 versu 7. institutoris pro institutionis.
Folio 307 versu 1. Incorruptum pro incorruptionem.
Folio 259 versu 1. Berengarij pro Bertrami.
Folio 267 versu 6. apertissimè pro aptissime.
Folio 32 versu penultimo ad Decimam pro ad Vnde-
(cimam.)



VILNÆ.

Typis & sumptibus Illustrissimi Domini,
D. Nicolai Christophori Radiuili, Ducis
Olycæ & Niefuis. M. D. L. supremi
Marschalci. Anno Domini

1 5 8 2.



Das Komitee

von Frau Mankung
im Wald.

2. Jn. 30. XI 1929.

Światło w Sępie

Wszystko
Pamięć

Wszystko

Wszystko
Tęcza

~~Wszystko~~

Ady plynas wzgęsciu łomij przigodzie
Dys mezzinał najuszij jak na straj wodzie